DINOTHUS

QUINQUAGENARIAS

BASILEÆ 1581



Inv. F.G.H.

RICHARDI DINOTHI ADVERSARIA HISTORICA

In Centurias, Quinquagenarias, Decurias, & Ἀτάκτους digesta.



BASILEAE
Ex officina Petri Pernæ.
M. D. LXXXI.
Cum Priuilegio Cæsareo.

Eruditione et pietate viro eximio D. Antonio [illegible] Symmystæ fratri et amico obseruandissimo R. dinoth d. ddt

ADVERSARIORVM TItuli siue capita.

Quatuor sunt centuriæ.

Prima de prodigijs.
Secunda de principibus.
Tertia de viris illustribus.
Quarta de apophthegmatibus.

Octo quinquagenariæ.

Prima de regionibus orbis.
Secunda de animalibus.
Tertia de gemmis.
Quarta de luxu & gula, ac potorijs certaminibus.
Quinta de varia stultitia.
Sexta de varijs moribus & legibus.
Septima de republica.
Octaua de re militari.

Viginti decuriæ.

ἄτακτοι Centum.

Illustrissimis Principibus
DOMINO LVDOVICO,
DVCI VVIRTEMBERGICO
ET TEKCENSI, COMITI
Mombelgardiæ, &c.

AC

DOMINO FRIDERICO, COMITI
Vuirtembergico & Mombelgardensi, Dominis suis clementiss.

QVI rem literariam scribendo promouere, & iuuentutis studia iuuare cupiunt, non omnes eandem viam sequuntur. Nam alij apices artium, & disciplinarum arcana in apertum proferunt, alij elementa scientiarum breui & facili methodo pueris tradunt. Horum gloria quamuis in imo resideat loco, tamen breuiori labore acquiritur, & certiore titulo possidetur: quia omnes hominum ordines illi ætati fauere solent, nec facilè reperitur, qui eius commodum remorari, aut cursum interpellare velit. illorum laus etsi in sublime fertur, quia in graues æmulos, & acerbos censores sæpius incidit, periculosè quæritur, & difficulter retinetur. Nam in minimo errare cum quid suis numeris absolutum promittitur, pro magna culpa habetur. Hæc animo reuoluens, & pristinæ conditionis memor, qui per multos annos in erudienda iuuentute occupatus fui, solicitè disquisiui, quánam ratione illi ætati, cui primi mei labores fuêre destinati, aliquem fructum in hac occupatissima vita adferre possem. Nulla autem commodior visa est, quàm si locos aliquot cõmunes in historia notarem, & methodum aliquam in ea legenda delinearem, vt ad tam præclarum studium adolescentes in triuialibus pertinacius immorantes prouocarem: & ijs quibus placere occepit, acriores stimulos adderem. Nec ab instituto me absterrere potuêre, qui politica studia (quorum bona pars historia est)

impuberibus haud proponenda esse dicunt, quod scientiæ ciuilis, Aristotele teste, idonei auditores non sint. Nam tametsi illa ætas ad munia reip. non videtur admittenda, quæ imperata facere, non vitæ regulam præscribere debet: nequaquam propterea à politicis studijs auertenda. Nam in exercitijs scholasticis maximum adiumentum adferre possunt, præcipuè historia. Siquidem cum poema eruditum pertexere, aut declamationem adornare studiosi adolescentes cupiunt, nihil accommodatius facere possunt, quàm si graues historicorum gnomas interserant, & selecta illorum exempla, ad rem, quam probandam suscepêre, illustrandam adducant. Nam quò grauiora testimonia proferent, eò faciliùs fidem facient, & peritis ac cordatis magis placebunt: apud quos historica plus ponderis semper habuêre, quàm de filijs Niobes, & Pegasi fonte quæ traduntur fabulæ, quod grauia ingenia serijs, non fictis delectentur. Nec admodum vtilis opera reipub. (cui omnis hominis ætas à natura deuincta est) præstari potest, nisi cum labore multa experientia adhibeatur, quæ ex nulla re magis quàm ex historia haberi potest. Idcirco illud studium præcox nullo modo censendum est in pueris, modo solidis & firmis liberalium artium fundamentis fulciatur. Atqui vt reip. iuuandæ amore teneamur, à teneris annis ijs rebus assuescere oportet, quæ illi prodesse posse noscuntur, quia cognita, & explorata magis amantur. Cæterùm pœnitendus labor videtur, ea accuratè, & curiosè addiscere, quæ in puluere scholastico tantum vsum habent, ijs neglectis, quæ communi hominum societati prodesse possunt, quibus à tenera ætate animum applicare omnes decet, vt Isocrates ad Polycratem demonstrat. Nec politicis tantum rebus, & exercitijs scholasticis historiarum cognitio vtilis comperitur, sed priuatæ hominum vitæ. Nam quia res œconomicæ, eodem modo quo politicæ administrandæ sunt, Xenophõte teste, qui eas multitudine & numero tantum differre, gubernãdi rationem eandem esse ait: ad gubernandas familias politica studia non parum sunt profutura. Est igitur omni ætati, omnique ordini hominum historiæ studium perutile & necessarium. Hosce verò qualescunque labores meos, Illustrißimi ac magnanimi Principes, vestris celsitudinibus dicare volui, & quia iure dominij vobis

obueniunt

obueniunt, & quia ratio cogit, vt pro vestra benignitate, qua locos communes historicos recepistis, gratiam vobis perpetuo habeam, & qualem possum referam. Hæc considerate meditantem, maximè impulit integerrimi & prudentissimi viri domini Antonij Carrayi consiliarij vestri (cuius hortationibus & consilio in hoc exarando opere adiutus sum) admonitio, qui vestras celsitudines cum hoc munusculo literario, iucundissimo in has terras aduentui gratulando adire mihi persuasit. Pro tantis autem beneficijs & meritis vestris, omne meum studium, operam, industriam, laborẽ, obseruantiam, cultum, obsequium ex animo offero, nihil vehementius exoptans, quàm vt vestris excellentijs gratum facere possim. Accipite igitur, quæso, pro solita vestra laudabili & verè principali in omnes philologos beneuolentia, gratissimis animis has lucubratiunculas historicas, in gratiam studiosæ iuuentutis exaratas, & sub vestro patrocinio exire patiamini, quo scriptor in clientelam vestram iamdiu receptus, à laboribus recreetur, & ab importunis vitilitigatoribus defendatur. Sic fiet, vt adolescentes, qui in ijs profecerint, vos suis precibus Deo accuratè commendaturi sint, vt vestra gubernatio vobis gloriosa, & populis vestris felix esse possit. Ego verò, qui vestram benignitatem in multis expertus sum, & in vestra tutela securus conquiesco, Deum Opt. Max. oro, vt vestras celsitudines ad bonarum literarum patrocinium quamdiutissimè incolumes seruet, quo partum à maioribus decus conseruare, & minores ad parem gloriam excitare valeatis. Mombelgardiæ 20. Iunij. 1581.

Illustriss. Celsitud. vestris
addictissimus

Richardus Dinothus.

CANDIDO LECTORI.

CVM viderem quàplurimos longa, & tędiosa lectione multorum librorum, quibus res gestæ populorum continētur, & autorum varietate, qui rem eandē dissimiliter describūt, ab historię studio deterreri: diligēter, & sedulò circūspicere cœpi, quonam pacto præclara ingenia, quæ rebus inutilib. operam dare permolestum esset, & ocio marcessere prorsus iniquum, à tali nausea sanari possent. Nihil autem expeditius, nec commodius visum, quam si Isagogen quandam legendæ historiæ concinnarem, & vtiles aliquot obseruationes exemplis illustrarem, quas candidatis historiæ proponerem. Hac enim ratione illos edoceri posse putaui, quomodo fructum sine magno labore ex lectione historiarū percepturi essent. Etsi autem ardua & perdifficilis res mihi à principio visa est: tamē duę causæ ad eam aggrediendam maximè impulerunt, & sæpius defatigato vires, atque animum addiderunt. Prima est, quod promissa, quæ quibusdam Anglis nobilib. me fecisse, cū apud eos degerem, memini, exoluere cupiebam, qui cum à me ad legendas historias ipsos sollicitante peterent, vt certam quandam viam, & iter facile monstrarem, quo nobile studium per se tædiosum, & perplexum iucundius, & facilius reddi posset: promisi me tentaturum, magis vt in eo studio exercitatissimos ad id explendum, quod conabar, incitarem, quàm quòd me hęc perficere posse sperarem. Quamuis verò procul ab illis absim, nec an adhuc superstites sint planè constet. tamen eius gentis, ac patriæ recordatio ita mihi iucunda est, vt nō obligata fide quosuis labores eius causa suscipere non recusarem. Promissa citius explessem, nisi varijs curis, & molestijs post meū ab illis discessum graue studium persequi fuissem prohibitus, quandoquidem hæc nisi tranquillo animo nec tentare debere, nec absolui posse certum est. Secunda, desiderium iuuandi studia iuuentutis, cui nisi iter monstretur, & aspera explanentur, cursum, quē instituit, conficere vix potest. Permulti quidem politioris literaturæ viri ad hunc finem scripserunt: sed alij (omnium fere iudicio) rem nimis in contractum reduxerunt, alij magis reconditam doctrinam, & graue de plurimis & magnis rebus, iudicium ostendunt, quam phil historicæ pubis studiorum primordia promouent, vno excepto Chythræo, quem maximè omnium in methodo legēdæ historiæ sequutus sum, additis quibusdam, quæ longa & diligenti obseruatione in lectione historiarum notaui. Sed scripserint illi doctis, à quibus eos amari, & coli æquum est: nos rudiorum rationem habuimus, quibus pro viribus prodesse cupimus. Magnam autem ab his me assequuturum gratiā confido, quòd nulla præuaricatione vsus, iter, quod sequutus sum illis monstrauerim: doctos autem viros mihi infensos nō arbitror futuros,

si rem

ſi rem arduam, & quæ peritiores & acutiores ſenſus requirit, adgreſſus ſum. Nã mediocria ingenia præclaris non obſunt, ſed ipſorum gloriam magis conſpicuã, & illuſtrem reddunt, cũ ab his perpolitur, quod ab illis delineatũ fuerat. Nõ.n. mihi aſſumo abſolutã methodum tradidiſſe: ſed hiſtoriȩ prolytas iuuare cupiens, breuẽ & facilem quantum potui adornaui, paucisſima præcepta varijs exemplis illuſtrans, quæ vt commodius percipi poſsint, in ſuos titulos digeſsi. Quáquam verò ſingulis ferè titulis præfatiuncula affixa breuiter docet, quid potiſsimũ in illis quærendũ ſit: tamen de quibuſdã reddendam rationẽ exiſtimaui, ne mens mea non planè intellecta, à maleuolis, vel parũ attentis in diuerſum rapiatur. Elogia virorũ illuſtriũ breuiter ſcribens (vt in omnibus breuitati ſtudui) ea tantũ poſui, quæ ad laudẽ ipſorum faciunt, & quæ imitatione, & admiratione digna cenſentur: integras vitas requirẽtib. citantur in margine authores à quib. petere poſſunt. De aliquot noſtrȩ ætatis ex ſola fama & experientia ſcripſi, nullius authoris teſtimonio fretus, ideo nullum teſtẽ in margine annotaui, quæ tamen exploratiſsimæ fidei eſſe ſcio. Apophthegmata ad vſum accõmodaui, rudiorum vtilitati conſulens. non ſum neſcius, ad alios vſus aptius à doctiorib. referri poſſe, ſed his non ſcribo. De principibus, & de rep. nõ ſcripſi, quod rectores populorũ docere, aut magiſtratus ſui officij admonere voluerim, ſed vt adoleſcentibus oſtendam, eos qui præclarè ſuo munere funguntur in rep. regenda, ampliſsimã laudẽ meritos, atq; imitatione dignisſimos: qui in quibuſdã à recta linea aberrant, & ſub graui põdere faticunt, excuſandos, & ferendos: quia nõ facilè populos regere, qui ſuis ſeruatorib. grauatè aliquando parent. De re militari nõ diſputaui, quod me bellicȩ artis peritũ oſtendere velim, qui nunq̃ caſtra viderim, nunq̃ arma induerim: ſed ſtudioſȩ iuuẽtuti multarũ rerũ, quȩ cõmuni hominũ ſocietati ſeruire poſſunt, guſtum præbere cupiens, his prȩludijs allicere volui, vt plura de hac arte addiſcat, quæ reip. maximo præſidio ſemper fuit. Hunc autẽ titulum cũ accuratè tractare percuperẽ, præ librorum inopia nõ potui. Siquidem nullũ authorẽ, qui de re militari ex profeſſo tractet, præter vnũ Vegetiũ habui, ſed ex veteri & noua hiſtoria, quæ ad hanc rẽ mihi facere viſa ſunt, adduxi: quemadmodũ & in titulo de rep. feci. Nec minus licere arbitror hiſtorico ab exemplis rationes petere, quàm iureconſulto ex legibus: cum ad illũ facti quæſtio pertineat, vt ad hunc iuris. Si hos autem labores meos ab hiſtoriæ candidatis gratẽ acceptos fuiſſe cognouero: me alacriorẽ reddent ad iuuanda quocunque modo potero ipſorũ ſtudia. Scio in multorũ iudicia incurſuros, ſed bonorum virorũ pſephiſmata nõ metuo, qui honeſtos conatus, ex iudicij æquitate potius laudare, quàm carpere norunt, prout Thucidides inquit: Præſtantiſsimo quiq; animo æquiſsimè iudicant, qui apertiſsimè dura ſimul & iucunda cognoſcunt.

NOMINA AVTHORVM QVI IN HOC ADversariorum libro citantur.

A
Augustinus.
Aristoteles.
Ælianus.
Athenæus.
Appianus.
Agathias.
Albertus Crantz.
Albertus Magnus.
Ammianus Marce.
Arrianus.
Abbas Vrspergensis.
Æginarthus.
Auentinus.
Æn. Syluius.
Æmylius.
Alex. ab Alex.
Argentonus.
Anglerius.

B
Biblia.
Baptista Egnatius.
Budæus.
Beutherus.
Bessario.
Bizarus.
Bodinus.
Benzo.

C
Cicero.
Curtius.
Chalcondyles.
Capitolinus.
Cuspinianus.
Cælius curio.
Columbi nauigatio.
Cadamistus.
Chronicō Britāniæ.
Cardanus.
Cromerus.
Chythræus.
Cæl. Rhodiginus.

D
Demosthenes.
Diodorus Siculus.
Diog. Laertius.
Dion Nycæus.

E
Eusebius.
Epiphanius.
Erasmus.

F
Fabius Quint.
Froissardus.
Florus.
Fabianus.
Francisc. Connanus.
Francisc. balduinus.
Francis. Patricius.
Funccius.

G
Gellius.
Guiliel. Tyrius.
Georg. Agricola.
Godolenæus.
Guicciardinus.
Girardus.
Goebelius.

H
Herodotus.
Halycarnas.
Herodianus.
Heraclides.
Haitonus.
Hermol. Barbarus.
Hector Boethius.

I
Isocrates.
Iosephus.
Io. Marius.
Iustinus.
Iouianus Pontanꝰ.
Iouius.
Iacobus curio.

L
Lactantius
Liuius.
Lampridius.
Lilius.
Leuinus Appollon.
Leo Afer.
Lerius.

M
Macrobius.
Monstreletus.
Mechonius.
M. P. Venetus.
Munsterus.
Maximil. Transsyluanus.
Machiauellus.
Morbodæus.
Max. Tyr.

N
Nicetas.
Nauclerus.

O
Orosius.
Ouiedus.
Osorius.
Olaus magnus.

P
Plato.
Plutarchus.
Polybius.
Plinius.
Procopius.
Politianus.
Pompon. lætus.
Polydorus Virgilius.
Ph. Melanchton.
Pompo. mela.
Peucerus.

R
Rauisius.
Rabutinus.
Rueus.

S
Strabo.
Solinus.
Sabellicus.
Suetonius,
Spartianus.
Saxo grammaticus.
Sext. Aurel. victor.
Salustius.
Scodrensis.
Sadoletus.
Sleidanus.
Sigonius.
Surius.
Scnephus.

T
Thucydides.
Theophrastus.
Tacitus.
Trebellius Pollio.
Thomas Aquinas.

V
Valerius Max.
Velleius paterculus.
Vulcatius gallicanus.
Vopiscus.
Viues.
Volaterranus.
Vadianus.
Vegetius.

X
Xenophon.
Zonaras.

RICAR-

RICARDI DINOTHI ADVERSARIORVM CENTVRIAE.

Et primum de Hiſtoriæ vtilitate.

A HISTORIÆ viua ac clara vox ad omnem pertinet poſteritatem, qua velut in vniuerſitatis tabula quadam res ab omni æuo geſtæ, quibus vel difficultatibus implicati, vel proſperrimis ſucceſsibus diuinitus ornati homines, ac præter expectationem adiuti fuerunt, poſteris inſpicienda proponuntur. Legis enim diuinę exempla hiſtoriæ ſunt, quæ monſtrant pœnas atrocium ſcelerum, & liberationes iniuſtè oppreſſorum: ſiquidem exempla pœnarum ad comminatio-B nes diuinas congruunt, & ad eas referri debent. Et rectè Thucydides: Hiſtoria ſapienter ſcripta perpetuus theſaurus exẽplorũ & pictura ac theatrũ totius vitę humanę ad omnia mũdi tempora & ætates congruens, in quo vt natura hominum eadem manet, ſic ingenia, mores, negotia, occaſiones, conſilia, euentus, errata, flagitia, & ſcelera eadem perpetuo durant, perſonæ tantum & actores fabulæ ſuccedunt. Cæca mortalium vita ſine præteritarum rerũ memoria, quas qui probè tenuerit, priorum quoque vitam ſe vixiſſe poterit exiſtimari, & ve ram totius vitæ inſtitutionem inueniſſe. Nam hiſtoriæ vitia C perſtringunt, & præclaras actiones celebrant: ideo moderatiores plerumque homines reddunt, & prudentiores, ijs duntaxat exceptis, qui turpiſsima educatione corrupti, ac mala conſuetudine deprauati nullam virtutis rationem habent. vnde maxima vtilitas cum ſumma voluptate coniuncta percipitur. & quid vtilius, vel iucundius cogitari poteſt, quàm in humanæ vitæ theatro ſedentem periculis aliorum extra omnem aleam cautum, ſapientemqúe fieri: exempla capere, quæ ad vſum in quolibet negotio traducantur? *Optimum & tu tiſsimũ* (vt Comicus inquit) *ex alio diſcere, tibi quod ex vſu ſiet.* Vni-D uerſa hiſtoria cum nos vehit, atque circumfert per totum terrarum orbem: nobis ſpectãdas exhibet omnibus ſeculis perpetuas mundi cõuerſiones, tot, tamqúe multiplices rerump.

euersiones, tot regnorum excidia, tot populorum occidiones, tot vrbium vastitates, tot insignium virorum tristes casus, portentosorum hominum diros interitus: vel inuiti, & obstupefacti discimus nullam stabilitatem, nec certitudinem inesse rebus humanis: & nihil casu accidere in mundo, sed omnia Dei prouidentia fieri, & gubernari. hac de causa historia diuinæ prouidentiæ tuba & administra vero elogio nominatur, vt pote quę ipsius sanctionum executionem recitat fideliter, & commemorat. Ipsa verè dici potest amplissimum amphitheatrum inconstantis fœlicitatis hominum, ipsorumque stultitiæ, improbitatis, & miseriæ, & instabilitatis rerum omnium Quocumque enim vertamus oculos, siue ad sacra, siue ad profana monumenta, siue ad domestica, siue ad externa: omnia plena erratorum, scelerum, fraudum, mendaciorum, præstigiarum, tumultuum, & confusionum, quibus non solùm docemur, vt diligenter caueamus, ne illis implicemur, sed vt honores, diuitias, voluptates, & cultioris vitę commoda, quę vulgus maximè suspicit admirari desinamus. nam cùm in indignos sæpius conferantur, & nullam certam sedem nec statum firmum vnquam inuenerint, veræ ærumnæ, & fortunæ ludibria potius dicendæ sunt, quàm fœlicitatis instrumenta. Nulla autem nec facilior, nec commodior ad vitæ institutionem via reperitur, quàm rerum antè gestarum cognitio, quæ quidem in historia commemorantur & pósteritati consyderandæ proponuntur. Illa enim in eum potissimum finem scribitur, vt aliorum exemplis possint resp. ad fœlicius viuendum institui. Qui historiam non nouit, & antiquitatem, longamqúe seriem annorum, & rerum gestarum non percepit, quid in consultationibus maximorum negotiorum recensere posit, non habet: nihil etiam in promptu, ex quo futuros prospiciat euentus. nihil præstabilius in hac mortali vita à Deo hominibus dari potuit historię notitia, quod magis ad res præclaras agendas excitare, nec, quod vehementius ad virtutis amorem homines pellicere posit. Siquidem bonorum famam, qui vel sapientia, vel fortitudine, vel sanctitate præstare cæteris magno labore conati sunt, veneranda quadam recordatione historia immortalem facit, & rerum, & factorum omnium conseruat memoriam. Ii quos historiarum monumēta complectuntur, quamuis

Historia diuinæ prouidentiæ tuba & administra.

A uis mortales, & obnoxii fatis iam olim pensum absoluerunt, immortalitatis quodammodo fiunt compotes. nam prout turpiter, aut honestè vixerũt, ita malè, aut benè audiunt: actę vitæ ratio, siue sancta & iusta, siue nefaria, aut flagitiosa, obitusq́ue siue fœlix, siue calamitosus, clara historiæ voce prædicatur. Ea sola facit, vt longissima temporis intercapedine à veteribus illis disiuncti, haud secus, ac si illorum gestis interfuissemus, eisdemq́ue vixissemus tẽporibus, res antiquas, & iamdiu peractas tanquam intueamur. Iuuenes sic maiorũ institutis, atque exemplis instruit, vt cum senibus sæpe pru-

B dentia, & rerum cognitione contendere possint: senibus autem ipsis abundè consilia ad remp. sapienter gubernandam suppeditat: omnibus ordinibus & ætatibus consulens, bonos ad virtutem laude & gloria inuitat, improbos à sceleribus pœnæ, atque infamię exemplis deterret. Manifestat mundi initium, propagationemq́ue rerum, initia, & incrementa, gloriam, & calamitates regnorum, monarchiarum seriem, vicissitudines, & mutationes. Quod peregrinatio, ætas diuturna, cognitio rerum multarum, experimentum, consilia, vsus, acumen, peritia in aliquo homine minimè negligenti,

C sed solerti, & cordato, qui iudicii vi omnia intelligat, notet, retineat, efficere poterit: id sanè melius, & verius efficiet historia, quæ & illa omnia complectitur, & tanquam totius hũmanæ vitæ tabula, & speculum est ad prudentiam, & notitiam proposita artibus & disciplinis, quibus hæc hominum communis societas aptissimè retinetur, ingentes adfert commoditates. Philosophos instruit illustrans exemplis, quæ honestæ vitæ præcepta suadent, & in morali Philosophia ineffi cax modus est docendi absque exemplis. nam vt rectè Tacitus: *pauci prudentia honesta à deterioribus, vtilia à noxijs discernunt*. Ora

D tores adornat causis, quas agunt: facta similia suppeditans, quæ rem qua de agitur maximè patefaciunt, quia pro re iudicata, quæ legis instar est, sæpius recitantur. Præterea exempla ex vetere memoria, & monumentis ac literis, plena dignitatis plurimum solent & auctoritatis ad probandum habere, & iucunditatis ad audiendum: nec iis carere potest orator, ordo enim rerum gestarum, veterisque memoriæ ciuitatum illustrium, regum, imperiosorum populorum ipsi tenendus, quod qui præterita norit, idem & futura, & præsentia sit fa-

cilè cogniturus, cum vnus sit semper rerum humanarum cursus, atque processus. Poetas illustrat: cum enim eorum scopus, ac propositum sit, vt delectatione animos legentium compleant, & detineant, nihil ad delectationem aptius, nec commodius reperiri potest, quàm temporum vicissitudines, & Fortunæ varietates velut spectandas proponere, quæ non aliunde, quàm ex historia peti possunt. Ea docet, & declarat priuatos, & abiectę sortis homines regios conscendisse thronos, contrà tyrannos fastu turgidos, & omnes præ se despicientes ad ima deiectos: vnde facilè liquet, quòd poetici apparatus fons, & origo historia est. Grammaticos informat, quia cum dictionum genuina significatio sit à rerum gestarum scriptoribus petenda: prorsus cęcutiet grammaticus vel abunde præceptis, & regulis instructus, qui à legenda historia abhorruerit. Mathematicæ artes & medicina historiæ ope carere non possunt: nam cum nisi longa experientia, & diutina obseruatione non coaluerint, neque percipi possint, historiæ cognitione destitui non debet, qui in earum cognitione cupit excellere. Iurisprudentiæ maximum lumen adfert: nam quo tempore, à quibus hominibus, & quibus de causis latæ fuerunt leges, ad eas intelligendas non parum iuuat. Præterea iureconsultus nisi formam, & consuetudinem iudiciorum, & rerump. nisi ordinem, & discrimina magistratuũ ex historiis didicerit, nisi infinitam casuum varietatem legibus ex veteribus historiis adiunxerit, nisi historiam pro magistra & duce habuerit prudentię politicæ, quæ formet, ac ceu norma dirigat iudicia, sæpe hallucinabitur, & impinget, aut coniecturis potius, quàm rationibus ducetur. Docentibus in Ecclesia tam necessaria quàm vllis aliis. Quid enim magis necessarium theologo, quàm vt sciat, non solum quæ fuerit Ecclesia; qualis doctrinę forma in ea; quæ iudicia; qualis gubernatio; quæ censura Ecclesiastica, & disciplina; quæ rituum, & exercitiorum consuetudo: sed etiam qui errores in Ecclesiam, & quando irrepserunt. Plurimum etiam ad plerasque controuersias Ecclesiasticas rectè diiudicãdas antiquitatis notitia, & veterum synodorum acta, & iudicia conducunt: nec prophanæ historiæ cum prophetica doctrina, aut lege diuina prorsus dissentiunt, quin potius lumen diuinis scriptis in multis adferunt: nam quod prophetia vel lex præcauendum docet tanquam exitiale fu-

A turum, historiæ prophanæ monstrant admissum nocuisse, & comminationes diuinas numquam fuisse irritas. Harum lectionem Ecclesiæ perutilem declarat Augustinus de Doctrina Christiana libro secundo: *Quicquid* (inquit) *de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimum nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discantur.* Narratione historica cùm præterita etiam hominum instituta narrantur, non inter humana instituta ipsa historia annumeranda est, quia quæ iam transierunt, nec infecta reddi possunt, in ordine temporum habenda sunt, quorum conditor, B & administrator Deus est: non disciplinis tantùm necessaria deprehenditur historia: sed in omni vita hominum. In contractibus enim, artibus mechanicis, colloquiis familiaribus, atque in omnibus hominum congressibus quid nouum, & quid vetus, indagatur. Ex historia discere licet initia, inuentiones, & progressiones artium, quæ nationum propria instituta, ad quæ vitia vnaquæque gens pronior sit, quæ peculiaria quælibet tellus gignat, quæ rara, & præcellentia sunt in quibus locis reperiantur, populorum origines, & migrationes, quæ in colloquiis hominum sæpe in disquisitionem veniunt. C Inter omnes autem vtilitates quæ ex historia percipiuntur, hęc inter insignes & præcipuas, quòd præclarorum virorum laudes celebret, & sceleratorum dedecora publicet: hoc enim pacto alios ob immortale decus assequendum ad virtutem extimulat, alios infamiæ metu à male agendo deterret. Item quòd rebus gerendis prouidentiam, & cautionem adfert: imperiti rerum, qui vniuscuiusque negocii de rebus antè gestis exempla petere non possunt, per imprudentiam facilè deducuntur in fraudem: at ii, qui sciunt, quid aliis acciderit, facilè ex aliorum exemplis suis rationibus possunt prouidere. Cùm D autem non ciuilis vitæ modò historia magistra sit, sed etiam Christianæ, vt quę continet verę agnitionis Dei, & totius nostræ religionis fontes: quid vtraque historia, Ecclesiastica scilicet, & ethnica vitæ hominum conferat, & quid peculiare doceat, consyderare non inutile erit. In ethnicis historiis series monarchiarum, & præcipuorum in mundo regnorum notanda venit, agnoscenda testimonia præsentiæ Dei in constitutione monarchiarum, quia solis humanis viribus constitui, & retineri non potuerunt: diuinitus itaque constitutas agno

fcere oportet, vt essent custodes humanæ societatis, coniungerent multas gentes, restituerent leges, iudicia, pacem. In mutationibus regnorum, & tyrannorum pœnis conspicitur iudicium iustum Dei, & ira eius in scelera, conspicitur mutabilitas & instabilitas rerum humanarum, nec quicquam bonæ menti iucundius esse potest, quam totius humani generis ortum, atque propagationem, & temporum omnium, ac monarchiarum seriem, & omnes mundi mutationes in historiis expositas intueri, ac in conspectu assiduè habere: ostendunt historiæ Ecclesiasticæ, ærumnas Ecclesiæ & testimonia præsentiæ Dei in liberationibus. In contentionibus, & pugnis Ecclesiasticis prodest annotare, & perpendere vbi rectè iudicatum sit, & vbi veritas factionibus hypocritarum oppressa: quia interdum hoc quoque accidit, vt diligens, & sagax ad defensionem sui nequitia, & malitia semper est. Vera autem & certissima methodus legendæ historiæ ei, qui vtiliter in ea versari cupit, est, vt vniuersam aliquam epitomen legat diligenter, & attente, vt vno velut intuitu cōplecti, & tanquam in vnum corpus redactam vniuersalem mundi historiam animo comprehendere queat. Vt enim in cæteris artibus initio summa totius doctrinæ in compendium contracta rectissimè discitur: sic in historiarum etiam lectione principio epitome breuis, seu chronicon complectens seriem omnium temporum, imperiorum, & præcipuarum generis humani mutationum commodissimè assumitur. Temporum mundi & regnorū omnium, ac historiarum series in chronologia Funccii aptissimè distributa est, & omnium doctorum iudicio historiæ candidatis diligenter euoluenda. Philippicum etiam chronicon illis familiare esse debet, Est enim non solum vtile ad seriem temporum cognoscendam, & quid maximè notatu dignum in qualibet ætate in Ecclesia & extra Ecclesiam actū sit: sed etiam quia historias Ecclesiæ, & imperiorum singulari iudicio electas sapientissimè & vtiliter accommodat ad locos communes, & regulas legum, suauissimasque gnomas interserit, quæ omnium hominum vitæ, consiliorum, & actionum normam continent. Duo oculi in lectione historiarum tanquam in vasto pelago viam tutam, & certum iter deligentes, ac designantes esse dicuntur, locorum accurata cognitio, & temporum distinctio diligens: hæc chronologia, illa topographia

Legendæ historiæ methodus.

A B C D

A graphia nominatur. Regnorum, & locorum, in quibus res gestæ memorantur, situs, & interualla ex tabulis geographicis facilimè cognosci possunt. Prouinciarum omnium breuem declarationem Pomponii Melæ cosmographia dabit. Qui sine temporum ratione historias intelligere se posse putãt, perinde falluntur, ac si labyrinthos erroris sine duce euadere arbitrentur. Temporum doctrina omnium dux historiarum, quia quando nationum res gestæ conditæ sunt, bella suscepta, fœdera inita: quando quid fortunatum, aut calamitosum acciderit, notare oportet qui historias cum fructu euoluere B voluerit. Illarum potissima pars in temporum disciplina posita. Qui rerum itaque gestarum causas, consilia, euentusque rectè notarit, atque perspexerit: vt aptissimè omnia coniungat, rerum ordinem sequi debet, & eas digerere prout sunt gestæ. Post cognitum breue chronicon, Series annorum in conspectu sit: ex quibus perpetua mundi historia à prima eius conditione ad nostram vsque ætatem deducta sumi, & cognosci potest. Primus omnium Moses est legendus: nullus eo antiquior historicus. liber postea Iosue, & Iudicum, quattuor libri regum. Post illos Herodotus assumendus, orsus enim est C historiam suã, vbi prophetica desinit. post Herodotũ Thucydides post hunc Xenophon. his si addantur Diodorus Siculus, Liuius, Appianus, Suetonius, Tacitus, Dion, Lampridius, Trebellius, Herodianus, Marcellinus, Procopius, Agathias, P. Diaconus, Euagrius, Zonaras, Nicetas, Gregoras, Chalcondyles, Haythonus, Iornandes, Blondus, Sabellicus, P. Iouius, Guicciardinus, Osorius, Hortẽsius, Sigonius, Continua maximarum rerum series, quæ in mundo acciderunt, recte cognosci poterit. Post vniuersalem perlectam, nationis quæ maximè arriserit res gestę commodissimè euoluentur, pa D tria autem historia multis nominibus cæteris videtur anteferenda: siquidem ridiculum videtur foris multum sapere, domi prorsus ignarum esse, nec antiquitati ita desudandum videtur, vt nostrorum temporum historiæ negligantur. Dionysius Halycarnasseus reprehendit eos, qui veterum scripta plus æquo admirantur, suam ætatẽ aspernati. In Anglica historia Polydorus, quia totam historiam pertexuit, cæteris videtur præferendus. Galfridus, Gildas, & Beda si addantur, rem magis illustrabunt. In Anglico idiomate Fabrianum Gallæo

prætule-

prætulerim. In Polychronico etsi quædam fabulosa reperiantur, tamen eius lectio non videtur inutilis: continet enim multa antiqua lectu nõ iniucunda. Ex Francicarum rerum scriptoribus Aemylius hucusque prę cæteris, qui Latinè scripserunt, laudem tulit. In Gallica lingua annales Girardi aliorum famã obscurant. Froissardus, Monstreletus, atque Commineus lectu dignissimi: hic Franciæ regni inexhaustas opes, & regum fœlicitatem demonstrat: illi Gallicæ nobilitatis in grauissimis periculis constantiam, & inuictam animi fortitudinem ostẽdunt. Ex Germanicis historicis multorum iudicio Abbas Vrspergensis, & Auentinus inter omnes seligẽdi videntur. In rebus Italicis post dilaceratum Romanum Imperium neminẽ Blondo pręferri video. Vbi factũ aliquod in historia recitatur, excutiendum est an iustum, bonum, æquum, & rectum sit, vt ad laudem iure referatur, & ad exemplum rite trahi possit. non enim ita blandiri nobis ipsis debemus, vt eorum, quibus fauemus, errata aut approbemus, aut excusemus: quæ enim turpia sunt, honestatis titulo nequaquam ornari debent, & amicitia vitiorum dissimulatrix esse non debet. Accuratè itaque notandum quid rectè, aut turpiter actum, dictumúe sit, vt alterum fugiamus, alterum amplectamur, tum quid quoque tempore acciderit, diuersis locis atque nationibus. In notandis autem temporibus, populorum ingeniis, moribus ciuitatum, in animaduertendis rerum causis, consiliis, actis, & euentis, in discendis excellentium hominum factis colligenda quæ facetè, grauiter, & sapienter dicta sunt, quæ piè, iustè, & fortiter gesta, vt ad elegantiam doctrinæ & imitationem virtutis, fugamque vitiorum inseruire possint. Ad hæc vero cum omnes historiæ conferre possint, nulla magis vtilis, quàm Romana. nam Romanorum respub. diuturnitate, atque amplitudine imperij, rerum domi forisque gestarum magnitudine, bellorum ingentium periculis, varietateque fortunæ cæteras omnes vincit: atque ideo copiosam in omni genere negotiorum, & causarum materiam suppeditabit. Non parum etiam iuuabit in hoc studio, si veterem historiam cum recenti conferamus. in ea enim collatione multa similia in vitiis & virtutibus deprehendentur. dissimilia item multa, in quibus nostra ætas ab antiquitate sæpius vincitur, in paucis vincit. Exempli gratia: Antiqui militari disciplina, vario instrumento bel-

A to bellico, diuitiis, copiarum apparatu, fortitudine animi, & corporis, & victoriarum prouentu posteris gloriam praeripuere: in nauali autem arte, & vrbium expugnationibus aetas nostra antiquitati non cedit.

Non minus vtile erit gentem cum gente conferre, sicuti Plutarchum in Vitis, & Parallelis fecisse videmus, praecipue in re bellica: nihil equidem in historia illustrius, nec communius, quàm bellorum motus. In ijs autem atrociora & celebriora diligenter sunt notanda cum illorum causis, progressibus, & euentis: vt in annalibus Anglorum nullum illustrius bellum narratur Gallico. In annalibus Francorum, nullum B celebrius Saracenico. In Germanorũ, nullum clarius, quàm quod cũ Romanis, & Italis gessere. In Romanorũ historia nullũ maius, nec difficilius, Punico. In rerum gestarum narrationibus, vt praeliorum ac pomparum descriptiones notandae sunt, ita personarum illustrium naturae, ingenia, voluntates, mores, negotiorum causae, & occasiones, item consilia prudenter, vel secus instituta, & in primis intextae orationibus sapientissimae deliberationes, ad omnia Reip. & vitae priuatae consilia recte gubernanda vtilissimae. Item exempla virtutum, & imagines C bonorum, & praestantium virorum, quorum consilia, studia, dicta, facta pro nostra vocatione, & ordine imitemur. Notare etiam oportet, in qua re vnaquaeque natio antecellit, nulla enim tam praeclarę famae gens reperitur, quae rebus omnibus praecellentior caeteris fuerit. sed cum in quibusdam pręstantior conspecta sit, in aliis inferior habita est: vt olim Baleares funda, Scythae sagittis celebres fuere: Parthi equitatu, Romani peditatu valuere: nostra aetate Germani & Angli in statariа pugna celebrantur, Itali, Galli & Hispani in tumultuariis praeliis meliores aestimantur: & in Gallis impetus, in Ger- D manis audacia, in Italis generositas & prudentia, in Hispanis astutia, in Anglis alacritas contra hostes probatur. Ex cõmixtione autem rerum, similitudine ac differentia accidit, vt nemo sit, qui ea legens, singularem non capiat voluptatem & fructum ex historia. Postea ex singulis historicis quae maximè memorabilia recitant, accuratè notanda: hoc enim praecipuè salubre, ac fructuosum comperitur, omnis exempli documenta insignia animo intueri, vnde nobis, nostraeqúe Reip. quod imitemur capiamus. Quidam exempla, quae notant in histo-

ria ad regulas accommodant: quidã ad locos communes. vtrorumque consilium probandum, & factum imitandum. Regulæ debent cum norma iudicii congruere, & maxime ad animi prudentiam & fortitudinem, atque æquitatem referri. loci cõmunes pro cuiusque arbitrio, ac iudicio colligi solent. & ferè videmus homines pro arte, quam profitentur, locos communes colligere, vt Medici de naturis animalium, plantarum, lapidum, metallorum, aliorumqúe corporum: Iurisperiti de legum causis, earumque latoribus: philosophi de iis, quæ ad mores pertinent. In vniuersum autem quæ politica sunt, quia magis ad communem hominum societatem pertinent, diligentius cuiuis notanda, & conquirenda videntur, & vt vitam cuiusque, & mores melius informant, sic in familiaribus congressibus, & colloquiis magis vsum habent. Sunt, qui ad quattuor generá locos omnes communes historicos commode referri posse putant, nempe ad res naturales, politicas, bellicas, virtutes, & vitia. sub his comprehẽdi quidem possunt omnia, quæ in historiis tractantur, & quodlibet genus in multas sectiones rite subdiuidetur. Quia res vna à variis historiographis non eodem modo narrari solet, fit vt delectus historicorum habeatur. duabus autem præcipue de causis haberi debet, propter orationis contextum, & propter rerum gestarum narrationem. Qui sermone puro, terso, & nitido historiam scribunt, vt in legendo suauiores sunt, ita ad intelligendum faciliores. cuiusmodi scriptores aliis, qui horridum & minus cõptum dicẽdi genus sequuntur, merito præferendi sunt: quales fuere apud Græcos, Herodotus, & Thucydides, apud Latinos Sallustius, & Liuius. Spectantur in claris scriptoribus variæ dotes, omnes quidem egregiæ, & excellentes, vt difficilis diiudicatio relinquatur, quis cui præferendus videatur, nisi pro lectoris affectu, vt non omnes homines eadem voluptate capiuntur. Herodotus suauissimus, Thucydides neruosus, Philistus perfectus, Theopompus elegans, Plutarchus doctissimus, Xenophon dulcissimus habetur. Inter Latinos Sallustius Thucydidi similis iudicatur, Liuius Herodoto, Cæsar tersus & nitidus, Suetonius & Tacitus arguti, graues, & seueri. Post Tacitum qui scripsere, satis ieiuni, & inepti, si prioribus comparentur, fuere: cæterum quoquo modo historia scripta sit, modo veram rerum gestarum memoriam contineat, in precio ha-

A cio habenda: quandoquidem non verborum, ſed rerum, neque vnius alicuius linguæ expoliendæ, ſed mentis erudiendæ hiſtoria inſtituta eſt, & vitæ inſtitutio, quæ ex rebus præclare geſtis petitur, verborum lepori præponenda eſt. Plutarchus in Pericle ſcribit, difficilis inueſtigationis eſſe veram hiſtoriam ſcribere, quòd prioribus ſcriptoribus temporis antiquitas præteritarum rerum cognitionem ſæpe eripiat, & ii, qui æquales ſunt eius, cuius aut vitam, aut acta deſcribunt, vel inuidia & odio, vel amore aſſentationeqúe diſtrahantur à veri ſtudio. Non minus impedit metus vera ſcribere, quàm quæ à
B Plutarcho recenſentur. nam qui authoritate, & potentia valent, ſua errata in vulgus ſpargi nolunt, nec tam de laudibus publicatis ſcriptores compenſare, quam de vitiis euulgatis vlciſci parati ſunt. Quod ſi operoſum & arduum veram hiſtoriam ſcribere, non minus difficile reperietur veracem hiſtoricum dignoſcere. Auguſtinus tamen non inutile documentum tradit, quo hoc fieri poſſe monſtrat. Ipſa (inquit) hiſtoricorũ inter ſe diſſonantia copiam nobis præbet, vt eis potius credere debeamus, qui diuinæ, quam tenemus, non repugnant hiſtorię. de ijs, quæ noſtro tempore accidêre, & de quibus nul-
C lam facit mentionem ſcriptura, ijs potius habenda fides, qui rebus geſtis interfuere, quam ijs, qui audita narrant. Sed cum pauci ſint hiſtorici, qui res quas ſcribunt viderint, qualis habendus delectus in ijs, qui audita tantum narrant, diſpiciendũ. Præferendi cæteris videntur qui proferunt ingenuè à quibus audierunt, qui non parcunt ſuis, eorumqúe errata non minus tacent quàm virtutes, neque à reprehenſione amicorum, neque à laudibus inimicorum abſtinent: minime enim dubia fides eſſe debet eorum, qui de hoſtibus glorioſe geſta confitentur. nec mirum videatur, ſi eoſdem aliquando repræhendat,
D interim etiam laudet hiſtoricus: ſiquidem eoſdem homines neque ſemper rectè facere, neque continuè errare veriſimile eſt. Laudatur Annibal quòd rem ad manus deducere, & alacritate militum vti nouerit. vitio illi vertitur, quòd victoria vti neſcierit. Pugnax animus in Gaſtone Foiſſeio laudatur, inconſulta temeritas in perſequendo hoſte non probatur. Diligenter etiam notandum, cuius factionis hiſtoriographus fuerit: nam ſępenumero pro amore vel odio iudicant homines, & affectus tranſuerſos rapit, vt ſuorum vitia diſsimulent, aut vir-

tutes nimium admirentur Latini ſcriptores qui Bellū ſacrum Bolionij auſpicijs geſtum deſcribunt, expeditionis illius milites tanquam viros fortes, & pios laudant: Græci tanquam impuros nebulones vituperant. Si qua hiſtoria tot teſtes habet, vt refelli minimè poſsit, tametſi videtur incredibilis, magnum præ ſe fert conſenſus veritatis argumentum. Fieri etiam ſolet hiſtoricorum delectus ex gente & natione vnde originē traxere, vt maior ingenuitas & veritatis inquirendæ atque adſerendæ ſtudium in Latinis, quàm in Græcis fuit: ideo difficilius his, quàm illis creditur, cum in re aliqua diſſentiunt. Quin in electione, & collocatione rerum, atque vniuerſi operis diſpoſitione nō omnes perinde gentes valent, habet vnaquęque natio vt in terræ fructibus, ſic in hominum ingenijs ſuas dotes. Galli iureconſultos inſignes, & multos habuere, & in iuriſprudentię ſtudio cæteris orationibus præſtare hucuſque viſi ſunt. Germani in Mathematicis diſciplinis. Itali verò in concinnanda hiſtoria omnibus laudem præripuere: nam vt de Diodoro, Catone, Salluſtio, Cæſare, Liuio, Tacito, Blondo, Sabellico, Pontano, Callimacho, Æmylio, qui ſuos coætaneos cuiuſcunque gentis antecelluere, taceam: noſtra ætate duo Itali hiſtoriam ſcripſere, quibus pares aliæ gentes non dabunt, Guicciardinus, & Iouius: hic eleganter & ſplendide, ille diligenter & grauiter, vterque ſapienter & cum delectu.

CENTVRIA I.

DE PRODIGIIS

Prodigiorum, & oſtentorum mentio frequens eſt apud hiſtoricos, qui cum clades grauiſsimas narrant: prodigia, quæ eas præceſſere, ſilentio prætermittenda non iudicant, tanquam res connexas, & coniunctas: quandoquidem inſignes clades non ſine præcedentibus ſignis euenire ſolent, nec ſigna vnquā vana, aut irrita fuere. Ita enim vſu edocti ſumus, vt cum Deus populorum furores, & immania ſcelera vlciſci decreuit: prodigijs, & oſtentis prænunciet, & quòd euentura quædam præmonſtrent, nomina ipſa indicant: ſicuti eſt ab Auguſtino notatum. Monſtra dicta ſunt (inquit) à monſtrando, quòd aliquid ſignificando demonſtrent: & oſtenta ab oſtendendo, & portenta à portendendo, id eſt præoſtendendo: & prodigia, quod porrò dicant, id eſt futura prædicant. præcipuè verò ijs docemur, nihil in rebus humanis caſu fieri, ſed cūcta quæ accidunt prouidentia diuina adminiſtrari, & vim fati ineuitabilem

De Ciu. D. lib. 21.

A *esse, quam nulla hominum solertia, aut potestas auertere vnquam poterit, vt rectè est à Iosepho dictum, Homines fatum vitare nequeunt, etiamsi preuiderint.*

De Bell. Iud. lib. 7.

POST pugnam ad Pteram æquo marte à Cyro & Crœso depugnatam, Sardis omnia suburbia colubris plena visa, quos equi inter ambulandum, cum ad pascua ducerentur, comedebant. Telmissæ vates super hac re stupenda, & antehac inaudita consulti, responsum dedere, colubrum, terræ filium: B equum, hostem & aduenam significare: eoque portento designari breui Sardenses subactos iri, & eam portenti interpretationem veram esse euentus declarauit. Paulo pòst enim Crœso ipsorum rege deuicto à Cyro, & ipsi in potestatem Persarum venerunt.

Herod. lib. 3.

2 Transgressis omnibus Xerxis copijs Hellespontum, & iter ad subigendam Græciam ingredientibus, equa leporem enixa est: vt coniectura non difficilis fuit, quid ostentum monstraret: ita euentus belli declarauit Xerxi à Deo significatum, quem ambitiosissime & maximo cum strepitu in Græciam C duceret exercitum, ipsum cum duce trepidanti fuga ad eundem locum, quo traiecerat, recursurum.

Herod. lib. 7.

3 Cum Agesilaus in Bœotos exercitum duceret, & sol instar crescentis lunæ falcatus conspiceretur, allatus est nuncius, quo significabatur victos esse nauali prælio Lacedæmonios, classisque præfectum Pisandrum occubuisse. Paulo pòst Thebani ad Coroneam prælio fuere superati.

Xenoph. Gr. hist. lib. 3.

4 Circa defectum Solis Lycophron Phæreus Thessalos, cōtra quos bellum gerebat, prælio vicit. Dionysius Tyrannus Syracusanus ab Carthaginensibus pugna victus, Gelam & D Camariam amisit. Non multo pòst Leontini, qui Syracusis habitabant, defectione ab Hierone facta in oppidum suum sunt reuersi: Samij, & Athenienses Lysandro dediderunt sese.

Xen. Gr. hist. lib. 2.

5 Ante expeditionem Atheniēsium in Siciliam, apud Delphos Palladis aureum simulachrum æneæ palmæ superpositum, stabat, quod Athenienses pro re bene ac fœliciter gesta aduersus Medos posuerant: hoc diebus plurimis corui rostro vnguibusque petentes, quasi lacerare conabantur, ac palmæ fructus, qui ex auro fabricati erant, partim vorantes absum-

ſpere, partim vi conuulſos deiecerunt: quo oſtento non obſcure ſignificatum, gloriam, quam Athenienſes de exteris nationibus retulerant, breui caſuram, & ab exteris inſignem cladem accepturos, ſicuti accidit. *Plut. in Nic.* A

6 Dionyſio Tyranno ante aduentum Dionis, qui eum ex Sicilia expulit, hæc portenta apparuere. Aquila correptum à ſatellite iaculum in ſublime detulit, dehinc in profundum abiecit: mare quod arcem alluebat, die vna dulces & potu peramœnas præbuit aquas. *Plut. in Dione.*

7 Par aquilarum nõ longè à Regia Tarquinij Superbi Romanorum Regis verno tempore nidum conſtruxerat in procerę palmæ cacumine: hunc vultures magno agmine aduolantes diſturbarunt, pulloſquè adhuc implumes enecarunt, ipſaſquè aquilas à paſtu redeuntes à palma, in qua nidus fuerat, roſtris, & crebra alarum concuſsione abegerunt. ingens item anguis è conclaui, in quo cum amicis conuiuabatur, & ipſum, & cõuiuas fugauit. hoc prodigio exterritus Tarquinius diligenter ſibi cauere cœpit: ſed fatum nihilominus auertere non potuit. Paulo poſt enim, patritijs in eum conſpirantibus, regno excidit. B *Halycarn. lib. 4. Zonar. lib. 2.*

8 Cum dimicaturi Romani eſſent cum Sabinis ad Heretum, Menenio, & Poſthumio conſulibus, pridie prælij ex pilis ante tentoria defixis emicantes flammæ viſæ ſunt totis caſtris ſplendorem ad multam noctem reddere. Sabini pòſt in prœlium deſcendentes penè ad internecionem deleti ſunt. C *Halycarn. lib. 4.*

9 Aduerſus Samnites (qui varijs bellis per quadraginta nouem annos Romanos exercuere) profectus Papyrius, cum ab auguribus congredi cum hoſte prohiberetur, quòd prodigia dirum aliquid prænunciarent, prodigijs non territus aduerſus hoſtes mouet, cum quibus congreſſus duodecim millia trucidauit, & tria millia cèpit. Sed paulo pòſt dira peſtis ciuitatem inuaſit, quæ magnam hominum multitudinem hauſit: vnde apparuit nec ſigna irrita, nec vaticinia vana fuiſſe. D *Oroſ. lib. 1.*

10 Anno Vrbis 292. Cœlum ardere viſum, terra ingenti motu concuſſa eſt, bos loquuta, carne pluit, quem imbrem ingens numerus auium volitando rapuit: ſed qui in terram decidit, per aliquot dies ita iacuit, vt odorem non mutaret. ſeditio propter legem Terentillam ſequuta eſt, exules, ſerui-

quẽ

A quę ad quatuor millia duce Appio Herdonio Sabino nocte Capitolium, atque arcem occupauere.

Liu. dec. 1. lib. 3.

11 Eo anno, quo in exilium actus est Coriolanus, multis prodigijs vrbs territa est. nam & spectrorum nouæ facies multis apparuere, monstrosi ac vix credendi partus hominum, & pecudum prodierunt, & fanaticæ mulieres vrbi infortunium venturum occinerunt. Tunc dira lues homines & pecora inuasit, & Volsci moto bello circumiectum agrũ Romæ omni clade adflixere, & vrbem ipsam in maximum discrimen coniecere.

Polyb. lib. 9.

Polyb. lib. 8.

B 12 Anno vrbis 460. pugnantibus Romanis contra Samnites, coruus clara voce occinuit: quod augurium vt Romanis faustum, ita ipsorum hostibus calamitosum visum. Cæsa enim sunt ex Samnitibus ad Aquiloniam eo die triginta millia trecenti quadraginta: capta tria millia octingenti septuaginta, signa militaria nonaginta septem relata. Ad Comminium abiectis armis ad quindecim millia hominum & quadringenti in fidem consulis Romani venerunt: cæsa ad quattuor millia: qui subsidio veniebant metu consternati fugam capesserunt, ex quibus ducẽti & octoginta interfecti à Roma- C nis equitibus, qui in nouissimo agmine erant. signa militaria duodeuiginti relata.

Liu. dec. 3. lib. 10.

13 Circiter annum vrbis 604. boues duo domiti in Carinis per scalas peruenere in tegulas ædificij Terracinæ, & Amiterni lapidibus pluisse nunciatum. Bellum posteà graue aduersus Ligures & Boios exarsit, & Antiochum Syriæ regem.

Liu. dec. 4. lib. 6.

14 Cum descendenti ab Alpibus Annibali prælio resistere vellent Romani, ad Ticinum Lupus intrauit in castra, laniatisque obuijs ipse intactus euasit: & examen apum in arbore prætorio proxima consedit: quod ingentes clades, quas An- D nibal Romanis intulit, ipsiusque in Italia securitatem non obscurè significauit.

Dec. 3. lib. 1.

15 Ante pugnam ad Thrasimenum lacum in Sardinia circumeunti vigilias equiti, scipio, quem manu gestabat, arsit: & in Sicilia militibus aliquot pila, & maris littora crebris ignibus fulsere, & scuta duo sanguinem sudarunt, nonnullique milites fulminibus icti: solis orbis minui visus, & Præneste ardentes lapides cœlo cecidere. Arpis palmæ in cœlo visæ, pugnansque cum Luna Sol, & Capenę duæ interdiu lunæ ortæ.

Dec. 3. lib. 2.

16 Ante

Dec. 3. lib. 2.

16 Ante Cannensem pugnam in Auentino & Aricia lapidibus pluit, & multo cruore signa in Sabinis conspersa sunt.

17 Eo anno, quo in locum Marcelli suffectus ad consulatum fuit Fabius Maximus, mare arsit: ad Sinuessam bos equuleum peperit: Signa Lanuuij ad Iunonis Sospitę cruore maduere, lapidibusque circa id templum pluit. Paulo pòst Philippus Macedonum rex sese cum Annibale contra Romanos fœdere iunxit. Sardinia atque Hispania maximas clades passæ sunt

Dec. 3. lib. 3.

18 In Apulia, quo tempore Annibal in Italia post Cannense prælium erat, palma viridis arsit: hasta Martis Pręneste sua sponte pronata: bos in Sicilia loquutus: infans in vtero matris in Marrucinis, Io triumphe, clamauit: ex muliere Spoleti vir factus: Hadriæ ara in cœlo, speciesque hominum circum eam cum candida veste visæ: postea Brutij, Lucani, Numidæ, & Mauri iuxta Luceriam infœliciter cum Graccho Rom. duce cõflixere, vix duobus millibus ex septemdecim elapsis, & Annibal varias clades à Marcello accepit. In Hispania quinque prælijs Pœni à Cn. Scipione fuere superati.

Dec 3. lib. 3.

19 Cum Marcellus in Sicilia erat, in Albano monte biduũ continenter lapidibus pluit. Reate saxum ingens volitare visum. Sequuta est per proditionem Tarenti vrbis occupatio, & Romani præsidij in ea cædes, ab Annibale.

Dec. 3. lib. 5.

20 Post expugnatam à Romanis Capuam, in foro Suderti-no sanguinis riuos per diem totum fluxisse, & Eneti lapidibus pluisse, & Reate mulam peperisse memoriæ proditum. Sequutum incendium, & vastationes maximæ ab Annibale in ijs locis, quæ tueri nequibat.

Dec. 3. lib. 6.

21 Cum Romani bellum contra Antiochum cogitarent, sex hœdos vno fœtu ædidit Piceni capra, Formijs porta murusque de cœlo tactus, & bos loquutus, Roma caue tibi. Post hęc Tyberis infestißimo impetu illatus vrbi duos pontes, & ædificia quàm plurima deiecit, multa in agris paßim inundata fuere, pecora vi aquarum ablata, villarum strages miserabilis facta

Liu. dec. 4 lib. 4.

22 Sub secundum bellum punicum Romæ bos humana voce loquutus, & alius ludis Romanis ex ædibus se in Tyberim præcipitauit ac perijt: sanguis tum è statuis manauit, tum è militis cuiusdam clypeo, alterius ensem lupus aduenIens ex improuiso in ipsis castris rapuit, & asportauit.

Zonar cõm. 2.

23 Pau-

A 23 Paulò ante pugnam Furij & Flamminij consulum contra Insubres, in Piceno flumen sanguine manauit, & in Hetruria magnus cœli tractus ardere visus, & Arimini lux noctu instar diei fulsit, & alibi in Italia tres Lunæ noctu apparuere, & vultur in foro per dies complures sedit. *Zonar. an. 2.*

24 Quo tempore Posthumius Albinus cum omni exercitu à Boijs cœsus est, bos equum peperit, & flãma è mari emicuit. *Zonar. an. 2.*

25 Paulò post euersam Carthaginem, per totam Africam immensę locustarum multitudines coaluere, cunctas fruges herbasque omnes, & folia arborum cum teneritudine ramo-B rum consumpsere: pòst repentino abreptæ vento, atque in globos magnos coactę, diuque per aera portatæ, Africano pelago immersæ sunt. Harum cùm immensos aceruos fluctus longè per extenta littora propulisset, tetrum ac pestiferum odorem tabida ac putrefacta congeries ita exhalauit, vt teterrima inde pestis oborta sit, quæ non homines solùm, sed aues, & bestias inuasit. In Numidia, in qua tunc Micipsa rex erat, octingenta millia hominum: circa oram maritimam, quæ Carthagini & Vticæ adiacet, supra ducenta millia: & apud Vticam triginta militum millia, quæ ad pręsidium Africę or-C dinata erant, ea lue consumpta fuere. *Oros. lib. 5.*

26 Cùm bellum Macedonicum in expectatione esset, C. Petilio & C. Valerio consulibus, bos in Campania loquutus: in Veienti agro biceps natus puer, & Sinuessæ vnimanus, & Oximi puella cum dentibus: arcus interdiu sereno cœlo visus: super ædem Saturni tres simul soles effulserunt, Ceritesque anguem in oppido suo iubatum aureis maculis sparsum se vidisse retulerunt: Lanuuij classis magnę species in cœlo visæ, & Priuerni lana pulla terra enata: in Gallico agro qua inducebatur aratrum, sub glebis pisces emersisse constabat. *Liu. dec. 5. lib. 2.*

D 27 Cœpto bello Macedonico, Anaginę fax in cœlo conspecta: bos fœmina loquuta: Reate imbri lapidauit: Cumis in arce Apollo per tres dies totidemque noctes lachrymauit: sequuta amissio quorundam oppidorum in finibus Macedoniæ, cum Romanorum ac sociorum clade, postea destructio regni Macedonici. *Liu. dec. 5. lib. 3.*

28 Paulò ante bellum contra Perseum in area Vulcani, & Concordiæ sanguine pluit, & Lanuuij simulachrum Iunonis Sospitæ lachrymauit. *Liu. dec 4. lib. 10.*

29 Ante bellum sociale cuncta animalia humanis vsibus subdita, canes, equi, asini, boues subitò efferata, relictis dominorum tectis libera, ferarum more in syluis & campis vagari cępere, & à dominio hominis se subduxere. A

Aug. de ciuit. lib. 3. Oros. Nauclerus.

30 Ingruente Syllano bello, mulam peperisse, & mulierem prægnantem viperam pro infante ædidisse memoriæ proditum: terræ etiam motus concussit vrbem, vnde templa aliquot prostrata sunt, & Capitoliũ fortuito igne conflagrauit: sequuta ex nefario bello Italiæ vastitas, vrbis euersio & Reip. interitus.

Appian. bell. ciuil. lib. 1.

31 Ante seruile bellum Romæ ex ancilla natus puer quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, natura virili duplici: in Sicilia Ætna vastos ignes eructauit: in Bononiensi agro funges in arboribus natæ sunt. B

Nauclerus.

32 Lucio Scipione, C. Norbano coss. inter Capuam & Vulturnium ingens signorum sonus armorumque horrendo clamore auditus, ita vt viderentur duæ acies concurrere per plures dies: quæ pugna vbi destitit, vestigia quoque velut hominum & equorum, quanta de illo conflictu exprimi poterant, inuenerunt. Sylla statim ex Asia in Italiam reuersus, cum illis consulibus qui Marianarum partium erant, conflixit: & magnam Italiæ vastitatem fecit. C

App. b. c. lib. 1. Aug. de ciuit. 2.

33 Paulo ante ciuilia Romanorum bella, sub ortu solis globus igneus à Septẽtrione cum maximo cœli fragore emicuit. Apud Aretinos in conuiuio è panibus cruor quasi è vulneribus corporum fluxit: per septem dies continuos grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, latißimè terram cooperuit. In Samiæ partibus è vastißimo terræ hiatu flamma prorupit, & vsque ad cœlum extendi visa est.

Abbas Vrsp.

34 Paulò antequam Cæsar traiecto Rubicone Romanum Imperium aggrederetur, pluit sanguinem: deorũ simulachra sudarunt: plurima templa è cœlo tacta fuere: mula peperit: quæ Reip. mutationem, quæ postea accidit, cum maxima hominum strage non obscurè significarunt. D

App. b. c. lib. 2.

35 Post mortem Cæsaris bos in suburbano Romæ ad arantem loquutus est, frustra se vrgeri, non enim frumenta, sed homines breui defuturos. Id portentosum vaticinium irritum non fuit: siquidem ciuile bellum quod insequutum est, omnia bella quę pręcesserãt & numero & atrocitate cladiũ superauit.

Abb. Vrsp. Nauclerus.

36 Ante

A 36 Ante pugnam in Philippicis campis, à Bruto & Caſsio malê depugnatam, Romæ ſol augeri, ac poſtea minui viſus eſt: aliquando etiam nocte emicuit: faces aliò, atque aliò ſaltare viſę: clangor tubarum, ſonitus armorum, clamores exercituũ, ex vicinis ad Tyberim ædibus Cæſaris & Antonij exauditi: mula monſtrum peperit, anteriori parte equo, cætera mulo ſimile.

Zonar. an. 2.

37 Cũ Romanę acies hoſtiles Bruti & Cæſaris diu in mutuo conſpectu immotæ ſtetiſſent, aquilæ duæ in campo inter acies medio viſæ, quæ inter ſe acerrimo impetu decurrêre, & vehementibus roſtrorum, vnguium & alarum ictibus depugnarunt, ſpectante pugnam ſub ſignis vtroque exercitu: demum fugiente quę à parte Bruti ſteterat, clamor à Cæſarianis ſublatus, & ſigna collata ſunt: congreſſus ſuperbus & immitis, è quo Cæſar victor diſceſsit.

B

App. b. c. lib. 4.

38 Poſt fœdus initum à Cæſare, Lepido, & Antonio, canes luporum more vlulatus ædidere: lupi per forum diſcurſarũt: bos vocem emiſit humanam: infans recens natus loquutus eſt, ex ſimulachris nonnulla ſudorem emiſere, alia ſanguinem, hominum immanes voces, armorum ſtrepitus, equorum curſus auditi, imbres lapidei è cœlo miſsi: frequentia fulmina in templa ſtatuaſque deciderunt: poſtea cædes, proſcriptiones, vaſtationes, & direptiones per vniuerſam Italiã ſequutæ.

C

App. lib. 4. b. c.

39 Antonio & Lepido cũ Octauio Cæſare reconciliatis hisce conditionibus, vt Lepido Romę atque Italiæ cuſtodia relinqueretur, & Antonius & Cæſar bellum Bruto, & Caſsio inferrent, Romam properantibus illis, tabernaculo Cæſaris aquila inſedit, quæ duos coruos irruentes, & pennas aliquot ei euellere conantes, occîdit. Hoc augurium Cæſari victoriam contra duos collegas, comprobante euentu, portendere viſum.

D

40 Ante prelium Actiacum, in quo Antonij potentia tota côncidit, in regia Cleopatræ naui, quę Antonias nominata erat, hirundines nidum ſub puppe ſtruxerunt, quem peregrinæ volucres nidificantibus fugatis euerterunt. Commiſſo poſtea nauali prœlio, claſsis Antonij in fugam verſa, vnde Cæſar victor euaſit.

Zonar. an. 2. Sabbell. en. 6. lib. 8.

41 Imperante Tiberio, immenſi montes ſubſedere: & viſa in arduo, quæ plana fuerant: & inter ruinam ignium flam-

mæ effulſere. Paulò pòſt Tarfarinas in Africa multa damna dedit: in Thracia bellum ciuile ortum, in Gallia ſeditio: Tyberius in ſenatores & optimates ſæuijt, Friſij in Romana præſidia bellum mouerunt.

Tacit. lib. 4.

42 Ante mortem Claudij Imp. ſigna & tentoria militũ arſere faſtigio Capitolij examen apum inſedit: biformes hominũ partus, & ſuis fœtus editus, cui accipitrum vngues erant. ſequutum Neronis imperium, qui ita nequiter & ſcelerate vixit, & Remp. ita adflixit, vt verè portentum generis humani cognominatus ſit.

Tacit. lib. 12.

43 Ante diras clades, quæ in Anglia imperante Nerone acciderunt, victoriæ ſimulachrum Camuloduni retrò conuerſum, quaſi cederet hoſtibus: Oceanus cruento aſpectu fluxit, & humanorum corporum effigies littoribus relictę ſunt. Paulò pòſt Inſulanorum motu perculſi, veterani Rom. milites templum quoddam occuparunt, vbi omnes ad vnum interfecti ſunt. Inde legio nona, quæ auxilio venerat, fuſa protritaqúe eſt, cæſa ex imbelli multitudine, quæ Rom. fauebat, ad ſeptingenta hominum millia: Britanni pòſt conſerto cum Romanis prælio ſuperati ad octoginta millia amiſere, & duram ac miſerandam ſeruitutem ſibi adſciuere.

Tacit. lib 14.

44 Eodem imperante, talis ventorum procella in Campania excitata eſt, vt paſsim villæ, arbuſta, fruges diſiectæ, & vaſtatę fuerint: pòſt ſęua peſtilentia oborta Romæ, quæ omne mortalium genus depopulabatur, nulla cœli intemperie, quę occurreret oculis: domus autem corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur: non ſexus, non ætas periculo vacua: ſeruitia perinde, ac ingenua plebs raptim extinguebantur. inter coniugum, & liberorum lamenta, qui dum aſsidebant, dum deflebant, ſæpe eodem rogo cremabantur.

Tacit. lib. 16.

45 Otho, qui Galbæ ſucceſsit, ad bellum cùm profecturus eſſet aduerſus Vitellium, Tiberis prodigioſo auctu vrbem, & circumiecta loca inundauit, ſublicio ponte in præceps acto: ſtatua Cæſaris in Tyberina inſula claro tranquilloqúe die ab occaſu ad ortum ſe vertit: & in Hetruria loquutus eſt bos. Illud bellum quod & aliud attraxit, vniuerſam Italiam vaſtationibus, cædibus, ruinis, & Romam maximè defœdauit.

Sab. en. 7. lib. 2.

46 Tempore Antonini Pij puer biceps natus eſt, & vno partu mulieris quinque pueri æditi: viſus eſt in Arabia iuba-

tus

A tus anguis, qui se à cauda medium comedit: sequuta sunt tempora periculosa sub Commodo, Seuero, & Basſiano. *Iul. Capitolinus.*

47 Defecit sol sub Gordiano ita insigniter, vt tenebris terræ inductis nihil interdiu prorsus agi posset, nisi luminibus accensis: terra etiam adeo horrendè concussa, vt vrbes quædam subito hiatu sint cum populis absorptæ. Pòst Imperium Romanum sub Philippo, Decio, Gallo, Valeriano, grauissima mala passum. *Sab. en. 7. lib. 7.*

48 Tempore Commodi Imperatoris, stellæ per diem continuum apparuere, quædamq́ue ex ijs in longum productæ, B medio quasi aere suspensę videbantur: pacis templum fortuito incendio consumptum, quod vnum scilicet ædificium maximum in vrbe fuit, atque pulcherrimum: plurima quoque & pulcherrima vrbis ædificia conflagrarunt: pluresq́ue dies peruagatum incendium non prius sedatum, quàm repentinis imbribus extingueretur: ac portendi bella consumpto pacis templo plurimi arbitrati sunt, quod euentu posteà verissimũ comprobatum est: sequuta enim sunt grauissima, & atrocissima: & Imperatoris sæuitia multos senatores sustulit. *Herodian. lib. 1.*

49 Imperante Constantino tantus fuit solis defectus, vt meC ridie stellę viderentur, & in Melitena omnis generis angues visi sunt, qui pugna commissa se inuicem peremêre. sequutus est Iudæorum tumultus: tredecim vrbes in Cãpania motu terræ prostratę: Arrius ab exilio reuocatus magnas tragœdias excitauit: post ipsius Constantini mortem, filij bellum inter se gessere, & Persę graui bello Romanos fatigarunt. *Zonar. to. 2.*

50 Tempore Leonis Magni, per dies quadraginta sub vesperam visa est nubes in tubæ speciem formata. posteà regnarunt Zeno & Basiliscus, fœdissimi Imperatores, & Calcedonense concilium tyrannico edicto abrogatum. *Zonar. an. 3.*

D 51 Anno domini trecentesimo vigesimoquinto, terra adeo vehementi motu concussa, vt duodecim oppida in Campania procubuerint: sol tanta obscuritate luna orbem subeunte infectus est, vt stellæ interdiu perinde ac noctu micuerint. Sequuta est translatio sedis imperij à Roma Constantinopolim, & propagatio Arrianismi cum grauissima persequutione in eos, qui veram, & orthodoxam christianæ religionis doctrinam profitebantur. *Sigon. de occid. imp. lib. 10.*

52 Paulò ante Alarici aduentum in Italiam, insignes solis &

lunæ defectiones inciderunt, & stella crinita conspecta fuit, quæ ab ortu solis versus aquilonem profecta euanuit: & grandines inusitatæ magnitudinis è cœlo ceciderunt: & loca multa fulminibus tacta fuere. Multis in partibus fœda incendia ædificiorum casu euenere, ac duo lupi in campum, dum Honorius Imperator equestri in decursione occupatus erat, venerunt, qui occisi & exsecti manus duas humanas ex ventre emiserunt, vnus dextram, alter sinistram.

Sigon. de occid. Imp. lib. 10.

53 Anno domini quadringentesimo quadragesimo tertio, in Illyrico & locis finitimis tanta niuis altitudo fuit, vt vix sex mensibus liquefacta, ingentem hominum pecudumque multitudinem ipsa frigoris atque rigoris asperitate necarit: sequuta horribilis totius ferè Europæ vastatio per Attilam. Paulò etiam ante ipsius in Italiam aduentum tres ingentes lapides è cœlo cecidêre.

Sig. de occid. Imp. lib. 13.

54 Anno quadringentesimo sexagesimooctauo, Tolosæ in media vrbe sanguis è terra repente ita prorupit, vt integro die cum incredibili omnium stupore manarit. Sequentibus annis multum sanguinis à Gotthica gente effusum est, & præsertim ab Eurico Gotthorum rege in Gallia, qui in fines Romanos inuectus, agros ciuitatum vastauit, & Ecclesias atque eorum episcopos maximè adflixit, neque ex omnibus Gotthicis in Gallia bellis vllum hoc asperius fuit.

Sigon. lib. 14.

55 Cùm Saraceni prædabantur Gallias, cometæ duæ in cœlo apparuere quattuordecim dierum spacio, vnus videbatur manè ante solis exortum, alter post solis occasum, qui flammei atque micantes Aquilonem spectabant. sequutum memorabile illud prælium ad Turones, quo tota illa fœda colluuies barbarica debellata est, & multa damna, quæ ipsorum socij in Narbonensi Gallia dedere.

Girardus

56 Paulò ante Longobardorum aduentum in Italiam, apparuere in cœlo igneæ acies, non obscurè significantes vastationes & cædes, quæ ab illa noua gente in nobilissima Imperij prouincia postea æditæ sunt.

Abb. Vrsp.

57 Circiter annum septingentesimum quinquagesimum, in Mesopotamia terra disrupta est ad duo milliaria: mulus humana voce loquutus: cinis de cœlo cecidit: fuere & terræ motus mirabiles Paulò pòst regum Francorum innouatio facta est, & ad nouam stirpem regia dignitas translata; regni Longobar-

A gobardini excidium sequutum: Imperium Romanum à Græcis ad Francos translatum.

58 Circa annum septingentesimũ vigesimum secundum, prope Asiæ minoris littora terra in fundo maris ita arsit, ut primò fumus ex eo incendio: deinde tanta pumicum accensorum copia supra aquas natarit, vt monticuli in mari nati viderentur, quibus postea omnia Asiæ minoris, Lesbi, Abydi & Macedoniæ littora repleta sunt, & mare ipsum ijs stratum videbatur. postea sequuta sunt grauissima bella Saracenorum, quę ipsis magnam rerum inclinationem attulere.

Cæl. Cur. hist. Sar. lib. 1.

B 59 Anno septingentesimo octuagesimooctauo, visi sunt flammei dracones in Anglia volitare per aerem, quod prodigium pestis atrox sequuta est, & fames præualida, ac infestatio Danica. In Germania sanguine pluit: sanguinis ex terra riui manarunt, cruces in vestibus hominum apparuere: in agrum Frisingensium aere sereno & tranquillo diuersi generis ligna de cœlo ruere: sequutum bellum Caroli magni aduersus Boios Hunnos & Auares, & regni Boiorum ad Francos translatio.

Poly. chrõ. Angliæ.

Auent. lib. 3.

60 Anno octingentesimoprimo, cùm Carolus magnus C erat Spoleti, terræ motus tantus fuit, quòd vniuersa Italia fuerit concussa, quædam oppida diruta, quædam absorpta, montes depressi & in planiciem redacti, fluminum cursus retrò abijt, & mare in plurimis locis littora consueta deseruit, in alijs cum horrendo impetu, & damnosa inundatione littora transilijt, magna pestis sequuta, & distractio Imperij, & ciuilia bella, quæ Mahumetanis animum addidere, ita vt suam sectam in omnibus terræ partibus promouerint.

Girardus lib. 4.

61 Anno octingentesimoseptimo, ter luna obscurata, & semel sol, & cum prima Eclipsis lunæ visa est, apparuere eadem D nocte in aere acies miræ magnitudinis: triennio pòst Eclypses etiam quattuor visæ: paulò pòst sequuta mors Caroli magni, cuius occasione multæ confusiones in Europa exortę.

Eginhartus.

62 Anno octingentesimo vigesimotertio in Aquensi palatio terrę motus fuit, & in agro Tullensi puella quædã ferè duodecim annorũ ab omni cibo per decẽ mẽses abstinuit: in Saxonia viginti tres villæ cœlesti igne crematæ, & fulgura sereno cœlo atque interdiu cecidêre: in multis regionibus fruges grãdinis procella

procella vastatæ, cũ ipsa grandine veri lapides ingẽtis põderis decidere: homines ac cætera animalia passim fulminum ictu exanimata: sequuta est ingẽs pestilentia, quæ per totam Franci immaniter grassata est, & innumeram hominum multitudinẽ comsumpsit: Britãnia Armorica igne ac ferro vastata: Gallicę copiæ in Pyreneis montibus insidijs circumuentæ penè ad internecionem deletæ.

Eginhartus.

63 Ludouico Pio imperante, in agro Turonensi arbor pedũ quadragenũ altitudine, bis septenũ crassitudine in diuersum locum transportata: in Saxonia aliquot millibus passuũ terra in modum aggeris intumuit, horrendoq́ue motu concussa, & villæ, & agrestia ædificia cœlesti igne deflagrarunt: sequutum bellum quo penè tota Gallica nobilitas interijt.

Sab. en. 8. lib. 8.

64 Dum inter Italos, Gallos, & Germanos de Imperij possessione contentio erat, igneæ faces insueto aspectu toto cœlo in Italia visæ sunt discurrere. breui pòst irruêre in Italiam Hunni & Saraceni, qui terram illam grauiter adflixere: Hungari sequuti, qui Hetruriam ita attriuêre, vt omni humano cultu sit propemodum deserta.

Sab. en. 9. lib. 1.

65 Anno octingentesimo sexagesimo in Gallia vbique locustæ terram replebant, sex alas & sex pedes habentes, lapidibus duriores, turmatim volantes, quæ herbas, segetes, atque arbores deuastabant vsque ad mare Britannicum, vbi vento in Oceanum proiectæ, & fluctibus obrutę periere: reiecit enectas maris fluctus in littora, vnde fœtor ingens exortus, qui aerem infecit: tetra pestilentia inde sequuta, quæ multos mortales absumpsit, ita vt penè tertia pars hominum perierit.

Sab. en. 9. lib. 1. Naucler9.

66 Ante atrocem Scytharum, Ioanne Myso duce, in Thraciam incursionem, in Thraciæ campis cornicum, & coruorum legiones, aliæ à Septentrione, aliæ ab Austro in vnum locum congregatæ, pugnam atrocem commisere: corui, qui à Septentrione venerant, meridionalium cornicum phalanges in fugam verterunt: Paulo pòst Scythæ cum Italis conflixere, & Itali magna clade accepta superati sunt.

Nicetas.

67 Antequam Franci in Asiam ad condendum Hierosolymitanum regnum transirent, infinita locustarum multitudo ab occidente veniens, Thraciam & loca finitima infestauit: tam immensa autem erat, vt inter volandum nubibus æquipararetur, & solem obumbraret, quæ vastationem Græciæ & Asię, quæ sequuta est, portendere visa est.

Zonar. an. 3.

68 Cir-

A 68 Circa idem tempus aues domesticæ ad loca montana fugerunt, syluestresqúe sunt factæ: inundatio aquarum maxima cum damno immenso accidit, & terræ motus maximi, ita, vt vrbes quædam concussæ sint: Syracusis maior basilica corruit, dum sacrum celebratur, omnesqúe, qui tum in templo aderant, contriuit, diacono tantùm, & subdiacono superstitibus: & fons sanguinis quindecim diebus emanauit. postea pestilentiæ magnæ sequutæ, & fames. Sequuta etiam in Saracenos expeditio, quæ crucigeris primum exitialis fuit sub Petro eremita in Bithynia, & Godescalo presbytero in Hungaria. *Nauclerus.*

B 69 Circa annum millesimum trigesimumsecundum, sanguis Genuæ vbertim fluxit, posteà Saraceni Genuam graui obsidione pressam vi capiunt, propugnatores primo ingressu trucidant, multos è templis & latebris extractos iugulant, puellas, matronas & mares impuberes nauibus impositos in Africam deportant. *Sabel. en. 9. lib. 1.*

70 Cùm Philippus Augustus, Francorum rex, in Asiam soluturus ad bellum sacrum ventum expectat, vno eodemqúe die quinquies fulmen cœlo décidit. Dum conscensa naue, & iam in conspectu Siciliam haberet, atroci tempestate coorta, C naues disiectæ sunt, quarū aliæ fractæ, aliæ obrutæ fluctibus, aliæ armamentis nudatæ, laceratæqúe, viri & equi multi naufragio extincti: machinarum, tormentorumqúe iactura insignis facta: sequuta exitialis æmulatio inter Richardum Anglorum regem & ipsum Augustum, qua res Christianorum in Syria per se iam satis afflictæ corruerunt. *Aemyl. lib. 6.*

71 Ipso Augusto regnante in Landunensium finibus horrendæ tempestates fuere, & in locis aliquot lapidibus pluit. In Bellouacorum agro corui rostro carbones candentes asportarunt, & incendium excitarunt. Sequutum bellum Britonum D & Anglorum, quo Turones, Andes, Cenomani multa belli dāna pertulere, & ingens bellum inter Anglos & Francos erupit, quo Angli Normaniam amisere. *Aemyl. lib. 6.*

72 Temporibus Henrici I. Anglorum regis, flumen Trenta per totum integrum diem spacio mille passuum non fluxit, & quasi aliò cursum flexisset, eam partem aluei adeò per spacium viginti quattuor horarum deseruisse visum est, vt homines vltro citroqúe per siccam harenam graderentur: postea more suo fluere cœpit. Item porca enixa est fœtum, faciem ha-

bentem humanam: & pullus gallinaceus quadrupes natus. Paulò pòst Bigornia ciuitas incendio tota absumpta, & sequutus est motus Vuallicus, in quo cum maxima strage Vualli armis domiti: exortum etiam bellum Gallicum, quod maximas clades Anglis & Francis attulit.

Polydor. lib. 11.

A

73 Iis temporibus in Gallia aues innumeræ aperto cœlo dimicantes, exanimes ad terram deciderunt: pòst creatus pontifex Romanus Anacletus, qui templorum thesauros spoliauit, & schisma propter sedem Apostolicam ortum auxit & defendit.

Idem ibidẽ.

74 Initio regni Ioannis Anglorum regis, quinque Lunæ prima vigilia noctis visæ, ita dispositæ, vt vna in occidente, altera in oriente, tertia in septentrione, quarta in meridie, quinta in medio cœli conspiceretur: postea maximæ turbæ in Anglia commotæ, quæ in intestinum bellum euasere.

Polydor. lib. 15.

B

75 Temporibus diui Ludouici, cælum assiduis flammis visum est in Anglia coruscasse, turres & templa de cœlo tacta, obscuritas aeris immensa: Paulò pòst Leolinus Vuralliæ princeps hostiliter Anglicos fines ingressus vicos incendit, agros populatione vastat, & Angli proceres à rege ad eum defecerunt.

Polydor. lib. 16.

C

76 Pridie quàm Veneti fœdissimam cladem ad Sapientiam insulam acciperent, coruorum vis ingens supra classem conflixit, atque altera pars ita vexata, vt plumæ cruorque fusus in Venetas triremes decideret, & ex remigibus vnus ex sua naui in proximam transiliens ab immani pisce deuoratus est.

Sab. dec. 2. lib. 3.

77 Ante mortem Henrici primi Angliæ regis, terra horridè mota est, ita vt ædificia passim corruerint: defectus solis & lunæ factus: ignis in plerisque locis per rimas terræ aliquot dies spirans, neque aqua, neque alia re extingui potuit.

Polydor. lib. 11.

D

78 Regnante Philippo Augusto in Gallia, horrendæ tempestates in Landunensium finibus accidêre: lapidibus pluisse ferunt: Caluus mons nobile oppidum fulmine conflagrauit: Carnutum vrbs incendio fortuito maxima ex parte fœdata: Aedes virginis cremata, & septum, in eoque quamplurimi mortales absumpti. In Bellouacorum finibus corui rostro carbones candentes tectis intulere, incendiumque conflauere. pòst sequutum bellum inter Arcturum ducem Britanniæ, & Ioannem

nem

A nem Fratrem Richardi Angliæ regis de regno Angliæ, cæterarumq́ue ditionum possessione: quod Andibus, Turonensibus, Cænomanis multa intulit damna, deiń bellum inter Francos & Anglos, quo Normannia post grauissima damna accepta in potestatem Francorum regis venit. *ÆEmyl. lib. 6.*

79 Quo tempore Gniscardus in Apulia regnabat, gallinacei, columbæ, pauones, & aliæ domesticæ aues sua sponte in montana loca abiere, atque syluestres factæ sunt. sequutum bellum sacrum quod vniuersam ferè Europam militari iuuentute maxima ex parte vacuauit. *Sab. en. 9. lib. 3.*

B 80 Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo cometa apparuit, igni rutilans, crinibus longis nigrisq́ue, in occidentalem plagam vergens, durauit diebus octuaginta. Sequenti anno siccitas stupenda sequuta est, pestilentiæq́ue, ac bella cruentissima pluribus in locis fuere. *Nauclerꝰ.*

81 Circa annum quingentesimum sexagesimum, post expulsos ex Italia Gotthos, mare limitibus naturalibus ad tria millia passuum Thraciam versus excessit, atque agris hominibusq́ue multis oppressis, in alueum pristinum rediјt. Sequuta Constantinopoli tanta tamq́ue dira pestilentiæ lues, vt C mortui triduum insepulti iacerent, non sufficiente propter multitudinem cadauerum libitina: mox cum ne currus quidem à Iustiniano curati satis essent, in littus eiecta ad sex dies inhumata manserunt, & fœtore intolerabili loca proxima infecerunt. Non toto vertente anno, circa mediam noctem ciuibus profundo somno sopitis, repentè concuti omnium ædificiorum fundamenta cœperunt, isq́ue motus sæpe cum insigni incremento est repetitus: tum sonitus quidam grauis, ferusq́ue stridor è terra erupit, qui sæuissimis ventorum procellis quasi stipatus ipsum terrorem ingeminauit: D multis in partibus ædes totæ procubuere: multis in ædibus tecta ita diuulsa sunt, vt cœlum aspiceretur, ac mox ita coierunt, vt fractura non cerneretur: alibi columnæ ex superiore ædificij parte vi excussæ ad longinquas ædes fragore ingenti omnia contriuerunt: è plebe plurimi periere. Hunc terræ motum sequuta est altera insignior pestilentia, quæ integros quattuor menses vrbem attriuit: eo ipso tempore Abares Hunnorum gens Mœsiam depopulati sunt. *Sig. de occid. Imp. lib. 20.*

82 Anno 562. mons Rhodano imminens multos dies mugitum emisit, ac postremo ab alio monte sibi vicino diuulsus cum omnibus ædificijs atque incolis præceps in Rhodanum ruit. Sequutum nefarium bellum inter Clotharium Francorum regem, & Cramnum filium, quem Rex in Britanniam fugientem insequutus, captum cum vxore ac filiabus necauit. Paulò pòst diuulsio ingens Rom. Imperij sequuta, Franci & Burgundi in Gallia sedes & regna condiderunt, Gotthi in Hispania, Angli & Scoti in Britannia, Longobardi & Normanni in Italia, Saraceni in Africa. A

Idem ibidē.

83 Pridie quàm male pugnatum esset ab Alfonso Arragonio contra Gallos & Andegauensem factionem, toto fermè die coruorum greges prætorium obuolitauere, vehementer conclamantes, & proximis insedere arboribus: & diuersis locis pluisse sanguinem nunciatum est. B

Iouianus Pontanus.

84 Anno 1431. cum prope Nanseyum instructis aciebus duo hostiles exercitus ex aduerso starent, signum prælij expectantes: quorum alter erat comitis Valdemontij, alter ducis Barrensis: ad Valdemontianos accessit coruus, qui ternis ictibus terram pede pulsauit, deinde per mediam Barrensium aciem illæsus penetrauit: contracto paulo pòst certamine Barrenses fugati fusiquê sunt, duce eorum cum ducentis è suis capto & tribus millibus occisis. C

Girardus.

85 Antequam Byzantium à Turcis terra mariquê oppugnaretur, apud Comum citerioris Galliæ vrbem vrgente ad occasum die ingentem canum multitudinem per aera ferri, postquê diuersorum pecorum armenta, turmas peditum primò leuis armaturæ, deinde hastatos scutatosquê subsequi, equitesquê in turmas diuisos ingenti instructa acie prosequutos horis fermè tribus imaginem aduentantis exercitus præbuisse multi conspexere: demum corpore procero immanem & formidabilem hominem veluti exercitus ductorem terribili equo insidentem processisse: nocte appetente visio omnis illa dilapsa est. Vt terribilia fuere ostenta, ita atrocium calamitatum fuere prænuncia, quæ nondum finem inuenere. D

Alex. ab Alex. lib. 3.

86 Eo anno quo Christophorus Columbus Hispaniolam, & alias insulas in America adijt, qui fuit millesimus quingentesimusprimus, tanta fuit ventorum vis & tempestas, vt illic arbores prope eradicauerit omnes, easquê in sublime ie-

cerit

A cerit, vt viderentur cœlum ipsum contingere. Breui pòst incolæ misera seruitute ab Hispanis oppresi sunt. *Colũb. Nauig.*

87 Anno 1510. in Insubribus pluit saxa grandia, è quibus vnum pondus habuit librarum centum viginti: erant autem silicibus duriora, odore sulfureo. Sequuta sunt bella Heluetiorum & pontificiorum contra Gallos, quæ Insubriam miserè vastarunt, Gallis fortuna admodum aduersa: vltra enim Alpes repulsi sunt, & non sine magna suorum clade. *Sur. in cõment.*

88 Anno 1515. in vestibus hominũ cruces cœlitus impressæ apparuere, quæ decennio pòst, sicuti Ioannes Trithemius prędixerat, euentum produxere. anno enim 1525. religionis causa & nomine seditiosi rustici & seipsos & totam Germaniam maximis implicauere malis, qui sacræ tesseræ loco cruces suis vestibus affixas gestabant. B *Nauclerus.*

89 E Fincia palude in Scotia in proximum agrum tempore Iacobi IIII. enatauit prægrandis bellua, molosso phocæque persimilis, quæ cùm obuijs fortè venatoribus ingenti detortæ caudæ ictu crura perfregisset, prodigio locum fecit: quoniam non multo pòst Iacobus quartus cum multò maxima nobilitatis parte ab Anglis acie cæsus. *Iou. in descript. Sept.*

C 90 Anno 1517. in Italia armatæ igneæ acies in aere conspectæ sunt infestis inter se signis concurrere & præliari: quæ nõ obscurè significarunt ardentes contentiones, quæ religionis gratia excitatæ sunt: fomentum ijs præbente Lutheri censura contra indulgentias, quam eo anno editis nonagintaquinque thesibus euulgauit. *Sur. in comm.*

91 Tempore Alberti Imperatoris, qui Sigismundo successit, in Italia ex pyro arbore duo formicarum exanima ex aduerso concurrentia pugnam ædidere insignem, cædemque vtrinque teterrimam, multis ad id spectaculum accurrentibus. D prius aliquanto in Gallia ad Leodium corui accipitresque adeo atrociter conflixere, vt cruor & plumarum vis ingens ad terram defluxerit, tandem post acrem dimicationem penes accipitres victoria stetit. Paulò pòst acerrimum bellum sequutũ inter Insubres & Venetos, & Leodienses cum Burgundis pręlio cruentissimo decertarunt, quo ad triginta hominum millia cecidere. *Sab. en. 10. lib. 4.*

92 Regnante apud Gallos Carolo octauo, in Britannia Armorica in subiectis Sanctalbani campis, ex diuersis Galliæ

partibus adfluentes picarum & graculorum greges summa contentione decertarunt: & post variam vtrinque cædem, graculi victoria potiti sunt. Sequenti anno Francorum & Britannorum acies infestis signis depugnarunt, & Franci de Britonibus victoriam insignem captis eorum ducibus reportarunt.

Chron. Brit.

93 Anno 1012. Luna cruento aspectu apparuit, & terra prodigiosè mota, fax ardens instar turris cum magno fragore è cœlo visa est cadere, mare latius solito euagatum vrbes aliquot cum multa hominum pernicie vndauit. In Lotharingia fons aquæ alioqui salubris in sanguinem versus est: fames dein & pestilentia sequutæ, tantaqúe vis hominum interijt, vt penè plures vita defuncti sint, quàm seruati.

Sab. en. 9. lib. 2.

94 Cum Carolus quintus Cæsar ad Algerium suscepta expeditione tempestate in Corsicam delatus fuisset, eo quo appulit die bicipitem vitulum agrestis mulier Cæsari dono obtulit, auersantibus cunctis id monstri omen, postquam in primo cursu venti instabiles ostentatæ serenitatis fidem improbè fefellissent: nec vanum omen fuit: repulsus enim ab Algerio Cæsar est, & naues in reditu tempestate disiectæ horrendum naufragium maxima ex parte fecerunt.

Iou. Hist. 40.

95 Anno 1542. sub æstatis finem, & initium autumni ex Lithuania per Poloniam, Silesiam, & Mysiam magnæ admodum locustæ incredibili multitudine in Germaniam aduolarunt. vbicumque se demitterent, omnia seminaria, & gramina absumebant: volatus ipsarum erat concitatus & vehemens, vt quattuor vel quinque millia passuum continuè volando conficere possent, antequam consisterent. Volitabant autē in aere ad erectæ hastæ altitudinem condensatæ, vt quandoque veluti nubes solis splendorem hominibus eriperent, & in agris vbi consederant, altitudine pedis eoqúe amplius accumulatæ & conglobatæ iacebant. Paulò pòst bellum in inferiori Germania sequutum, & pòst quatuor annos Cæsar in protestantes Germanos mouit.

Beutherus. lib. 5. & 6.

96 Anno 1544. Eclipsis solis fuit, quatuor etiam lunares, res non visa à Caroli magni tempore. Sequutum ingens bellum inter Cæsarianos & Gallos, inter Anglos & Scotos, cum magna vastatione agrorum & clade hominum, & religionis causa persequutio magna.

Sleid. lib. 15.

97 Quo

A 97 Quo tempore Cæſar Carolus quintus prope Miſenum acceſsit, ſolis aſpectus obſcurus, & pallidus viſus eſt, & veluti caligine quadam circundatus: non in Germania ſolum, ſed per Galliam & Britanniam hoc fuit obſeruatum. male poſtea à Saxone pugnatum: Germania ab exteris nationibus grauiter adflicta, & à victore Cæſare grandi pecunia mulctata. ſupra decies ſexies centena aureorum millia ſumma exceſsit.

Sleid. lib. 19.

98 Anno 1551. terni ſoles totidemq́ue lunæ modò pallidi, modò ſanguinei coloris conſpecti. Sequutum bellum quod B Mauritius Saxo cum fœderatis contra Cæſarem ſuſcepit, quo libertas Germaniæ ablata reſtituta eſt: ſequutum etiam bellum ab Henrico Galliarum rege contra Cæſarem ſuſceptum, in quo Galli Cæſarianis multa damna intulere.

Sleid. lib. 25.

99 Eo anno in oppido Bernburgenſi ſtatua crucifixi ad quatuor horas largiter ſudauit. cum autem ille ſudor à nonnullis qui adſtabant abſtergeretur, in maiore adhuc copia exudabat, non obſcurum omen eorum quæ circa imagines diuorum poſtea acciderunt. Quamplurimi enim non adorandas cenſuerunt, quidam in templis non ponendas, nonnulli inde exturbandas, & confringendas.

Sur. in comm.

C 100 Anno 1566. in Libonatu, quæ vrbs pertinet ad Polycaſtri antiſtitem, lociſque finitimis pluit ſanguine. Paulò pòſt cometa apparuit. ſequutum Turcarum bellum in Melitenſes, paulo poſt Sigeti expugnatio ab illis. exortus etiam eſt tumultus propter religionem in Belgico, qui initium dedit indicendis calamitatibus, quæ nondum finem inuenerunt.

Petrus bizarus.

D

CENTVRIA II.

DE PRINCIPIBVS.

QVAE à principibus ſumuntur exempla, vbique plus ponderis habere comperiuntur, quàm quæ à priuatis: ſiue ad vitam inſtituendam præclara ipſorũ facta proponãtur, quòd Rectorũ mores vulgus facile imitetur, ſiue ad vitãdas ſcelerũ pœnas quorũdã, qui flagitijs infames fuere, tragici exitꝰ enarrẽtur, quia infœlices principũ caſus cõſyderatius quã vulgi notã

tur:

tur: nam (vt Argentonus habet) si ducenties mille infortunia pauperi obscuroq; homini acciderint, vix percipiuntur: quũ verò magnæ alicui ciuitati euenit calamitas, aliter sunt homines affecti, & de principibus magis adhuc diuulgatur sermo. Ideo quæ ab illis rectè vel secus aguntur, curiose perquirere, & spectanda proponere inutile censeri nõ debet, quamuis ad Principes, quæ de Principibus scribuntur, neutiquam peruenerint. generosa enim indoles, quæ ad laudem, & gloriam aspirat, principum virorum exemplis efficacius permouetur, & imperita plebs suis malis non satis edocta summorum virorum infortunijs acrius excitatur. A

B

1 PRINCIPES ministri Dei ad curam, & salutem hominum, vt bona quæ Deus illis largitur partim distribuant, partim seruent. Iustitia legis est finis, lex principis opus, princeps dei simulachrum. Cœlum demittit seminum principia, quibus opus est, terra verò producit, crescunt autem partim imbribus, partim ventis, partim stellis ac luna consonantibus. porrò sol ornat omnia: Tot, tantisq́ue bonis, ac muneribus, quæ dij largiuntur, non licet nec frui, nec vti rectè, si desit lex, iustitia, & princeps. C

2 Principis virtutes sunt, vt sit fortis contra hostes: protector debilium contra violentiam potentiorum: misericors, & benignus erga pauperes, conseruator nobilium, amicus bonorum, seuerus erga impios, surdus ad verba malignorum, facilis, & promptus ad auscultandum, respondendum, & iudicandum de causa cuiusque, pronior ad ἐπιείκειαν, quàm ἀκριβοδίκαιον: literas colere, ingenia fouere, magnificentiæ studium pulcherrimis operibus extendere, nobilitatem in honore habere, populum alere, patriam tranquillitate atque opibus fertilissimam reddere, laudatissimi principis munia sunt. D

Girardus ex sen. Charamundi. Iou. elog. 7.

3 Qui grauitate vocis, toruitate vultus, ac morum truculentia fugaq́ue consuetudinis humanæ maiestatem, & authoritatem Imperij sibi videntur tueri posse, nihil à Colossis discrepant: qui cum foris heroicam quandam speciem præ se ferũt, intus pleni sunt terra, lapide, plumbo: nisi quod istud colossorum pondus rectitudinem illorum stabilem, & immotam seruat: At inerudití duces, ac principes imperiti, propterea quòd

Plut. de doctr. prin.

intus

A intus malè librati sunt, sæpenumero vacillant, ac subuertũtur.

4 Persæ eligebant quatuor homines eximios, & virtute præstantes, quorum alius iustitiæ fama percelebris esset, alius prudentia, alius admirabili & rara constantia atque animi fortitudine, alius modestia & continentia, quibus dabatur cura instruendi & educandi principes liberosq́ue regum, & monarcharum Persidis. Rex Persarum ab illis magistris institutus, ab vno ex cubicularijs quotidie, dum surgendum erat, admonebatur vt surgeret, & prouideret negotijs quibus eum magnus Deus præfecerat.

Plut. in Apophth. Laced. Alex. ab Alex. Girardus.

B 5 Munia regis apud Romanos, vt sacra curaret atque sacrificia, deinde vt legum ac morum patriorum haberet custodiam, Senatum cogeret, populum in concionem conuocaret, primus sententiam diceret, quod pluribus placuisset ratum haberet, & in bello summum imperium teneret.

Halycarn. lib. I.

Mos creandi principis.

6 Quidam principes per hinnitum equi ad regnum ascenderunt, alius ab aratro ad purpuram est vocatus, alius adoC lescens opilio in regem vnctus: non solet Deus eadem subinde ratione res humanas gubernare, sed ad varietatem administrationis vniuersi declarandam, regna & principatus aliter atque aliter transfert, ne minutissimis quidem rebus à sua cura exclusis.

Nicetas.

7 Sulthanos AEgyptios nequaquam obseruata successione liberorum, sed communibus equitum suffragijs creare mos fuit, eádem penè iuris formula, qua Romæ summos pontifices à senatoribus in comitio creari constat.

Iou. elog. 7.

8 Ex pluribus liberis regijs ius est in Dania & Suecia princi-D pibus, eligendi quem velint. Id quoque fertur commune esse Polonis, Lithuanis, Hungaris, & Abyssinis. Princeps autem electus neque legum, neque pacis, armorum, vitæ necisúe habet potestatem, sed penès nobilitatem manet illa dignitas. Sed ne nobilis quidem vllus à principe aut alio magistratu quàm ab optimatibus iudicari potest, vbi agitur de illius capite vel fama.

Bodinus in Meth.

9 Rex Benomotapæ, quæ regio est vltra promontorium Bonæ-spei, duo regiæ maiestatis insignia gestat: vnum est

paruus ligo eburneo manubrio: alterum, duo iacula continet: ligone subditos ad terræ cultum & pacem colendam adhortatur: vno ex iaculis significat se scelerum vindicem futurum, altero vim externam armis, atque virtute repressurum. Singulis annis mittit è suis domesticis & familiaribus, qui ignem nouum principibus, qui in ipsius sunt ditione impertiat, vt inde reliquis suæ ditionis hominibus distribuatur: ea est præstandi iuramenti cæremonia, quæ fit in hunc modum: Vbi regis legatus ad domum alicuius principis venit, ignis extinguitur, deinde à legato nouus ignis excitatur, tunc omnes eius prouinciæ homines eò affluunt, vt inde arreptum ignem in suas domos inferant: qui facere recusat, proditor & rebellis iudicatur, & tanquam maiestatis reus extremo supplicio adficitur. *Osor. lib. 4.*

De Imperatoribus & Regibus ante iustam ætatem ad dignitatem euectis.

10 Iphicrates vigesimum vix attigerat annum, cùm exercitui Atheniensium præfectus est. Huius adolescentis supra ætatem virtus admirabilis fuit, nec vnquam ante eum Athenienses inter tot tantosq́ue duces, aut spei maioris, aut indolis maturioris habuere, in quo non Imperatoriæ tantùm, verum etiam oratoriæ artes fuere. *Plut.*

11 Alexander Magnus admodum iuuenis exercitus regendos desumpsit, quem milites ita coluere, vt quum eum erga se exacerbatum cernerent, non viuendum sibi duxere, nisi placatum habuissent. *Arrianus. Q. Curit. Plut.*

12 Annibal item adolescens, Carthaginensium exercitus imperator est designatus, qui milites tanta prudentia gubernauit, vt cùm varias nationes, lingua & moribus dissimiles in exercitu haberet, nunquam in castris seditionem senserit. *Plut.*

13 Pompeius etiam Magnus admodum iuuenis summæ rerum præfectus est, qui tamen omnes Rom. duces, qui ante ipsum fuerant, rerum gestarum gloria superauit. *Plut.*

14 Gasto Foisseius, prius Imperator quàm miles, qui alacritate pugnandi, & celeritate præueniendi hostes præ cæteris sua ætatis ducibus laudem adsequutus est. *Iou. in vit. Alfon. & elog. 4.*

15 Franciscus Borbonius Anghianus penè prius dux quàm miles,

A miles, imperatorijs insignibus ornatus, de Vastio, veterano & magni nominis duce, multisque tropheis inclyto, victoriam retulit. *Iou elog. 6. Sig. de occid. imp. lib. 11.*

16 Valentinianus secundus annos tantùm sex natus, ad imperium euectus est.

17 Vladislaus Alberti filius, cùm nondum quattuor menses ætatis attigisset, rex Hungariæ coronatus est. *Sab. en. 10.*

18 Dauid rex potentissimus Æthiopum tot auita regna, quæ ad quadraginta numerantur, admodum puer excepit. *Iou. Hist. 18.*

19 Stephano Ioannis Sepusij filio adhuc vagienti corona B Hungariæ regni imposita est. *Iou. Hist. 38.*

Breuis principum fœlicitas.

20 Gedeonis, & Samsonis præclara facta, sibi & familiæ decóra, & patriæ admodum fructuosa ipsos posteritati admirabiles reddidere: sed in ijs gloria concidit, nec dignitatem, quã prçclarè audendo acquisierãt, ad suos propagare potuere. *Iudic. lib.*

21 Vt Thebanorum sub Epaminonda, sic Hunnorum sub Attila, Scytharum sub Tamerlane, Epirotarum sub Scander- C becho res fœlices breui interiere. *Plut. Sab. bell. Scod. Iou.*

Principes qui Magni cognomen assequuti sunt.

22 Cyrus, quòd à Medis ad Persas imperium fœliciter transtulit, plurimasque nationes sibi resistere ausas perdomuit, Magni cognomen promeruit. *Herod. Xenoph.*

23 Alexander Macedo quòd ingenti ausu à Macedonia scopulis ad Indicum oceanum victricia arma promouit, & Persarum vires cunctis gentibus formidabiles euertit, res arduas D nullo reformidato periculo ingenti animo aggressus est, Magnus cognominatus est. *Plut.*

24 Antiochus, qui cum Rom. bellum gessit ab multa rei militaris præclara opera magnus cognominatus est, Syriam inferiorem, ac ciliciam inuasit, Hellespontũ ingressus, Thraciã subegit, Syris ac Babylonijs imperauit. *App. in Syr. Nicetas.*

25 Duos populus Romanus cognominauit Maximos: Valerium, quòd patres à plebe dissidentes conciliauit: Fabium Rullum, quòd diuites quosdam viros ex libertis genitos è senatu mouit. *Plut. in. Pomp.*

26 Pompeius, Magnus vocitatus ob multitudinem gentium ac populorum, quos vel recepit, vel primùm deuicit. A

App. in Mithrid.

27 Constantinus, quia omnes suos & Imperij hostes debellauit, ethnicos errores profligauit, Christianæ pietatis vindex & assertor fuit, magni cognomen consequutus est.

Funcius in chron.

28 Theodosius primus ob insignes victorias, quas in defendendo imperio & religione Christiana tuenda adeptus est, etiam Magni cognomine dignus iudicatus est.

Idem ibidem.

29 Carolus primus eius nominis inter Francorum reges, magni cognomen promeruit, quòd rem Christianam auxit armis, victorijs, pietate, templis. B

Aemyl. 3.

30 Otho primus, quia periculosissimos motus compescuit, collapsum imperium Romanum erexit, totam Europam pacatam reddidit, Saracenos, & Græcos ex Italia depulit, Gallos, & Hungaros domuit, Magni cognomen assequutus est.

Cuspinian.

31 Matheus Vicecomes propter summam ingenij grauitatem, & prudentiam in rebus gerendis, in aduersis constantiam, & prolatos imperij fines, magni cognomento appellatus est.

Iou. elog. 2.

32 Vssumcassanes quondam Armeniæ procurator, quòd regnum Persarum ad se transtulisset, Mamaluchorum, & Turcarum conatus egregiè repressisset, & regnum pacatum liberis reliquisset, magnus cognominatus est. C

Sabell. en. 10. lib. 6.

33 Hismael Sophus, multarum rerum scientia, magnitudine animi, & rerum gestarum fœlicitate clarus, qui paruis copijs & tumultuarijs maximas & validissimas Persarum vires vno prælio attriuit, & ex vsu victoriæ regnum ad se transtulit, magni cognomine dignus habitus est.

Iou. Hist. 13. *Iou. Hist. 13. elog. 5.*

Victores contra summos magistratus.

D

34 Arbaces Mediæ præfectus contra Sardanapalum Assyriorum regem, cuius nomine præfecturam gerebat, bellum cùm mouisset, post varia prælia victor euasit.

Diodor. Sic.

35 Cyrus contra Astyagem auum & regem suum comparato exercitu, tanta fœlicitate vsus, vt à Medis ad Persas Imperium transtulerit.

Herodot.

36 Lucius Sylla contra Marium seniorem, & post eius mortem

A tem contra iuniorem, vtrunque consulari dignitate fungentem, bellum gessit, & victor euasit.

Plut. in Syll. Appi. b.c.lib.1.

37 Pompeius Magnus primum à Calidio consule arma cõtra Cæsarem sumere iussus, deinde à Marcello & Lentulo, approbante senatu, ab ipso Cæsare deuictus est.

Plut. Appianus.

38 Raginbertus, Taurinensum dux, contra Asprandum, qui omnium consensu Longobardici regni administrationem fuerat assequutus, bellum mouens victoriam reportauit.

Sab. en. 8. lib. 7.

B

Principes, qui oblatum sibi imperium patribus dederunt.

39 Leo iunior Byzantinus ab auo Imperator relictus, cùm annum Imperio præfuisset, manibus suis patri diadema imposuit, eumqûe pro se deinceps imperare iussit.

Bapt. Egnat.

40 Cum Isaacius Constantinopolitanus Imperator ab Alexio fratre luminibus priuatus fuisset, filius Alexius Balduini Flandriæ Comitis, atque aliorum principum Europeorum ope adiutus, Imperium armis recuperauit. Quanquam autem omnes ipsum salutarent Imperatorem, eo nomine abstinuit,

C eductumqûe è carcere patrem in consuetum honorem restituit.

Baptista Egnat.

41 Baiazetes Mahometis filius, cùm patre è vita excedente in Cappadocia esset, à prætorianis purpuratorum malignitate concitatis, Corchuto ipsius filio in regiam sedem sublato, à regnandi spe exclusus est. sed ipse patris reuerentia impulsus, religiosi gratiqûe animi specimen ædidit: patri Baiazeti Imperium prerogatiua militari, consensu ciuium, totiusqûe aulę principum iudicio sibi delatum vltro restituit.

Iou. Hist. 14. elog. 4.

D

Principes, qui mensibus sua nomina dare frustrà conati sunt.

42 Nonnulli ex Cæsaribus perpetua fœlicitate insolentes, mensib. sua nomina indiderunt, fauore imperitę multitudinis ducti, & terrore nominis morem intrudere posse putantes, sed irrito conatu. Nero, quòd videret memoriam Caij & Augusti Cæsarum, è quorum familia oriundus erat, in mensium Quintilis & Sextilis nominibus sempiternam asseruari, quòd alter Iulius, Augustus alter vocitetur, voluit Aprilem Ne-

roneum appellari, ſed apud poſteros, cùm ipſius memoria haud grata eſſet, menſis ille priſtinum nomen, nouo reiecto, citò recuperauit. *Suetonius.* A

43 Caligula, vt de nomine patris September vocaretur, obtinere non potuit. *Suet.*

44 Domitianus Germanici cognomine aſſumpto, Septembrem menſem & Octobrem ex nominibus ſuis Germanicum Domitianumque appellauit, quòd altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet: ſed appellationes hæ cito deſiêre. *Suet.* *Euſeb. in chron.*

45 Commodi etiam conatus hac in re irriti apparuere, qui Septembrem Commodum, Octobrem Herculeum, Nouembrem Inuictum, Decembrem Exuperatorium vocitari voluit: populi enim veteri appellatione contenti eius decretum contempſerunt & irriſerunt. *Lamprid.* *Euſeb. Zonar. an. 2.* B

46 Tacitus ſimili vanitate inflatus, quòd in Septembri natus eſſet, & Imperator creatus, de nomine ſuo illum menſem vocari iuſsit, cuius mandatum irritum fuit. *Abb. Vrſp.* *Vopiſcus.*

Principes pro diuerſa occaſione diuerſum animi habitum oſtendentes.

C

47 Alexander Magnus ex ſerena atque pulcherrima facie in trucem atque terrificam mutari ſolitus erat, & tum maximè quum in prælijs iracundia incenſus Martium vigorem igneis atque minacibus oculis euibraret. *Iou. elog. 1.*

48 Antiochus Epiphanes ſapientem apud ſapientes agebat, apud diſſolutos adoleſcentes ijs ſtudijs obſequebatur, quibus illi delectabantur, popularitate & beneuolentia ſibi vulgus obnoxium faciebat. *Ph. Mel. Chron. 2.*

49 Demetrius, cùm per ocium potus & conuiuia celebrabantur, & delicatiſsimus, & iucundiſsimus omnium regum videbatur: cùm verò res gerendæ erant, ſtudio ac diligentia, ingenijque acumine cunctos alios ſuperabat: vigente pace, nunc circa potus & conuiuia, nunc circa amores, & omnis generis voluptates magna cum impudentia verſabatur: cùm bellum gerendum erat, omnibus delitijs voluptatibuſque poſthabitis ſic moderabatur ingenium, vt mores ſimul cum fortuna rerum mutaſſe videretur. D *Plut.*

50 Alci-

A 50 Alcibiades Lacedæmone erat homo grauis, seuerus, & pugnator egregius: in Ionia iners, mollis ac in voluptates effusus: in Thracia nunc potando, nunc equitando incredibili æmulatione barbarorum mores effingebat: cum Tissapherne satrapa diu versatus, fastu, pompa, & ornatu cunctos antecedebat. *Plut.*

51 Scipio Africanus in re bellica acer, in familiaribus congreßibus lenis, resistentibus formidabilis, cedentibus perquam humanus visus est. *Zona. to. 2.*

52 M. Antonius in prosperis dissolutus, in aduersis tolerans B & modestus, frugalisque fuit, cum fortuna animi habitum mutans. Athenis immutata veste aspectum quoque variabat. *App. b. c. lib. 5.*

53 Auidius fuit his moribus, vt nonnumquam trux & asper videretur, aliquando mitis & lenis, sæpe religiosus, nonnumquam contemptor sacrorum, auidus vini, idem abstinens cibi & appetens, & inediæ patiens, Veneris cupidus & castitatis amator. *Vulc. Gallicanus.*

54 Canis Scaliger domi remisso ad leuitatem ingenio semper placatus, in castris autem elato, feroci, acerbo, in puniendis præsertim militum delictis inexorabilis, & sæuus fuit. *Iou. elog. 1.*

C 55 Actiolinus Patauinorum tyrannus momento temporis diuersos commutati animi habitus, quum vsus posceret, gestu, voce, oculis ementiri, alieni animi latebras sagacißimè perscrutari, incredibiliqùe simulationis artificio vel penitißimos astutorum hominum sensus explorare, modò hanc, modò illam personam histrionum more induere didicerat. *Iou. elog. 1.*

Principes dißimulato habitu inter plebem versantes.

56 Herodes Ascalonita, vt de se rumores perquireret, sæ-D pe ignoto habitu versabatur, atque ea ratione multas in se conspirationes præcauebat & eludebat. *Ioseph. Zonar. 1.*

57 Gallus Imperator cum satellitibus incognitus errabat per lupanaria & tabernas, explorans quid de Cæsare sentirent homines, & notabat singulos: qui obloquuti fuissent, pòst conficta aliqua causa trucidabat. *Trebellius Pomp. Lætus.*

58 Galienus cum sicarijs & lenonibus per vrbem Romam sæpe discurrebat, iurgia ferens, ictus infligens, sæpe etiam recipiens, & homines ad male de principe loquendum extimulans, *Sig. de Im. occid. lib. 6.*

quos

Trebellius quos diligenter notabat, & intempestiuæ loquacitatis pœnas luere cogebat.

59 Fuit Arithperus Longobardorum rex, iustitię tuendæ cupidus, & ignoto habitu interdũ per vrbes sui Imperij & oppida vagabatur, sciscitabundus quid de se, & suis iudicibus populi loquerentur, vt quæ iustè carpebantur corrigeret. *Sab. en. 8.*

60 Galeatius Sfortia nonnunquam sordidi mercatoris habitu discurrens per ditionis regiones, oblatos in via aut in diuersorijs hospitalibus simplicissimos homines ad serenda de principe colloquia pertrahebat, eruendoqúe certissimos de se rumores, vtraque nominis sui fama fruebatur, paratus vtique ad pręmium exoluendum ijs, qui imposito sibi muneri satisfaciebant, aut infligendam pœnam ijs, qui iniquè se gerebant. *Iou. elog. 3.*

Principes ob spretos, & neglectos milites grauissima damna passi.

61 Pertinax, quòd milites in pace non maximo vsui reip. putaret, se verę legum censuræ subijcere voluit, & de senatus authoritate neglectis militaribus viris omnia agere, conspiratione militum interfectus est. *Herodianus.*

62 Michael Stratioticus, Imperator Constantinopolitanus, quòd togatos viros militaribus pręferret, regno excidit, cum vnum tantùm imperasset annum. *Zonar. tõ. 3*

63 Constantinus Ducas, quòd militares catalogos negligeret, & fortissimos quosque ob stipendij magnitudinẽ deleret, Barbari ferociores euasere, Romanę verò legiones timidiores, & ignauiores. Ita orientales prouinciæ multæ aut direptæ & vastatæ ab hostibus fuere, aut ab illis occupatæ. *Zonar. tõ. 3*

64 Ludouicus duodecimus Francorum rex, cum Heluetij fœderati suam pensionem annuam, quæ erat sexaginta millium librarum, augeri peterent, quòd Gallorum victoriæ ipsorum præcipuè opera partę fuissent, obstinato animo illam augere recusauit, quòd rusticis & agrestibus hominibus magnũ regem vectigalem fieri indignum putaret, & Francicam nobilitatem nouæ gentis præsidio firmari, illiqúe quodammodo postponi indecorum arbitraretur: hac repulsa exacerbati Heluetiorum animi fœdus cum Rom. pontifice tunc regis hoste percusserunt, & ex lege fœderis bellũ aduersus Gallos mouerunt

A runt, eo quidem euentu, vt Galli ad Nouarram memorabili prælio victi, ex Insubria decedere coacti sint. His succeßsibus elati Heluetij in ipsam Galliam cum magno exercitu penetrarunt, & obsessa, atque oppugnata Diuionum vrbe Gallos ad pudendas pacis conditiones adduxerunt: quibus malis Ludouico se liberare facile erat, si solitæ sexaginta millium librarum annuæ pensioni viginti millia addidisset. *Guicciard. lib. 10.*

Principum immensæ opes.

65 Dauid Iudæorum rex, ex Ammonitarum, Itureorum, B Moabitarum, Nabatæorum, Nabdæorum deuictarum à se gẽtium, regisque Tyri & Phœniciæ spolijs & tributis, & ex nauigatione in Vrphen, metallis auri scatentem, tantas poßsedit diuitias, filioque poßsidendas reliquit, quantas nemo alius regum nec Hebræorũ, nec aliarum gentium. habuit enim præter alias opes in numerato auri centum millia talentûm, argenti decies centena millia. *2. Paralip. cap. 2. & 20. Ioseph antiq. 7. Eusebe. de præparat. Euang. lib. 9.*

66 Darij vltimi Persarum regis opes immensas fuisse, ex tribus præcipuè videre est: quòd pro redemptione matris & duarum filiarum triginta millia talentûm Alexandro Magno ob- C tulit, quæ summa octodecim solatorum aureorum milliones efficit: quòd gaza multis in thesauris condita ex vsu victoriæ ab Alexandro capta, centum & octoginta talentûm millia reddidit, hoc est, centum & octo aureorum solatorum milliones: quòd ad exportandas omnes manubias decies mille muli, & quinquies mille cameli vix suffecerint. *Strabo lib. 15. Zonar. anto. 1.*

67 Athenion Atheniensiũ Dominus tantas opes cumulasse dictus est, vt multos puteos signata pecunia adimpleuerit. *Athen. lib. 4.*

68 Tantæ fuere Mithridatis regis Ponti opes, vt Talauris, quam vrbem apparatus promptuarium habuerat, duo milia D poculorum ex onyche gemma factorum compactorumque auro inuenta sint, multæ præterea phialæ psyctereśque, calices, lecti, sellæ, ornatißsima omnia, item frena equorum, pectorales, humeraleśque phaleræ gemmatæ aurataque, tam immenso numero, vt in illis recipiendis percensendisque triginta dies quæstor insumpserit. triumphus etiam Pompeij ipsius opulentiam manifestauit: præter alia spolia argenti signati septem millia myriadum delata sunt, id est septuaginta milliones. *App. in Mithrid.*

69 Basilius Porphyrogenitus Constantinopolitanus imperator ducenta millia talentûm auri habuisse fertur in thesauris, alterius pecuniæ numerus iniri non potuit, adeo vt conclauibus repletis eam humi defoderit, anfractibus instar labyrinthorum constructis: habuit præterea cistellas multas margaritis plenas.

Zonar an. to. 3.

70 Tantam vim opum Tyberius Imperator in vnum congessit, vt in Thesauro suo vicies ac septies millies sestertium in numerato habuerit.

Suet.

71 Calyphas Buldachi, qui ab Haolonó Tartarorum rege captus, & fame necatus est, tam ingentes Thesauros in auro, argento & gemmis habuit, vt ipsi etiam victori admirationem pepererit, & omnium qui viderunt æstimationem effugerit.

Hait. de kart. m. p. Ven. lib. 3. Godol. lib. 5.

A B

Insignes principum Bibliothecæ.

72 Attalus & Eumenes Pergami celebratissimam Bibliothecam conquisitis vndique exemplaribus hœdinis chartis construxere.

Alex. ab Alex. lib. 2.

73 Pysistratus Athenis ad conseruanda præclarorum ingeniorum monumenta, vnde musarum alumni, qui eò tanquam ad mercaturam bonarum artium confluebant, sua studia iuuarent, insignem etiam bibliothecam fecit.

C

74 Ptolemæus Philadelphus, procurante Demetrio Phalereo, Bibliothecam omnium celeberrimam construxit, ad quã ornandam non solum ex Græcia, sed ex alijs etiam nationibus quoscumque potuit nancisci libros asportandos curauit. ad quadringenta millia diuersorum librorum ibi coaceruata fuisse memoriæ proditum est.

Euseb. de præp. Gell. lib. 6. Abbas Vrsp.

75 Augustus inter opera publica plurima & magnifica, Bibliothecam extruxit, Græcis & Latinis libris omnis generis refertissimam.

Suet.

D

76 Bibliothecam etiam nobilissimam ornauit Traianus, quæ Vlpia dicta est, in qua libris linteis, ac elephantinis gesta principum conscribi iussit.

Naucler.

77 Insignem Bibliothecam comparauit, & ingenti sumptu, Mathias Coruinus Hungariæ rex: ex hac prolata sunt Polybij & Diodori siculi fragmenta, quæ primum in lucem prodierunt.

Ion. elog. 3. Peucer. chr. 5.

Fede-

A 78 Federicus Feltrius, Vrbinatium princeps, in prætorio Vrbini bibliothecam condidit, codicibus disciplinarum omnium refertissimam. *Iou. elog. 5.*

79 Franciscus Valesius, Francorum rex, per Italiam & Græciam veterum authorum scripta conquiri iussit, atque describi, & Bibliothecam instituit amplissimam, quæ libros aliquot insignes dedit. *Sleid. lib. 19.*

Principes auaritia & expilationibus infames.

B 80 Caligula ex gerulis octauam mercedis partem, ex prostitutis mulieribus quantum vnaquæque vno concubitu mereret, pro tributo exegit. *Alex. ab Alex. lib. 4.*

81 Alexander Seuerus, braccariorum, linteonum, citrariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum & aliarum artium vectigal instituit, ex quo thermas, quas fundauerat, pluribus vsibus ornauit. *Ibidem.*

82 Maximus, rerum potitus in Hispania & Gallia, curis ad maius bellum conuersis, cogendæ pecuniæ causa omnia auaritiæ ac rapacitatis exempla ædidit. Vrbes suis municipibus C vacuauit: virorum, qui summis honoribus perfuncti fuerant, bona publicauit, capita diminuit, vitam ære taxauit. Stabat ipse purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutusque trutinarum exigebat. Comportabantur interim spolia prouinciarum, exuuiæ exulum, peremptorum bona: hîc aurum matronarum manibus extortum, illic raptæ pupillorum ceruicibus bullæ, istic Dominorum cruore perfusum pendebatur argentum: numerabantur vbique pecuniæ, fisci replebantur, vasa concidebantur, vt cuiuis intuenti non Imperatoris domus, sed prædonis reconditorium videretur. *Sig. de Imp. Occid. lib 8.*

D 83 Isaacus Angelus, Constantinopolitanus Imperator, tam inexplebili cupidine opes cumulandi flagrabat, vt non aurum, argentum, & vestes acciperet à suis, sed & alia minuta, vsque ad pepones, & cætera esculenta omnisque generis poma. *Nicetas. 3.*

84 Exigebatur tributum Constantinopoli ante Anastasium de equis, mulis, bobus, asinis, canibus: de vnoquoque homine nummus argenteus: de equo, mulo, & boue tantundem; de asino sex pholes, & de cane itidem. *Zonar. an 3.*

85 Frotho Danorum Rex quartus Saxones pro ſingulo homine tributum pendere coegit, deinde pro cubitalium membrorum quolibet, demum pro ſingulo membro. *Saxo Grãmat.* A

86 Margareta Noruegiæ & Daniæ regina, inter cætera grauiſsima onera Sueonibus, & Gothis impoſita, certam pecunię ſummam pro qualibet cauda iumentorum extorſit, pro quolibet foco florenum, marcham Stocholmenſem à quolibet coniugio exegit. *Ol. Magnus.*

87 Ferdinandus rex Neapolitanus Capuæ vrinarium vectigal inſtituit. *Pont. de liberalit.*

88 Tanta tenacitate & auaritia fuit Baſilius Moſcouię princeps, vt quos in legationem mittebat, ſuis ſumptibus viuere cogeret, præterea quicquid legati ipſis donatum domum reportabant, quod alicuius precij eſſet, id ſibi dari volebat. Miſerat quandoque legatos ad Carolum quintum Imperatorem, qui torques aureos ingentis ponderis & Hiſpanicam auream monetam illis dono dedit. Ferdinandus quoque Caroli frater argenteis poculis, argenteis & aureis pannis, Germanica item aurea moneta eos donauit: vbi domũ rediere, mox Baſilius & torques, & pocula, & maiorem monetæ partem ad ſe rapuit. *Sur. in comm.* B

C

Principes à ſeipſis degenerantes.

89 Domitius Nero in puerilibus annis honeſtis ſtudijs animum applicuit cælare, & pingere, canere, equóſque moderari didicit, & aliquando carminibus pangendis occupatus fuit. Cum ad imperatoriam dignitatẽ euectus eſt, in curiam ingreſſus, & de autoritate patrum, & conſenſu militum præfatus, cõſilia ſibi, & exempla capeſſendi egregiè Imperij memorauit, nec iuuentam armis ciuilibus, aut domeſticis diſcordijs imbutam, nec odia, iniuriaſue, aut vltionis cupidinem adferre: tunc formam futuri principatus præſcripſit, non ſe negotiorum omnium iudicem eſſe velle, teneret antiqua munia ſenatus, conſulum tribunalia Italia & publicæ prouinciæ reſpicerent, ſe mandatis exercitibus conſulturum. Sed ſenſim ab honeſta diſciplina degenerans, eò impietatis euaſit, vt fratrem, matrem, coniuges duas, præceptorem, & alios præcellentes viros non paucos interemerit, & morum truculentia omnes tyrannos ſuperarit, ſpurcis libidinibus in tantum pollutus, vt ne à matre & ſorore abſtinuerit. *Tacit. lib. 13 & 14.* D

90 Baſi-

A 90 Basſianus Caracalla in pueritia affabilis, blandus, pius modeſtus, miſericors, & lenis fuit. egreſſus pueritiam truculentus factus eſt prorſus, ita vt qui puerum nouerant, ipſum eſſe non crederent. Poſt obitum patris, fratrem, & præfectum prætorio interfecit, nouercam in matrimonium duxit: cædes deinde in omnibus locis eo iubente factæ: nonnulli in balneis trucidati, nonnulli etiam in menſa cœnantes. Alexandriæ aptam ad militiam iuuentutē legi iuſsit, poſt occìdi: dato præterea militibus ſigno, vt hoſpites apud quos diuerſabantur occiderent, magnam cædem inſontium hominum Alexandriæ B fecit. *Spartianus.*

Principes qui delatores auerſati ſunt.

91 Veſpaſianus Imperator, & Titus ipſius filius delatores adeo inſectati ſunt, & odio proſecuti, veluti publico exitio deſtinatos, vt flagellis cæſos per amphitheatri arenam ſpectandos traducerent, vt pœnis coerciti à noxijs deferendis abſtinerent. *Suet.*

92 Pius Antoninus delatores, ſi non probarent, capitali pœna affecit: ſi probarent, oblato præmio dimiſit infames. *Capitol.*

93 Opilius Macrinus delatores nunquam admiſit, ſed vndique conquiſitos pœnis, & damno mulctauit. *Herodia. Capitol.* C

Principes diuitias contemnentes & paupertate gaudentes.

94 Epaminondas vnam ſolùm habebat veſtem, eamque ſordidam, ſi quando verò eam miſiſſet ad fullonem, ipſe ſe domi continere ob indigentiam alterius cogebatur: tantulis facultatibus præditus, tamen cum ſibi Perſarum rex magnam vim auri dono miſiſſet, non accepit. *Ael. lib. 5*

95 Paulus Æmylius, cum ſecundùm conſul factus eſſet, & ad bellum Macedonicum miſſus, ibique victor innumerabili- D busſpolijs potitus eſſet, in tanta paupertate vitam exegit, vt poſt eius obitum vxori dos ægrè poſſet reddi. *Zonar. lib. 2.*

Infœlices & inutiles principes regna claudentes.

96 Raro accidit vt boni principes regnum claudant, cum ruinæ imperiorum impendent: creſcit ſuperbia & faſtus, & publici boni cura minuitur. Sardanapalus, qui vltimus ex Aſſyrijs regibus tenuit Babilonem & Niniuen, fucis pinge-

bat faciem, & in gynecæis, omiſſa imperij cura, obſcœnis deditus fuit: qui cùm à præfecto Babylonico & Arbace Medo bello petitus, & Niniue obſeſſus, de victoria deſperaret, incenſa regia ſeſe & mulieres ac reliquam turbam, quæ ibi fuit, incendio abſumpſit. A

Herod.1.

97 Auguſtulus, vt vir imbellis, & regendo Imperio ineptus, animo conſternatus ob Herulorum aduentum, in Lucullano Campaniæ oppido purpuram diademaqúe abijciens, ſeſe imperio, quod annum vnum menſeſqúe duos tenuerat, abdicauit. Ita Auguſtalis Cæſarum dignitas, quæ ab Auguſto quondam Octauio fœliciter incœperat, in Auguſtulo fœdè perijt. B

Sabellicus. Nauclerus Ph. Mel. chron. 3.

98 Etheldredus Anglorum, ex Saxonica proſapia, ocio & luxui addictus, & grauioribus tributis & rapinis populum diuexans, ſuis odioſus factus eſt: vnde arrepta occaſione Daci Suenone rege Angliam inuadunt: ipſe illis obuius factus magnam accepit cladem: ob id de reliqua fortuna deſperans, in Galliam cum liberis profugit: Sueno totius Angliæ imperio potitur, & pôſt cum poſteri annis triginta, eiectis poſtea Dacis, non diu in Ethadredi familia regnum manſit, ſed ad Normannos translatum eſt.

Polydor. hiſt. Angl. 8. Lilius in chronico.

99 Imperium Conſtantinopolitanum ad Paleologos deuolutum, plenum fuit ſeditionibus, odijs, diſcordijs: & qui rerum habenas moderabantur, nouos potius tumultus excitabant, quàm veteres ſopiebant. Sed duo vltimi, Ioannes, & Conſtantius maximè omnium inefficaces & ignaui fuere. Ioannes nihil quicquam pro paranda gloria conatus, circunſeptus ac concluſus vndique ab hoſtibus, omni potentia exutus eſt. Conſtantius, poſtquam Amurathes Heracleam expugnaſſet, animo fractus, & penè in deſperationem actus, ad conditiones pacis, quas victor offerret, ſupplex ſe obtulit: tandē Conſtantinopolim vrbem, imperium, & vitam, aduerſus Mahometem Amurathis filium bellum gerens, amiſit. C D

Chalcond. peucerus chron. 5.

100 Duo vltimi Hungariæ reges, Vladislaus, & Ludouicus, inertes & ignaui fuere. Vladislaus diſcordia atque ambitione prócerum, & viduæ reginæ libidine ad imperium euectus, cum ſingulari prouinciæ detrimento & gentis ignominia ſæpe pudendam pacem atque ocium neceſſario bello prætulit. In ſenecta ſui, atque Imperij oblitus, facilitate atque indulgentia totum regnum perturbauit, & plebem iniuria poten-

tiorum

A tiorum oppressam neglexit, vnde bellum rusticum nobilitati atque plebi exitiale exortum. Ludouicus filius ei succeßsit, imperitus rerum adolescens, ingenio imbecillo atque hebeti, aliena superbia atque vecordia miser, ad gerendū cum Turcis bellū imparatus ductus est, & improuidè, ad Mugaccium Solymanno ducentis equitum millibus stipato (non annumeratis pedestribus copijs) occurrit: vbi prælio decertans, victus, regnum & vitam amisit, & Hungaram gentem inextricabilibus miserijs inuoluit.

Iou. hist. 12. & elog. 5.

B

CENTVRIA III.

DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

Rectè illi, qui fœlicitatem non in diuitijs, voluptatibus, & cultioris vitæ commodis, quæ vulgus pertinaci studio consectatur: sed in præclaræ virtutis monumentis, quæ grata posteritas admiratur, posuerunt: Nam rerum, quæ à celebrioris famæ viris cum laude gestæ sunt, iugis C *recordatio facit vt qui fato cesserunt, inter viuos esse videantur. Præterea egregiorum factorum æmulatio genus ipsorum ac stemma supra modum nobilitat, & partum decus illustrat plurimum: siquidem cùm vbiuis gentium habeant, qui vitæ exempla ab ipsis, tanquam à parentibus, petunt, illustrium familiarum complurium propagines non inconcinnè dici possunt, præstantioris vtique nobilitatis authores ijs, quibus veræ & solidæ gloriæ iter monstrarunt, quàm qui progenuerunt. Nam vt Herodianus inquit, Nihil est nobilitas generis, nisi morum nobilitas adsit, & humanitas: debet itaque generosa iuuentus, laudis & famæ appetens, ad illustrium virorum* D *facta intentis animis respicere, vt ad illorum exemplum vitam instituentes, eò, quò natura vocat, fœlici cursu perueniant.*

NINVS.

1 NINVS, Assyriorum rex, magnitudine rerum gestarum nulli regum secundus fuit: vt patris Beli gloriam superauit, ita posteris palmam præripuit. In Assyriæ campis extruxit amplissimam

mam vrbē, quam à ſe Ninum (poſtea Niniue dicta) appellauit. Hæc & origine, & amplitudine cæteras vrbes antecelluit: ſiquidē prima omniū poſt cataclyſmum ædificata eſt, & tanti ambitus, vt eius area quadringenta & octoginta ſtadia complexa ſit. Patri Belo poſuit ſtatuam, cui tantam reuerentiā exhibuit, vt reis ad eam confugientibus parceret, tanto in honore apud omnes patris memoriam eſſe voluit. Zoroaſtem potentiſsimū Bactrianorum regem deuicit, & rudes ad reſiſtendum populos ad Lybiæ terminos vſque perdomuit: magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſsione firmauit: domitis proximis, cùm acceſsione virium fortior ad alios tranſiret, & proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius Orientis populos ſubegit. Regnauit quinquaginta duos annos: ita non ſolum victoriarum tropheis, ſed diuturnitate dominationis fœlix extitit.

Aug. de ciuit. 16. Iuſtinus. Euſeb. in chron. Annius Viterbius.

A B

CYRVS.

2 Heroica virtute, ſapientia, iuſtitia & fœlicitate in rebus gerendis ornatum deus ad imperij faſtigium euexit Cyrum; vt per eum debellatis tyrannis, leges, iudicia, & diſciplinam in magna parte generis humani collapſam reſtitueret. Ex filia Arbacis Medorum regis, Mandane nomine, quæ Cambyſi nupſit, natus eſt: quem auus ſomnio admonitus exponi iuſſerat, vt fame moreretur: ſed fato ſeruatus eſt. Cyrus nominatus eſt ab amne Albaniæ & Iberiæ eius nominis, iuxta quem fuit educatus. Cùm adoleuiſſet, ingreſſus Perſepolim, populum expedire ſecures iuſsit, proximamqúe ſyluā cædere: poſtridie inſtructiſsimo conuiuio multitudinem exceptam rogauit, num vitam eius diei, pridianæ non præferret? cumqúe omnes ſe præferre clamaſſent, Quamdiu ergo (inquit) Medis parebitis, vita erit vt heſterna: ſi vos imperetis, vt hodierna. Cum ab eo perſuaſi eſſent, coacto ingenti exercitu in Mediam ſtatim duxit, & fractis aui opibus, Imperium ad Perſas tranſtulit: Lydorum florentiſsmū regnum ſuæ ditioni adiunxit: Crœſū illorum regem in rogum impoſitum, de inſtabilitate atque in inconſtantia rerum humanarum admonentem liberauit, & inter familiares & amicos habuit, ipſiuſqúe conſilio libenter vſus eſt. Chaldęam etiam fœliciter perdomuit, vaticinio Eſaię admonitus, vt eam inuaderet, qui ducentis & decem annis

C D

antè

A antè de regno eius prædixerat. Iudæos, qui in captiuitate erant, soluit, vt in patriam redirent, vrbem templumque restituerent, redditis templi vasis, quæ Nabuchodonosor in Babyloniam aduexerat. In bellis per præconem pronunciari iubebat, vt parceretur agricolis: sic enim vincere volebat, vt Dominis sui fundi manerent, & nemo de auitis possessionibus deijceretur. Vt rebus necessarijs in tam ampla multarum prouinciarum administratione opportunè prouideret, per interualla locorum tabellarios ita disposuit, vt fatigatis recentes, & nocturni diurnis succederent, qui tanta celeritate man-B data perferebant, vt volantes grues antecederent.

Herodot. lib. 1. Xenophon. Alex. ab Alex. lib. 1. Lodoic. Vives. Ph. Mel. chro. 2.

ALEXANDER MAGNVS.

3 Fuit Alexander statura corporis decôra, laborum patientissimus, in agendo strenuus, animo ingenti, gloriæ cupidissimus, consilio bonus, in coniectando solers, adhæc sapienter exercitus ducere, copias armare, acies instruere, milites oratione excitare, labantes confirmare, impigrè hostem ferire, perterritis instare, omnia boni ducis munia diligenter obire, promissa seruare, pecunias contemnere, liberalitate in suos C vti, in deditos clementia optimè nouit: in prælijs acerrimus, in victoria moderatus, fœlicitate ingenti vsus est. Cum nullo vnquam hoste congressus est, quem non vicerit: nullam obsedit vrbem, quam non expugnarit: nullam gentem adijt, quam non subiugauit. Post fata itaque patris, Græcos, qui contra initum fœdus ad Persas defecerant, mira celeritate repressit, & in belli societatem adsciuit: dein ex Europa in Asiam transgressus, post innumerabiles præliorum victorias cunctis gentibus iugum imposuit. Florentissimum enim Persarum imperium non solum euertit, sed ad Scytharum Indo-D rumque solitudines victricia arma promouit, ibique victoriarum trophea, ædificatis de suo nomine multis vrbibus, arisque votiuis erectis, in perpetuam memoriam erexit, æmulatione gloriæ ad illas expeditiones incitatus. Cùm enim intelligeret, Darium Persarum regem irrito conatu in Scythas mouisse arma, & Semiramin atque Cyrum cum ingenti suo damno Indiæ gentes lacessiuisse, quòd hic cum septem tantùm viris, illa cum viginti redijsset: maiora, & gloriosiora conatus est efficere. Nec conatus eius elusit fortuna; nouam enim &

inuſitatam de inuictis anteà populis gloriam retulit, cum tanta omnium admiratione, & ſtupore, vt per infeſtiſsimas gentes in Aſſyriam rediens, triumphalem pompam, non armatum exercitum ducere viſus ſit, nec quiſquam tamen aduerſus laſciuientes eius turmas ſe commouere auſus eſt. A

PYRRHVS EPIROTARVM REX.

4 Pyrrhus Epirotarum rex, inter pugnaciſsimos duces illuſtriſsimus, inter magnanimos reges ad gloriam anhelantes præcellentiſsimus eſt habitus: qui oblatum in acie hoſtem inuicta dextra ſternere, caſtrametandiq́ue & inſtruendæ aciei diſciplina cæteros bellatores anteire didicit. Cum Lyſimacho, Demetrio, Antigono bella gerens, inuictus ſemper extitit: Illyriorum, Siculorum, Romanorum bellis nunquam inferior, plerumque etiam victor euaſit: in prælijs primus in hoſtes ferebatur, ſic tamen gregarij & ſtrenui militis officium implens, vt prudentiam boni ducis non omitteret. quippe quàm ſcitiſsimè ſemper aciem inſtruens, voce & manu ſuos ad prælium accendebat, & animaduerſo periculo opportunè ſuccurrebat: tam ſapienter in omni belli munere ſe geſsit, vt etiam apud hoſtes celeberrimus haberetur, vt mirum non ſit, ſi Annibal dux bello clarus eum ſecundum ab Alexandro poſuerit. B C

Iuſt. l. 25. Plut. in. Pyrrho. App. in Syr. Iou. elog. 1.

EPAMINONDAS.

5 Ad quadrageſimum vſque annum Epaminondas ignotus nihil profuit Thebanis. Exacto eo tempore ætatis, rebus gerendis præfectus, & imperiū militare nactus, remp. prope extinctā reſtituit, Græciā ſeruitute liberauit. Diſciplinæ militaris acerrimus obſeruator fuit, adeò vt filiū contra ipſius mādatum confligere auſum, quamuis victorem, ſecuri percuſſerit, vnde hoſtibus formidabilis, & militibus propter victorias charus euaſit. Thebani ante eius imperium nullum bellum memorabile geſſere, & poſt eius mortem non victorijs, ſed cladibus inſignes fuere. In amicitia conſtans, à ſuperbia alienus, in victu & veſtitu moderatiſsimus, philoſophiæ ſtudijs apprimè addictus fuit, & primus videtur literarum ſtudium cum arte militari coniunxiſſe: Fidens animi vbique viſus, & bene agendo inuidiæ aculeos nunquam timuit. Cùm aduerſus D

ſus

A sus Lacedæmonios cum collega Pelopida & alio quodã, Arcadibus auxilio missus esset, & bello nondum ex animi sententia confecto, cum collegis reuocatus à Thebanis, successoribus exercitum tradere recusauit, donec pulsis Lacedęmonijs Arcades bello finem imposuerunt. Reuersus domum, reus perduellionis factus est, quòd Thebanorum legibus capitale esset, imperium exercitus per vim retinere. Collegæ culpa in ipsum reiecta, iudicium capitis euaserunt. Is postremus accersitus: Fateor, (inquit) me vltra præfinitum legibus tempus retinuisse imperium, & collegas meos, vt idem facerent, B coegisse. legitimam capitis pœnam non deprecor: vnum pro meritis præteritis postulo, vt post mortem meo sepulchro inscribatur, Hìc situs est, qui parta in Leuctris victoria, ciues suos, quibus antea vel pilei laconici erant terribiles, duxit sub ipsa Spartæ mœnia: eũ patria capite mulctauit, quòd maiorem vtilitatis publicæ quàm legum patriarum rationem habuerit. His dictis è suggestu descendit. Iudices defensionis genus mirati, simulqúe tanti viri virtutes reueriti, ne calculis quidem postulatis, sese è prętorio proripuerunt, & intentatam in eum accusationem, vt rem odiosam reliquerunt. Mortem C habuit honorificam, & qualem clarissimi duces habere peroptant: siquidem pro patria pugnans, & debellatis hostibus in ipso pugnæ campo extinctus est.

LYSANDER.

6 Lysander Lacedæmonius in eo præcipuè clarus euasit, quòd Atheniensium præpotentis populi domitor fuit. Eos primũ nauali prælio vicit, deinde Athenas arctè obsessas, & fame perdomitas expugnauit, ac reip. formam immutauit. Adeo amicis gratificandum putauit, vt nihil denegandum D eis putaret. Vir laboriosus fuit, ac priuatos homines, itidem & principes demulcere potuit. Cùm Græciæ totius factus esset dominus, in nulla ciuitate vel in voluptates venereas irruisse, vel minus opportunè compotationibus & delitijs vsus fuisse repertus est: ita sibi imperare, non minus quàm hostibus leges dare cum magna sua laude valuit. Militibus charus fuit, eisqúe gratificari, & quàm maximè prodesse curauit. Cùm Cyrus Artoxerxis Persarum regis frater eum conuiuio excepisset, vt quicquid vellet peteret, mo-

nuit, nullam repulsam passurus: petijt stipendio nautico vnum adderet obolum, vt pro ternis quaternos deinceps miles quisque acciperet. Cyrus hominis magnificentia delectatus, qui pro se nihil petens, in alios munificus esse optabat, ei decem Daricorum millia elargitus est. A

Xenophon hist. Gr. 6. Plut. in vit. Athen. lib. 12.

AGATHOCLES.

7 Agathocles Syracusanorum rex, patre figulo natus, in militiam profectus, breui centurio, ac deinceps tribunus militum factus: posteà in demortui ducis Damasconis locum suffectus, cùm piraticam aduersus patriam exerceret, bisque occupare imperium Syracusarum vellet, in exilium actus est. A Murgantinis, apud quos exulabat, odio Syracusanorum primò prætor, mox dux creatus est. in eo bello & vrbem Leontinorum cepit, & Syracusas obsedit. cum Syracusanis reconciliatus, ad præturam euectus est, dein totam gubernationem regio titulo assumpsit. Cùm eius vrbem maiore ex parte Carthaginenses occupassent, exercitum suum in Africam traiecit. repentino eius aduentu perculsi Pœni, qui nihil ab obsesso timebant, lubentissimis animis incolumitatem suam salute hostium redemerunt, pactique sunt, vt eodem tempore & Africa Siculis, & Sicilia Punicis armis liberaretur. Ita in ferẽdo quę patiebatur, dũ alienas potius lacessit opes, quàm suas tuetur, quò æquiore animo regnũ deseruit, eò tutius recepit. B C

MASANISSA.

8 Masanissa gratitudinis, fidelitatis, patientiæ, ac sedulitatis laudem præ cæteris suæ gentis & ætatis tulit. Corpore robusto ac valido ad multum ætatis fuit: nonagesimum enim ætatis annum attigit. Is cum bellum sibi fore aduersus Carthaginenses prouidit, ad viginti millia equitum coegit, quos die noctuque in velitationibus exercuit, iaculationibus, incursando recursandoque, instando ludificandoque assuefecit: præterea inediam tolerare, herbis sæpe vesci frumenti vice, aquæ potu contentos esse. Cùm videbat, hostes numero superiores esse, nõ expectato eorũ impetu, nulla impedimẽta trahens expeditè fugiebat, & cum remissius insequi videbat, repente adortus insigni aliqua clade afficiebat: & cùm cædibus irritatos & ad vindicandas iniurias paratos cernebat: D

nebat

A nebat, rursus in munita loca se recipiebat. Sæpa circumuentus, & in angustias redactus copias diuidebat, vt agminatim quà possent erumperent: ipse interim cũ paucis latitabat, donec suos remeantes ex condicto ad se recepisset. præcipuè illi curæ fuit ne hostis sciret vbi lateret: quem varijs artibus diu ludificatus est, pro victoria reputans, quòd à potentissima & feroci gente, & tam acriter premente non planè debellaretur. Scipione in Africam appellente conuersa belli fortuna, ita vt arma inferret, qui tam ægre repellebat. Tandem cum inter Romanos & Charthaginenses pax facta est, eius beneficio ex B Charthaginensium agro multum sibi adiunxit, cum quibus etiam fœdus inijt, quod per quinquaginta annos durauit. Ingentis autem beneficij per Scipionem accepti memoriam illibatam seruauit, & cum suo periculo gratus esse voluit. Cùm graui enim Charthaginensium bello premeretur, ac vix tuendo suo regno sufficeret, tamen Scipioni Æmyliano, quia nepos erat Africani, magnam partem Numidici equitatus tradidit, quo commodius bellum conficere posset. Terram, quã vastam, & desertam acceperat, perpetuo culturæ studio frugiferam reliquit. Adeo laboris patiens fuit in expeditioni- C bus, vt equo insidens, per diem & noctem duraret. Ante omnes homines robore senectæ admirabilis fuit: nunquam enim vllo imbre, nullo frigore adduci potuit, vt caput suũ tegeret. Cùm fœlicissimus per totam vitam extiterit, hominum ingenijs diffidens salutem suam canum custodiæ commisit.

Liu dec. 5. lib. 10. Valer. lib. 5. & 8. Zonaras an. 2. App. in Punicis.

ANNIBAL.

9 Annibal Charthaginensis, Romani nominis dirus hostis per totam vitã extitit, qui bellicosissimarũ gentium legiones ex Africa, Hipania, Galliaq́ue ad Italiæ vastitatem trahens, ad D Trebiam, Trasimenum, & Cannas, insignes victorias reportauit: quadringentas vrbes igni absumpsit: supra trecenta hominum millia varijs in prælijs interemit: quinquaginta millia cepit: vrbem Romam in vltimum discrimen adduxit: cum sex consularibus exercitibusque conflixit & victor euasit: Literarum amator, disciplinæ militaris studiosus, & laborum patientissimus fuit: moderatus in cibo & potu, & à luxu quã maximè alienus: astutus, & callidus supra modũ fuit, qui facilè cælare, tacere, dissimulare, explorare, & præuertere hostium

consilia nouit. Nunquam nisi semel leuiter sagitta sauciatus in tot tamqúe varijs & periculosis conflictibus fuit. nullam seditionem vnquam in tot dissonis linguis passus. Cum Carthaginem rediret, de seipso questus sæpius est, quòd toties legionibus Romanis fusis cæsisque, post victoriam moram trahens, spacium hosti ad respirandum dedisset: nam si à Cannensi victoria cruentum militem Romam protinus duxisset, perterritos hostes ad pudendam pacem compellere potuisset. Post aduersum prælium cum Scipione, cùm rem Carthaginensium desperatam videret, & in integrum restitui posse haud speraret, pacē cum Romanis hostibus faciendā suis ciuibus suasit, quòd nō prelio solū, sed & bello deuicti essent: in quo difficile dictu est, vtrū maior moderatio & prudētia in eo apparuit, qui in reb. desperatis animi ferociā deponere sciuit: an in patriam pietas, qui cū glorię & famę dispēdio placandū hostē cōsuluit.

Polybius lib.3. Plut. in vitis. Liu. dec.3. lib.2. App. in. Lyb. Iou. elog.1.

SCIPIO AFRICANVS.

10 Scipio Africanus ille magnus, liberalis, magnaminus, clemens & perhumanus, disciplinæ militaris obseruantissimus, laborum militarium patientissimus, literatorum hominum amantissmus, populo & militibus charus fuit, & erga omnes modestus. Cùm tribunus esset militum, inferioribus par, paribus non melior, maioribus inferior semper esse voluit. Funditus deletam Carthaginem videns, palàm hostium fortunam defleuit, quòd ciuitates, gentes, imperia, haud secus quàm singulorum hominum conditiones mutationibus obnoxia esse cerneret: Id accidisse quondam Ilio, fortunatæ ciuitati: accidisse Assyrijs, Medis, Persis, quorum latissima fuerunt imperia: idem passos nuper Macedonas, quorū imperiū illustrissimum fuit: talem rerum vicem patriæ suæ timere, quę vndique gentes sibi subiugabat. Die illi dicta à duobus tribunis pleb. quòd largitionibus corruptus vtilitatē publicam prodidisse diceretur, contemptis criminationibus, cùm iudicium fortè incidisset in diem, quæ victoriæ de Carthaginensibus erat anniuersaria, solennem pompam præmisit in Capitolium, vt sacra faceret, ipse in iudicium festo habitu iuit. Orsus autem dicere, nullam fecit mentionem criminis, cuius accusabatur, sed anteactæ vitæ studia, resqúe gestas pro rep. & tot victorias partas commemorans, magna tum sermonis grauitate, tum

A te, tum voluptate audientium: postquam ad Carthaginem deuictã processit oratio, tũ maximè amplificatione vsus, vbi & seipsum, & plebem concitauit: Hoc (inquit) die Quirites, cũ Carthaginensib. fœliciter pugnaui, quos tantopere formidastis antea. Itaq; in Capitoliũ hinc sacrificatũ eo: vos quotquot amatis patriã, venite, & dijs mecũ gratias agite. His dictis ascẽdit Capitoliũ, posthabito iudicio: plebs vniuersa sequuta, iudicib. tũ acclamantibus, & sacrificãti fausta omnia cõprecantibus. Id factũ accusatores perplexos reddidit, cũ neque reuocare auderent in iudiciũ, neque ambitionis, aut largitionis accusare B hominẽ extra omnẽ suspicionis aleã positũ. Tantæ fuit moderationis & abstinẽtiæ, vt annis quattuor, & quinquaginta, quibus in humanis egit, nihil emisse, nihil vendidisse, nihil ædificasse dicatur. Atque in tanta rerũ affluentia, & opibus, quibus Carthaginẽ, & Numantiam funditus deleuit, haud plus tribus, et triginta argenti libris, auri verò duabus reliquisse.

App. in Lyb & Syr. Liu. Orosius. Zonaras Abb. Vrsp.

VIRIATVS LVSITANVS.

11 Viriatus Lusitanus in bellis contra Romanos inclaruit, quos per quattuordecim annos admodũ fatigauit. Gaius Vet C tilius prætor primum ei in armis occurrit, qui cæso vsque ad internecionem penè omni exercitu, vix cum paucis fuga euasit: dein Plantius prætor prælijs multis fractus, fugatus est: pòst Claudius Vnimanus cum maximo belli apparatu missus, prælio cum ipso congressus, vniuersas, quas secum deduxerat, copias amisit: ex quibus adeo formidabilis Romanis euasit, vt cùm proditores semper antea exhorruerint, eum per proditionem (cum aliter ei nocere non possent) interemerint. Fuit Viriatus etiam post magnos labores somni paucissimi, sæpius etiam totus armatus dormiebat, vt experrectus ad om- D nes subitos casus paratus esset: tanta continentia & moderatione fuit, vt cùm consulares exercitus frequenter deuicerit, fortunæ fœlicitate nunquam insolenter elatus sit. non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutauit, sed in eo habitu, quo primùm bellare cœpit, perseuerauit, ita vt gregarius quiuis miles ipso imperatore opulentior videretur. In gubernando peritissimus, in periculis prænoscendis cautissimus, in ijs iterum contemnendis præ cæteris confidens, atque in præda diuidenda iustissimus.

Nun-

Nunquam enim adduci potuit, vt vel tantillum plus quàm vllus cæterorum caperet, quamuis enixè sæpius à militibus rogaretur: quod etiam capiebat, semper fortioribus dabat. Vnde accidit, vt cùm exercitus ex omni hominum gente conflatus fuisset, sine seditione & tumultu, semper ei obsequentissimus, & ad omnia pericula subeunda promptissimus fuerit.

Liu dec. 5. lib. 6. Vell. Paterc. lib. 2. Valer lib. 9. App. in Iber. Oros. lib. 5. Volater. 2.

A

MITHRIDATES.

12 Mithridates rex Ponti, per quattuor continuos annos neque vrbis, neque ruris tecto vsus est: sed per syluas vagatus, diuersis montium iugis pernoctabat, assuetus feras cursu aut fugere, aut persequi, cum quibusdam etiam viribus congredi. Hac iugi exercitatione firmatus, ingenti animo aduersus feroces & præpotentes populos bella gessit. Scythas antea inuictos, qui Cyrum Persarum regem cum ducentis millibus interfecerant, Philippum Macedona fugauerant, Zopyriona Alexandri Magni ducem cum triginta armatorum millibus trucidauerant, ingenti fœlicitate perdomuit. Auctus viribus, Pontum ac Cappodociam occupauit: Asiam, cum quibusdã intimis à regno profectus, nec proceribus, nec populo communicato consilio, peruagatus est, omniumque vrbium situs ac regiones cognouit. Per quadraginta duos annos cum Romanis bellum gessit, vario sæpe euentu. In principio belli fortuna ei arrisit, & in multis conflictibus superior euasit. L. Cassium, C. Oppium, Manium Aquilium in potestatem redactos, velut in pompam circumduxit, donec hunc interfecit, belli præcipuum authorem: illos Syllæ reddidit. Vicit etiam Fimbriam, Murenam, Cottam proconsulem, Fabium, Triarium. Formidabilis Romanis fuit, quod præcipuè ex ipsius morte cognitum est. Ea enim Romæ renunciata, festos dies Romani egerunt, quòd hoste grauissimo sublato, à maximo metu liberati essent, siquidem nullum diutius resistentem habuerunt. Quattuor anni Pyrrho, septendecim Annibali deuincendo suffecerunt. Ille per quadragintaduos resistit, nec vnquam despondit animum, donec se à suis deserum & proditum vidit. Syllæ tamen fœlicitate subactus videri potuit, Luculli virtute attritus, Pompeij magnituuide consumptus. Corpore adeo robusto fuit, vt ad extremum vitæ tempus equitationibus, iaculationibusque præualuerit, & mille stadia vna die mutatis

B C D

equis

A equis confecerit: Tanta ingenij firmitudine, & tenaci memoria fuit, vt vigintiduas diuersas linguas probè calluerit: quo fiebat, vt nunquam legatis ad se venientibus per interpretem loqueretur, sed ipsemet eorum mandata audiret, & responsa daret. Medicinæ admodum curiosus, ab hominibus subiectis singula exquirens, quid quæque radix polleret, ad quos vsus herbarum folia pertinerent. Scrinium commentationum harum, & exemplaria, & effectus in arcanis suis reliquit.

App. in Mitbrid. Florus Valer lib. 8. Plin. lib. 7. Oros. lib. 5. Quintil. lib. 11. Auentin. lib. 1.

SERTORIVS.

B 13 Sertorius, vir patritius Romanus fuit, ex Mirsia Sabinorum vrbe oriundus. In ciuili bello Syllano Marij partes sequutus est, & Syllam fugiens, ex Africa dilapsus, Hispaniam contra Romanos excitauit. Nullus eo seculo fœlicior, vel rei militaris peritior fuit: fortissimum in aduersis, & modestum in secundis se præbuit, ita vt neque voluptate frangi, nec metu perterreri vnquam potuerit: in improuisis casibus ita constans, & audax, vt hostes suos vel in maxima securitate percelleret. In cunctis, quæ astu & solertia indigerent, dilig ẽs & apprimè ingeniosus visus est. Quibus rebus cùm inclyta C fama floreret, à Lusitanis dux electus est, & septem tantùm militum millibus ac quingentis stipatus, per octo continuos annos aduersus quatuor Romanorum duces bellum gessit, quos vel occîdit, vel profligauit. Et quia à Senatu mitti, qui Syllæ seruiebat, dicebantur, trecentos ex amicis in consilium adsciuit, quos in patrum Romanorum contumeliam senatum vocauit. Metellus & Pompeius, magni nominis duces, eum simul adorti sunt, aduersus quos, quamuis viribus impar, mansit intrepidus: non enim pugnam detrectans, munitis in locis se continuit, sed cum illis audacter congressus sæpius vi- D ctor discessit, neque vi aut astu superari ab illis potuit, sed proditione suorum necatus, integra manente gloria victoriam concessit.

LVCVLLVS.

14 Fuit Lucullus literarum studio, & bellica laude clarissimus, ac præcipuè in hoc laudatus est, quòd duos florentissimos, potentissimosque reges duabus maximè rebus, mora scilicet, ac celeritate, vicerit. Reip. infensus priuatæ vitæ se

dedit. ædibus, & prætorijs extruēdis intentus, hortis & cœnationibus amœnißimis incredibili sumptu paratis, & bibliotheca insigni vtriusque linguæ libris referta, atque omnibus obuia, & patenti. Ita à curis Reip. liber, singulari lautitia & splendore sumptuū vitam per omnē viuendi amœnitatē traduxit, insignēq́ue laudem tulit, quòd prouinciam contēpserit. A

CN. POMPEIVS

15 Cn. Pompeius in rebus bellicis fortunatißimus fuit. De tribus mundi partibus triumphauit, trésque suos triumphos ante annum ætatis quadragesimum egit: primum ex Africa, cùm vix vigesimumquartum annum attigisset, quod nulli anteà contigerat: secundum ex Europa: tertium ex Asia. Bella duo periculosißima, & quæ diu Romanos exercuerant, breui & fœliciter confecit, Piraticum, & Mithridaticum. Contra viginti duos reges bellum geßit, quos post fugatum Mithridatem Romano imperio subiecit. vnde vectigalia populi Romani maximè adauxit. Viros literatos in honore habuit. Possidonij Philosophi domum intraturus, fores percuti à lictore (sicut mos erat) vetuit, & fasces lictorios Philosophi ianuæ submisit is, cui Oriens Occidénsque se submiserat. amator plebis, & senatus cultor, temperans, & prudens, & veræ gloriæ appetens fuit, & comitate amabilis. Hoc in eo inter cætera egregia facta non vulgari laude dignum æstimatum est, quòd in tanta potentia nunquam conterminum agrum ad prolatandos fundi terminos emerit, & vicinis præsidio, non exitio esse voluerit. B C

Strabo. lib. 11. App. b. c. lib. 2. Zonar. to. 2. Naucler9. Sabell. Bud. de eß. 2.

M. CRASSVS.

16 M. Crassus in liberalibus disciplinis apprimè eruditus fuit: in politica gubernatione, & militari clarus: honorum & opum æquè appetens, in quibus acquirendis & sagacißimus, & diligentißimus fuit. Periculosißimum & Romanis omnibus admodum formidandum seruile bellum à Spartaco excitatum fœliciter confecit, quod ei magnam gloriam peperit, & ad amplißimos honores aditum fecit: siquidem parem dignitatis gradum cum Pompeio & Cæsare nactus est. D

C. IVLIVS CAESAR.

17 C. Iulius Cæsar, qui iure belli dignitatem Imperialem in

se vnum

A ſe vnum tranſtulit, liberalis, magnanimus, fortis, clemens, benignus, gloriæ cupidus, literarum amator, militibus charus, & populo acceptiſsimus fuit. Non proſperis extollebatur, nec frangebatur aduerſis: magnificus & ſumptuoſus ſine crudelitate, magnanimus ſine temeritate: iuuenis eloquentię, rebûſque gerendis iuxtà idoneus viſus, audax, & confidens, & nihil non ſpe præcipiens: vt rei militaris ſcientiſsimus, ita in bellis fortunatiſsimus. Signis collatis bis & quinquageſies dimicauit. Marcellum ſolus prætergreſſus è Romanis, qui nouies, & tricies præliatus eſt. Illius ductu vndecies centum, B & nonaginta duo millia hoſtium cæſa, præter eos, qui bellis ciuilibus cecidere. Nullus Imperatorum ſæpius collatis ſignis dimicauit, nullus proſperiùs bella confecit, nullus ferociores hoſtes deuicit: per tot proſperos ſucceſſus in ſubigendis Gallis, Germanis, Britannis, ter, nec amplius, aduerſum caſum expertus. Sibi perſuadebat ſecum nauigare fortunam, per campos comitari, ſibi adeſſe in caſtris, in adminiſtrandis omnibus bellicis muneribus iuuare. Spreto Hiſpanico triumpho ad comitia deſcendit, vt conſul crearetur, tantâ honoris cupiditas eum inceſſerat. Cùm audiſſet, Æmylium & Marcel- C lum ſibi infenſos ad conſulatum electos, & Curionem ad tribunatum, eos largitionibus ad ſe allicere tentauit, & Æmylium ſibi beneuolum mille & quingentis talentis, id eſt, nongentis millibus aureorum conciliauit, ea ratione, vt nihil contra ipſum moliretur. Curionem, vt pro ſe ageret, in ſuas partes perſoluto ære alieno traduxit, quod ſexcenties ſeſtertiûm ſummam adimplebat, ideſt, quindecies centena millia aureorum. Exactor grauiſsimus diſciplinæ fuit, ita vt neque itineris ſuſcipiendi, neque prælij committendi tempus denunciaret, ſed paratum, & intentum pugnæ militem momentis D omnibus eſſe volebat, vt quo vellet ſubitò educeret: quod etiam ſine cauſa plerumque faciebat, præcipuè pluuijs & feſtis diebus. Fama hoſtilium copiarum ſuos perterritos, non negando minuendoúe, ſed inſuper amplificando, ementiendo qúe confirmabat. Longiſsimas vias incredibili celeritate, cùm opus erat, conficiebat, meritoria rheda centena paſſuum millia in ſingulos dies: ſi flumina morarentur, nando, vel inflatis vtribus innixus: vt perſæpe nũcios de ſe præueniret. In quadraginta diebus, poſtquam in Hiſpaniã venit, tres clariſsimos

Pompei duces cum florentissimis exercitibus deuicit, totamque Hispaniam vsque ad Oceanum subegit. Denunciante Pompeio pro hostibus se habiturum qui Reip. defuissent, ipse medios, & neutram partem fouentes suorum numero pronunciauit: quibus autem ex commendatione Pompeij ordines ducendos dederat, potestatem ad eum transeundi omnibus fecit: ita nec suspectos apud se retinuit, nec à se cum animorum offensione dimisit. Europam cæde domuit, Africam consilio, Asiam celeritate. Desertorum ac seditiosorum & inquisitor, & punitor acerrimus: conniuebat in cæteris: Nemo clementius, nemo liberaliùs victoria vsus. Triumphauit quinquies, quater eodem mense. Primus triumphus fuit Gallicus, secundus Alexandrinus, tertius Ponticus, quartus Africanus, quintus Hispanicus. Ad emerendam eius gratiam omnes humani diuiniqúe honores ei congesti sunt: sacrificia, certamina, donaria in omnibus templis, & locis publicis per singulas tribus, & per omnes nationes, perqúe regna sociorum & amicorum populi Romani, Pater patriæ est appellatus, & Dictator perpetuus, & consul in decennium, & sacrosanctus declaratus. In honorem natalis eius Quintilem mensem mutato nomine Iulium vocari placuit: templa etiam multa tanquam Deo ex senatusconsulto decreta sunt.

Suetonius, Cicer. de orat. Valerius lib. 9. App. b. c. 2. Plut. in vitis. Oros. lib. 5.

OCTAVIVS AVGVSTVS.

18. Octauius Augustus studijs liberalibus, & præsertim eloquentiæ adeo deditus fuit, vt nullus præteriret dies, ne in procinctu quidem, in quo non legeret, scriberet, & declamaret. pangere carmina tam peritè potuit, vt cum poetis certaret. liberalis, magnaminus, à populo & militibus dilectus fuit, & in bellis fortunatissimus, quæ nunquam nisi iustis de causis indixit, iactantis & leuissimi ingenij esse asseuerans ardore triumphandi, & ob lauream coronam securitatem ciuiũ per incertos præliorum euentus in discrimen deuocare: neque imperatori bono quicquam minus, quàm temeritatem congruere. satis celeriter fieri, quicquid cum maturitate consilij gereretur, armaqúe nisi maioris emolumenti spe nequaquam mouenda, quòd pro tenui lucro iacturâ graui petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus: cuius abrupti, amissique detrimentum nullo capturæ lucro pensari potest. Domuit Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico: Vindeli-

A Vindelicos, & Salassos coercuit. Bella ciuilia quinque gessit: Mutinense, Philippense, Perusinū, Siculum, Actiacum. rem militarem seuerissimè rexit, & copiarum militarium breuiarium apud se habuit. Maximo in honore, & existimatione apud amicos & hostes fuit. Reges amici, & socij populo Romano singuli in suo regno in eius memoriam Cæsareas vrbès condiderunt. Apud Taraconem Hispaniæ vrbem Indorum, & Scytharum Legati eum societatem offerentes adierunt. par illi cū Alexandro gloria, quem Hispanorū Gallorumqúe Legati in Oriente apud Babylonem veneraturi accessere. Hunc in Hispa B nia ad vltimum occidentem supplices cum gentilicijs muneribus Indus, & Scytha orarunt. Fuit consul decies, & quater, & duos triumphos minores, ac tres maiores egit. Tanti senatores fecit, vt singulos nominatim sedentes in curia salutarit, & discedens illis, nullo se mouente, valedixerit. Deponere reip. administrationem, vt nimis onerosam, grauem, & molestam voluit: sed dissuasus, & impeditus à suis consilarijs fuit. Præfuit rebus per annos quinquaginta, menses septem, dies sex. confirmata longo tempore potentia, fortunatus per omnia, reuerendusqúe stirpem successorum tanto imperio parem post se reli- C quit prouincias omnes descripsit, limites, Imperij terminauit, & ad eorum custodiam firmissima castella, exercitusqúe promptissimos collocauit.

Suetonius Oros. lib. 5. Zonar tō. 2. App. b. c. lib. 1. Volater. Naucler. Sigonius.

VESPASIANVS.

19 Vespasianus, perhumanus, facetus, affabilis, literarum studijs, præsertim Astrologiæ, deditus: disciplinæ militaris obseruantissimus fuit, & à luxu alienissimus, iniuriarū, & à offensarum immemor, & conspirationum in se negligens. Cùm ab D omnibus moneretur, vt caueret à Pomposiano, de quo sermo vulgabatur, quòd regnaturus esset, consulem illum fecit, ludens tali cauillo: Quando regnum acceperit, talis beneficij memor erit. Tam certus de sua suorumq; genitura semper fuit, vt post assiduas coniurationes affirmare ausus sit senatui: aut filios sibi successuros, aut neminem. ideo improborum conatus magis irridebat, quàm vlciscebatur. In omne genus hominum liberalissimus, cum ærario maximè studeret, ita quæ sollicitè exigebat, magnificè & laudabiliter expendebat. Expleuit cen-

sum senatorum, & consulares inopes quingenis sestertiũ millibus annuis sustentauit: ingenia & artes maximè fouit, primúsque è fisco Latinis, Græcisque Rhetorib. annua salaria constituit. Formam imperij, ordinem prouinciarum, distinctionẽ exercituum, leges, & iudicia in integrum restituit, cùm sub tot portentis Caligula, Claudio, Nerone, & laniena Ottonis & Vitellij magnæ confusiones regnassent. Amphitheatrum tanto sumptu ædificauit, vt omnes Imperatores, regesqúe magnificentia antecelluisse dictus sit.

Suetonius. Sex. Aurel. Nanclerus. Budæus. Ph. Mel. chron. 3.

A

TITVS.

B

20 Titus Vespasiani filius laudatissimus princeps fuit, ac propter iustitiam, & beneficentiam amor & deliciæ generis humani nominatus, patrem viuentem debita pietate coluit, & consilia gubernationis plurimum adiuuit, & cum disertus esset in Latina & Græca lingua, multa edicta formauit, & plurimas orationes in senatu patris nomine habuit. Imperium eius incruentum fuit. Duos patritij generis affectati regni conuictos ad se vocatos monuit: Potestates fato dari, frustraqúe tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu. & nihil acerbius in eos decreuit. Fratri Domitiano, cum insidias ei strueret, pepercit, eumqúe lachrymans hortatus est ad mutuum amorem. Accusationem contra eos, qui Imperatori male dixisse dicerentur, non recepit, inquiens: Ego, cum nihil faciam reprehensione & contumelia dignum, mendacia nihil curo. Delatores etiam, qui propter prædam alios accusabant, cæsos flagellis aut fustibus deportari iussit. Tantæ largitatis fuit, vt nulli à se petenti quicquam denegaret, dicens, nullum debere ab Imperatoris conspectu tristem abire.

C

Suet. Sex. Aurel. Abb. Vrsp. Nauclerus. Ph. Mel. chrō. 3.

TRAIANVS.

D

21 Vlpius Traianus princeps fuit sapiens, iustus, consilio & fortitudine in bellis excellens. Exules iniuste damnatos reduxit, & Romæ leges & iudicia restituit: ius frequenter ipse dixit. Optimum quemque aut bellicosum in precio habuit, magisqúe simplicia, & candida ingenia amauit, quàm astuta. Propter mansuetudinem, humanitatem, & amabiles mores, senatus decreto hic honos ei habitus, vt princeps optimus appellaretur. Duo, quæ in egregijs principibus celebrantur, habuit, sanctitatem domi, & in armis fœlicitatem, & vtrobique pruden-

A prudentiam. Tantus in eo maximarũ rerũ fuit modus, vt quasi temperamento quodã virtutes miscuisse videretur. Iuris diuini & humani peritus, tam repertor noui, quàm veterum custos. Vbi Imperium assumpsit, inter alia honesta edicta illud ad senatũ misit, nunquã suo iussu bonũ virũ occisum iri, aut ignominia notari: Magistro equitum gladium tradens dixit, Vtere hoc pro me, si iustè fecero sin: minus, contra me. Honestæ gloriæ appetens fuit, & excellentium bello ducũ præclara gesta imitari conatus est, & in talibus ausis fato cessit.

Diõ Nycæ. 9 Sex. Aurel. Victor. Naucler. Cuspin. Ph. Mel. chrõ. 3.

ADRIANVS.

B 22 Adrianus adeo in literarum studio excelluit, vt cum doctis scribendo, & disputando certarit. literis Græcis impense deditus fuit: canendi, psallendi, medendique scientijs insignis: geometra, architectus, pictor, & sculptor in ære & marmore egregius. Vt studia autem doctrinarum intellexit, sic etiam ornauit. remouit à munere docendi parum idoneos, datis alimẽtis, & magis idoneos præfecit. Immensi laboris fuit, quippe qui omnes imperij prouincias pedes peragrarit, agmen comitantium semper præuertens. Exemplo milites ad laborem adhortabatur, cum armatus vicena passuum millia pedibus C conficeret. Tribunos non fauore militum, sed iustitiæ fama eligebat. Idem seuerus, lætus: comis, grauis: cunctator, festinus: tenax, liberalis: apertus, simulator: sęuus, clemens, & semper in omnibus varius, ita, vt animi secreta nunquam panderet. Neminem vidit pauperem innocentem, quem non ditauerit: fraude, & dolo malo diuites maximè odit. de thesauris ita cauit, vt si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si in alieno, dimidiũ domino daret: si in publico, cum fisco æqualiter partiretur. in colloquijs cum infimæ sortis hominibus facilis & humanus, execratus eos, qui sibi hanc voluptatem humanitatis, princi- D pis dignitatem maximè conseruantis, inuiderent. Vno atque eodem tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum amicis confabulatus est. Equos, & canes sic amauit, vt eis sepulchra constituerit. Quos priuatus habuit inimicos, princeps incolumes præstitit. Libros vitæ sua à se conscriptos libertis suis, qui literati erant, dedit, iubens vt suis nominibus publicarent. Malebat suas laudes alieno ore potius, quàm suo prædicari. Mathesim exactè didicisse visus est, adeo, vt serò calendis Ianuarij scripserit, quicquid ei toto anno euenturum erat: & eo

anno

nuarij scripserit quicquid ei toto auenturum erat: & eo anno quo perijt, quicquid ipse acturus esset, non aberrante euentu, vsque ad fatalem horam scripsit. A

AGATHO ATHENIENSIS.

23 Agatho vir monstrosæ fortitudinis, simul & magnitudinis, tempore Adriani. Erat corporis eius moles octonûm pedum, vasta coma, hirsutis oculis tam prope inter se iunctis, vt vnus viderentur, lata facie, naso aquilino, ceruice torosa, pectore amplo pulchreque compacto. Certamina illi erant assidua cum apris, lupis, tauris, à quibus accepta vulnera ostentare solebat. Lacte asinino victitabat. Cratera iussu herodis Attici sibi allatum respuit, haud purum esse dicens, quòd odore mulierum offenderetur. Re postea inquisita, compertum est, mulierem in cratera lac mulsisse. Id omnibus instar miraculi visum. B

Volater. lib.13.

ANTONINVS PIVS.

24 Antoninus pius fuit forma conspicuus, ingenio clarus, moribus placidus, mitis, largus, alieni abstinens: & hæc cum mensura, & sine iactantia, suis, & exteris dilectus: æquitatis & pacis amantissimus, ita, vt plurimæ nationes depositis inter se armis suæ sententiæ libenter paruerint. Tanta benignitate & moderatione in principatu vsus, vt haud dubiè sine exemplo vixerit, eum orbem terræ nullo bello per annos viginti-tres authoritate sua rexerit: adeò eum metuentibus atque amantibus cunctis regibus, nationibus & populis, vt parentem patronúmue magis, quàm dominum aut Imperatorem putarent. Singularis eloquentiæ, & nitidæ literaturæ fuit. Salaria multis subtraxit, quos ociosos videbat. Ipso imperante vnus tantùm proscriptus est, Attilius Titianus, affectati imperij reus, senatu puniente, à quo conscios requiri vetuit. C D

Iu. Capitol. Sext. Aurel. Vict. Euseb. Vopiscus. Cuspin.

PERTINAX.

25 Pertinax moribus fuit inculpatus, & ipsius integritati accedebat ætatis grauitas: peritia singularis, & exacta doctrina. Cuius adeo se studiosum præbuit, vt ad imperij fastigium euectus, in ludum literarium atque gymnasia de more iuerit. Primus omnium ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriæ nomen recepit. Congiarium dedit populo viri-

Sufficere

A tim denarios centenos. Cùm senatus obsecraretur eum, vt vxorem suam Augustam, filium suum Cæsarem vocaret: Sufficere (inquit) debet, quòd ego ipse inuitus regnaui, cùm non mererer. Onus quam maximum, & curam ingentem reip. administrationem experiebatur, à qua se libenter leuatum vidisset. Quia videbat corruptam disciplinam non posse restitui, voluit Imperium deponere; atque ad priuatam vitam redire. Populo gratissimus fuit, quod in ipsius morte præcipuè declarauit. eam enim adeo iniquo animo tulit, ac si quisque proprio parente orbatus fuisset. sperabant enim omnes, qua B probitate & prudentia erat, antiquos mores, si diutius imperasset, per eum posse restitui.

Herodianus. Abb. Vrsp.

ALEXANDER SEVERVS.

26 Alexander Seuerus bonis artibus tam ciuilibus, quàm militaribus imbutus fuit. ne vnum quidem diem egit, quo se vel militari labore, vel literarum studio non exerceret. alloquio, & aditu omnibus facilis: erga amicos benignus, ab ambitione alienus, adeo, vt Antonini, vel Magni cognomen à senatu delatum accipere renuerit. In iocis suauissimus, in fabulis, & colloquijs serendis amabilis, in conuiuijs comis. C Græcè eleganter doctus, ita, vt vitas bonorũ principum Græco carmine descripserit. mathematicis disciplinis valde addictus. Populo tam acceptus & gratus fuit, vt primo die, quo ad imperium euctus est, Augusti, & Patris patriæ nomen, & ius proconsulare, & tribunitiam potestatem, & ius quintæ relationis acceperit, & pontifex etiam maximus creatus fuerit. Initio imperij mox remouit ab officio infames, qui anteà sub turpissimo tyranno Heliogabalo creuerant. Ex senatu, & ex doctis viris præcipuos delegit, sapientia, & virtute excellentes, quos ad consilia adhibuit, & ad domesticam fami- D liaritatem. nullam legem sanxit nisi ex viginti virorum iuris scientiæ peritissimorum consilio. Annua salaria Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruspicibus, Mathematicis, & Architectis instituit, & oratoribus, qui in prouincijs causas gratis agebant. A mulieribus famosis, matrem, & vxorem suam salutari vetuit. Pauperes iuuit, quos infortunio, non sua culpa in paupertatem incidisse nouerat. Ad aurum colligendum attentus fuit, ad seruandum cautus, ad inueniendum sollicitus, sed sine cuiusquam excidio. honorem iuris, & gla-

dij nunquam vendi passus est: dicens, necesse esse vt qui emit, vendat. Seueritatis tantæ in milites disciplinam detrectantes extitit, vt sæpe legiones integras exauthorauerit. Cùm aliquem ob quoddam maleficium punire iubebat, per præconem, pronunciari volebat, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Christo templum facere voluit, eumqúe in numerum deorum recipi censuit: (quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulachris iusserat fieri) sed prohibitus ab ijs, qui consulentes sacra, repererant, omnes christianos futuros si id eueniret, & reliqua templa in contemptum, & desolationem ventura.

Lampridius. Sext. Aurel. Victor. Sabell. en. 7. lib. 6. Volater. Cuspin.

FLAVIVS CLAVDIVS.

27 Flauio Claudio ob insignes & heroicas virtutes à Gallieno ante obitum, posteà ab exercitu & senatu pari consensu delatum Imperium. Tanta in æstimatione apud omnes ordines fuit, vt in eo Traiani virtutem, Antonini pietatem, Augusti moderationem reperiri vulgò diceretur: & à senatu frater, pater, amicus, bonus senator, & verè princeps appellaretur. Trecenta viginti millia Gotthorum vna expeditione deleuit. Tot mulieres captiuæ fuere, vt binas ternasúe miles quisque ex ipsius exercitu haberet. Pugnatum apud Mœsos apud Byzantios, apud Thessalonicenses, in varijsqúe alijs Macedoniæ & Græciæ locis, vbique Claudij auspicijs victi sunt Gotthi. Germanos, qui in Italiam irruperant, superauit. Ægyptum Imperio restituit: fortis, & strenuus vsque adeo fuit vt sæpè equis & mulis ictu pugni dentes excusserit. Quo ipsius memoria honorificè seruaretur, senatus clypeum aureum, in quo imago eius expressa fuit, in Capitolio collocauit.

Trebell. Poll. Naucleru s. Cuspin. Ph. Mel. chr. 3.

AVRELIANVS.

28 Aurelianus modicis ortus parentibus, à prima ætate ingenio viuacissimus extitit, & viribus pollens. Nullum vnquam diem prætermisit, postquam militiæ se dedit, quamuis festum, vel vacationi deditum, quo pilo & sagittis, cæterisqúe armorum excercitijs non se oblectaret. Statura procera fuit, neruis validissimis, seueritatis acerrimæ, disciplinæ singularis, quam inter milites cum summa modestia inuiolatam semper retinuit. Primus apud Romanos capiti diadema imposuit, gemmisqúe, & aurata omni veste vsus est: eò sumptuosior

habitus

A habitus, quòd is mos Romanis incognitus, & anteà non visus erat. Multa communi paci vtilia sanxit: & hoc peculiare, ne audirentur qui deferebant malè loquutos de principibus: prudēter indicans stolidę plebis petulantiam coerceri nō posse, nec magni esse animi ob quoduis insolēs dictū commoueri.

Vopiscus Pompon. Lætus. Ph. Mel.

PROBVS.

29 Valerius Probus, vir iustus & fortis fuit, cùm in ciuili, tum in bellica administratione peritus, & fœlix. Suffragijs militum, qui cum illo erant, Imperator electus est, à senatu libenter confirmatus, & ab omnibus exercitibus receptus. B Cæsaris, Augusti, Patris patriæ cognomen, pontificatus maximi dignitatem, ius tertiæ relationis, tribunitiam potestatem senatus ei detulit. Francos & Alemannos, qui Galliam inuaserant, repressit, trucidatis quadringentis millibus hominum. Franci in Belgio victi sunt, & receptæ Gallicæ ciuitates sexaginta. Alemanni ad Nicrum profligati sunt. Extinctum exercitus luxit, eiusque sepulchro inscribendum curauit, Hîc Probus Imperator, verè probus, situs est, victor omnium gentium barbararum, victor etiam tyrannorum.

Vopiscus. Cuspin. Ph. Mel. chron. 3.

C CONSTANTINVS MAGNVS.

30 Constantinus Magnus, armorum cùm fuerit studiosus, eloquentiæ expers non fuit, nec Philosophiæ. In administrādis, & gerendis bellis inuictus fuit, & in tyrannis opprimendis admodum fortunatus. Deuicto Maxentio, omnibus qui contra se arma tulerant, veniam dedit. Omnibus à Maxentio proscriptis, patriam: spoliatis bona restituit: quos verò ille furoris socios auctorésue habuerat, quęstionibus seuerissimè habitis condemnauit. Omnibus conqueri volentibus faciles aditus, & benigna responsa dedit. Cùm de eius victorijs, & D prospero rerum cursu sermones ipso præsente sererentur, ingenuè fatebatur, non victorias modò, sed vitam, animum, spiritum, consilia, & cogitata, Imperium ipsum, & omnia fausta ac prospera soli Deo optimo maximo accepta referre. Eius aula in interiore recessu, Ecclesiæ faciem, propter precationum frequentiam & meditationis mandatorum Dei assiduitatem, referebat. Si quando inter sacrorum antistites dissidia intercederent, medium se veluti communem illorum collegam, conciliandi pacificandique gratia, interponebat.

Ad populum verba faciens, homines plebeos fratres, & conseruos appellabat. Amplissimam ciuitatem veluti ipsius Romæ sociam ædificauit, quam Rom. imperij sedem esse voluit. Sanxit, vt agri, villæ, oppida, quæ ad victum emeritorum tributa erant, ad hæredes transirent: inde initium, & autoritas feudorum petitur. Ecclesiæ gratiosus, populo & militibus charus fuit, ita omnes ordines eum sospitem & saluum communibus votis & conceptis precibus exoptabant, talemque orationem pro eo, liberisque eius ad Deum de more milites ædebant: Te solum scimus Deum, te regem nouimus, te adiutorem inuocamus, per te victorias reportamus, per te potentiores hostibus euasimus: tibi nos eorum, quibus fruimur, bonorum debere gratiam agnoscimus: te quoque futurorum largitorem fore speramus: tibi omnes supplicamus, vt Imperatorem nostrum Constantinum, filiosque eius, tui amantes, quàm diutissimè nobis saluos & victores conserues. Vniuersum orbem Romanum vnus ipse post varia certamina tenuit, & defendit, & moriens filios gloriæ & potestatis suæ hæredes reliquit.

Euseb. lib. 4. de vita Cōstātini. Aug. de ciuit. 5. Sextus Aurel. Victor. Cuspin.

VALENTINIANVS.

31 Valentinianus constantia in religione, iustitia, & æquitate, ac fœlici gubernatione insignis fuit. Præfectus militum sub Iuliano fuit: sed ab eo reiectus, quòd integritatem Christianæ religionis noluit deserere, & cum ipso Imperatore vanissimis ethnicorum superstitionibus adhærere. Propterea ipsum Imperatorem non leuiter irritauit, cùm Ethnico sacerdoti colaphum impegit, quoniam ab eo aqua lustrali porrecta ad sacrificandum idolis fuerat inuitatus, cum ad templi ianuam dominum expectabat. Cùm audisset Ambrosium, virum consularem, in episcopum electum, Gratias Deo (inquit) ago, quòd, quos reip. administrandæ præficio, eos ille ad Ecclesiam gubernandam deposcit. Vt pacatam, & quietam remp. teneret, plurimas vtiles & honestas leges tulit. Plurima bella in Occidente feliciter gessit, Saxones & Burgundiones oppressit, Gotthos multis prælijs fregit, & supplices pacem petere coegit.

Cuspin. Sig. de occid. imp. lib. 7. Ph. Mel. chrō. 3.

THEODOSIVS.

32 Theodosius Imperator huius nominis primus, Romani Imperij propagator atque defensor eximius fuit: moribus, & corpore

A corpore Traiano, à quo genus ducebat, persimilis: mãsuetus & religiosus, patientia & clementia vniuersis præcellens: ita sapiens, vt inter confabulantes experimentũ omniũ rerum & causarũ, habere crederetur. In expeditionibus frigoris æstusq́ue patiens, & in causis bellorũ, vindictę nullo modo appetens, grauitatẽ cum hilaritate coniunctam habuit: iram, tristitiam, libidinem compescere nouit: ministeria lasciua psaltriasq́ue comessationibus adhibere lege prohibuit. Si quando bella sibi indicerentur, ad deum confugiebat, sciens eum æquitatis defensorem, & victoriarum largitorem, magisq́ue precibus quàm armis fidebat: licet militaris disciplinę obseruantissimus esset.

B Pacata Europa, asserta Lybia, attrita bellicosa Germanorum gente, dataq́ue toti Orienti pace, postremò subactis Gallis, non omissa Britannia, victrici gentium vrbi tropheum reportauit. Gratianum tyrannico ferro perfidè interemptum vindicauit, & Valentinianum paruulum eius fratrem paterno fouit affectu: fidei & societatis seruandæ, quàm nimię potestatis acquirendæ auidior. Rebelles Imperij, & tyrannidem affectantes mira celeritate, nec minore prosperitate deuicit. Hostium cæsorum filios ad Ecclesiam confugientes benignè seruauit, nec bonis priuauit, sed auxit honoribus.

C Episcopos, quos Valens Ariana labe infectus exilio mulctauerat, reuocauit, in suasq́ue sedes restituit. Non solùm claudi idolorum templa, sed prorsus exscindi iussit, & sacrificia ethnica, inter quę orgya Bacchi, quæ tempore Valentis adhuc in vsu erant, aboleuit. Ecclesiastica coercitus disciplina, sic pœnitentiam egit, vt Imperatoriam celsitudinem abiecisse visus sit, ita vt populus pro illo orans magis fleret videndo prostratum, quàm peccando timebat iratum. Coegit publicas synodos, & religionis Christianæ doctrinam puram in omnibus sui imperij regionibus

D retineri curauit. Non contentus vitia reiecisse, alijs corrigendis curam adhibuit: & ne quis punitus pati iniuriam putaretur, à se voluit incipere censuram. Optimos viros delegit, quibus prouincias regendas, quibus rei militaris summam, quibus arcana consilia commisit. Inter optimas, quas sanxit, leges, hanc memorabilem ferri voluit, vt post rescripta Imperatoris differantur supplicia capitalia dies triginta, ne rei capitis, iniusta ira rebus non satis cognitis interficerentur. Postremus imperium in Oriente & Occidente tenuit integrum.

MARTIANVS. A

33 Martianus ex gregario milite per gradus ad Imperatoriã celſitudinem euectus eſt, vt magis virtutum meritum, quàm militum fauor in eo ſpectetur. Tantam negotiorum molem quam imperij magnitudo adferebat, non numeroſo exercitu, nec ſolerti prudentia fretus, ſe ſuſtinere poſſe putauit: ſed cùm eam poteſtatem à Deo ſibi commiſſam intelligeret, diuinæ prouidentiæ ſe ſubmittebat, præſidioquẽ numinis præcipuè nitebatur. Vaſtante Europam Attila Hunno, qui ſe Flagellum Dei nominabat, in ſcelerum populorum vindictam B tyrannum à Deo excitatum agnouit, ideo à cœli terręquẽ Domino, non à ſubditis, aut fœderatis populis opem implorauit, & per quietem diuino inſtinctu admonitus eſt, vt poſitis armis, Leonem Romanum pontificem illi obijceret: cuius precibus delinitus, vaſtationi finem impoſuit. Imperante illo, ſynodus Chalcedone celebrata magna Epiſcoporum frequentia (ſexcenti enim & triginta numerati ſunt edicto conuocati) qui & diſputationi interfuit ne ſeditioſis tumultibus facultas dicendi ſententias impediretur, & ipſe teſtatus eſt ad confirmandam fidem, non ad oſtendendam potentiam, exemplo Cõ C ſtantini Imperatoris eò veniſſe, vt aſſerta veritate, & diſcuſsis erroribus diſsidia tollerentur. Vt multos hęreticos, qui cõtempta ſynodorum authoritate motus in eccleſia ciebant, compeſceret: legem tulit, qua cauebatur, ne quis turbis coadunatis, & audientibus, de fide Chriſtiana diſceptaret: hanc rationem addens, quòd hoc pacto contra fidem verè expóſitam tentatur, & Iudæis & paganis ex iſtiuſmodi certamine veneranda myſteria profanantur. Eius imperium non parum nobilitatum inclytæ vrbis Venetæ ædificatione, quę tanta fœlicitate poſteà creuit, vt omnibus vrbibus per multa ſecula, forma guber- D nationis optima, excellentia artium, & gloria rerum geſtarum antecelluerit.

De ſumm. Trinit. Cod. Cuſpin. Iou. Elog. 1. Ph. Mel. chrõ. 3.

IVSTINIANVS.

34 Iuſtinianus belli & pacis artibus clariſsimus euaſit. Duos præ cæteris inſignes copiarum duces ſortitus eſt, Beliſarium, & Narſetem: quorum opera res præclariſſimas, & glorioſiſsimas confecit. Gotthos Italiæ, & Vandalos Africæ inuaſores,

& Arrianam

A & Arrianam ſectam, quæ catholicæ & orthodoxæ fidei maximè aduerſatur, profitentes, captis eorum regibus debellauit, & ipſorum regna, & nomen deleuit. Perſas à finibus Imperij ſummouit, & intra ſuos limites ſe continere coegit, & de multis alijs nationibus triumphum reportauit: de quibus hæc nomina ſpecioſis laudis titulis illi parta ſunt: Alemannicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus. Diſciplinam militarem diligenter obſeruari voluit. Pace vndique ſtabilita, vetera iura & leges Romanorum in digeſtorum libros redigi curauit, eaſque in communi B vſu eſſe voluit. Diligenter etiam procurauit, vt eccleſia Latina cum Græca vnanimis & conſentiens eſſet, coacta ſynodo, quæ Oecumenica quinta nominata eſt. Vt autem magna laude dignus habitus eſt, quòd reip. & eccleſiæ pacem quæſiuit: ita fœliciſsimus iudicatus, quòd in ciuili gubernatione ſapientiſsimos conſiliarios, & in bellicis rebus duces peritiſsimos & fortiſsimos nactus fuerit.

Procop. de. reb. Gotth. Agathias. Æmyl. lib. 1.

BELISARIVS.

C 35 Beliſarius ſummus dux copiarum ſub Iuſtiniano, vir perhumanus fuit, aditu, & alloquio facilis, ſupra modũ in viros ſtrenuos liberalis & munificus, atque rei militaris peritiſsimus. Romanum Imperium collapſum penè reſtituit. Parua manu duas validiſsimas nationes, & in diuerſis mundi partibus, Vandalicam & Gotthicam, adortus attriuit, fregit, & imperata facere coegit: præclareque oſtendit, res bellicas conſilio & peritia potius, quam vi & impetu, commodè & fœliciter adminiſtrari. Nec ſolum in Africa & Europa contra eas præferoces gentes ipſius virtus enituit: ſed in Aſia etiam D aduerſus bellicoſiſsimam Perſarum gentem, quam Romanum Imperium armis infeſtantem prælio deuicit, & in patriam remeare coegit. Agricolarum, cùm ductabat copias, tantam habuit curam, vt neminem eorum violari, aut damno affici pateretur, tam ſeuerè, & exactè obſeruata diſciplina, vt ipſius milites ne poma quidẽ in arborib. pendentia attingerent. Ita ipſius moderatio & æquitas vel apud hoſtes innotuere, vt in ipſa victoria prorſus ſecuri eſſent, vt in capta Carthagine apparuit, vbi ingrediente victore milite, nemo tabernas occlu

ſit, aut

Procopius. Naucleras Ph. Mel. chron. 3. Sigon. de. occ. imp. 15.

sit, aut merces, volenti aliquid venale, abnuit. Regnum Italiæ à Gotthis oblatum recipere noluit, laudem fidelitatis quàm dominationis fœlicitatem maioris faciens.

NARSES.

36 Narses Persa natione, eunuchus, & seruus cõditione fuit, in regia Constantinopoli inter muliebres delitias nutritus, pretiosiorique demum gazæ fidelis custos præpositus: corpore pusillus, sed animo verè magnus fuit, perspicaci ingenio, & consilio exacto. Nemo enim eo grauissimarum rerum negotia certius explicauit: nemo vtriusque fortunæ impetum constãtiùs atque fœliciùs sustinuit, & auertit. Tãta ingenij bonitate valuit, vt nullo literarum præsidio fretus, cùm ad hortandos milites accedebat, animos omnium quò vellet facilè impelleret. Equitandi & iaculandi peritia insignis, qua vires in hoste validiores facilè contemnebat, & eludebat. Militaris disciplinæ obseruantissimus, & in exercendis militibus diligens, & attentus. Decurrere illos & saltare armatos cogebat, diuersis tubæ clangoribus assuescere, omnẽ laborem pati, ne ex longo hibernorum ocio bellicæ consuetudinis obliti in veris prælijs elanguescerent. Cunctas humanarum rerum actiones ad religionem reuocabat, ex qua non dubia præsensio, diuinatioque rerum bellicarum, & longa infracti animi patientia, & cuncta denique iustitiæ temperamenta proflueret. Gotthorum vires antè à Belisario fractas, & à Totila fortissimo duce instauratas, ad internecionem deleuit, adscitis ad id bellum salubri consilio Longobardis, qui tum temporis gloria belli maximè florebant. Deletis Gotthis, Francorum validissimas copias, quæ Bulthino, & Leuthare ducibus, torrentis more totã Italię longitudinẽ, cuncta obuia proterendo, emensi fuerant, per moras & æstus ita perfregit, vt nemo ferè ex illis in patriam redierit. Sic gloriosissimũ nomen de inuicta antea gente Iustiniano Imperatori suo acquisiuit (Francicus enim postea ab ea insigni victoria cognominatus est.) Tantis rebus gestis, ne erga deum ingratus, & Italiæ populis onerosus vel inutilis conspiceretur, templa collapsa restituit, & de nouo condidit, passim illatas à Gotthis iniurias resarciuit, summaque legum æquitate Italiæ gentes rexit, ita vt post tantas acceptas clades, quoad ille vixit secura, atque opulenta pace fruitæ sint.

Procopius. Agathias. Iou. Elog. 1. Sig. lib. 20. de occ. Im.

TIBER-

A TIBERIVS CONSTANTINVS.

37 Tiberius Constantinus, qui Iustino secundo in Imperio successit, fuit vir summæ pietatis & iustitiæ: ad eleemosynas in egenos promptissimus, in iudicijs æquissimus, discretione cautissimus, & moribus placidissimus. Nullum vel abiectissimæ sortis hominem ad se venientem repellebat, nullum cuiuscunque ordinis despiciebat: & quia dilexit omnes, ab omnibus est amatus. Mansit constans in catholica fide, nec permisit turbari Ecclesiam. Cùm vastantibus cuncta Longobardis B Roma fame laboraret, multa modiorum frumenti millia eò misit, vt ciues inopia pressos subleuaret. Qui in ipsum conspirasse deprehensi sunt, non aliter eos vltus est, quàm quòd seuerè obiurgatis, & sui officij admonitis omnem nocendi facultatem ademerit. In Thesauris inueniendis fortunatissimus fuit, quos maxima ex parte pauperibus distribuit. Bella fœliciter administrauit: vnde multi reges eius amicitiã expetiuere.

Nauclerus. Ph. Mel. chr. 3.

SOLON.

38 Solon Atheniensis, variarum doctrinarum cognitione, C rerum peritia, æquitate, iustitia, in patriam pietate, animi moderatione, & prudentia insignis fuit. Rempub. Atheniensium præclaris legibus instruxit, quas Romani postea in duodecim tabulas transtulere. Vt ciuitatem ab vsurarũ acerbitate leuaret, tulit legem, vt omnes remitterentur, & ipse primùm non paruum debitum remisit, nempe quinque talenta. Annum ad duodecim menses Lunares ordinauit, & adiecit epactas dies vndecim, vt conuenirent ad integrũ solis circuitũ. Mensuras & pondera concinnè & appositè instituit, quibus postea vsi sunt Romani, & pleriquę alij populi, qui à Romanis acceperunt. D Collegit in integrum corpus, Homeri poemata, atque in loco publico collocauit, instituitque, vt ordine singuli libri in diebus festis publicè legerentur. Hoc facto ostendit, ad gubernatores rerumpublicarum, curam conseruandi bona scripta pertinere. Pisistrati propinqui sui tyrannidi latenter obrepenti tempestiuè aduersatus, populum ad tuendam libertatem sæpius hortatus est, & quantum potuit prohibuit. Quum prodesse patrię se amplius nõ posse vidit, in voluntarium exilium abijt. Cùm in Ciliciam peruenit, ciuitatem condidit, quam de

nomine suo Solos nominauit, quæ diu in magna celebritate fuit. Multas alias regiones peragrauit, vbique suæ sapientiæ & moderationis vestigia relinquens. siquidem tantum iudicio, prudentia, & consilio excelluit, vt inter septem Græciæ sapientes primum locum promeruerit.

Plut. in Sol. Bud. de asse 4. Ph. Mel. ebr. 2.

MILTIADES.

39 Miltiades imperatorijs virtutibus ita excelluit, vt cùm inter Atheniensium duces in bello contra Persas constitutum fuisset, vt in singulos dies rei summa ad vnum deferretur, præeunte Aristide, ius imperij, & authoritatem suam omnes in eum contulerint; vnde & illi dignitas creuit, & exercitus firmior redditus, & ad dimicandum promptior, non dissidentibus ducum iudicijs, vt in partito imperio fieri solet. Cùm suorum itaque animos obfirmasset, qui vndecim millium numerum non excedebant, magna celeritate atque alacritate animi cum trecentis Persarum millibus conflixit, quos magna cæde ædita profligauit. Multum inde aucta & celebrata Atheniensium in armis gloria, qui tam parua manu numerosas copias latè cæciderant. Tam admirabilis & præconio digna omnibus populis ea victoria visa est, vt ad triginta sex varij scriptores de ea scripsisse memorentur. In hoc verò apparuit magnus & inuictus eius animus, quòd hostium spolijs non locupletior fieri, sed inter milites ea diuidi voluerit. Tam celebrem hominis famam animo reuoluens Themistocles, ad præclarè agendum adeo incitatus est, vt palam sæpius fassus fuerit, Miltiadis tropheum non sinere vt ipse somnum caperet: quòd indesinenter animo versaret, quónam pacto ipsius gloriam æquare posset.

Herodot. lib. 5. Iust. 42. Plut. in Aristid. Valer. lib. 3.

THVCYDIDES.

40 Thucydides Athenis natus, maternum genus à Miltiade duce, paternum ab Oloro Thracum rege duxit. Oratoria arte excelluit, & in re militari exercitatissimus ac peritissimus fuit, vnde exercitus cura illi est à populo, & senatu Atheniensi demandata. Scriptis & celebritate Herodoti extimulatus, eas res, quibus maximè interfuit, magno dicendi apparatu & elegantia descripsit: consultationibus, colloquijs, atque concionibus insertis historiam suam copiosiorem

& pul-

A & pulchriorem reddidit. Multæ sententiæ, & regulæ vitæ sapientißimæ in singulis ferè orationibus eius reperiuntur, & plures, quàm in plerisque Philosophorum disputationibus. Complexus est itidem in singulis libris historiarum suarum aliqua insignia & splendida exempla & facta, obseruatione & memoria digna, quæ illustri specie & splendore suo mentes legentium allicerent. Hoc eximium & summum habuit, quòd nec mendacium voluntariè dixit, neque aliquid fabulosum, aut inexploratum scriptis suis inseruit, quod lectoribus fastidio esse posset. Athenienses ciuis eloquentiam admirati, B cùm ipsum Imperatorem exercitus in exilium misissent, factum rerum gestarum scriptorem reuocarunt. Tanti eius historiam Demosthenes fecit, vt omnes eius libros sua manu octies descripserit.

Plut. Halycarn. Gellius. Chythræus.

ARISTIDES.

41 Aristides constantiam, modestiam, æquitatem præ se tulit, qui nec mendacium, nec intemperantius dictum, nec fraudem vel ioco probare potuit. Nulli honorum gradus C eius animi magnitudinem immodicè extulerunt, nec vllæ offensiones aut infortunia turpiter demiserunt. grauiter enim sibi persuaserat, hoc duntaxat gaudio bonum ciuem affici, si vita & oratione quæ iusta & recta essent, constantißimè defenderet. Sic etiam vitam instituit, vt publicè & priuatim iustitię & æquitatis acerrimus defensor, & constantißimus assertor, potentiorum iras aut inimicitias nihil reformidans, semper conspectus sit. Cùm ostracismi iniquè damnatus esset, verum in patriam amorem cum insigni animi moderatione coniunctam ostendit: ex vrbe enim decedens, expansis in D cœlum manibus deprecatus est, vt Atheniensibus quæcumque vellent, sic benè, faustè fœliciterque euenirent, vt Aristides sibi nunquam veniret in mentem. In bello contra Persas, in quo Themistocles Atheniensium dux creatus fuerat, eum, licet inimicißimum, cunctis in rebus consilio, opera, industria iuuit, & communis salutis gratia, laude, & gloria cumulatum reddidit. Benignè, clementer, & mansuetè cum socijs versatus, tantum gratiæ & fauoris sibi & patrię acquisiuit, vt maris imperiũ à Lacedæmonijs ad Athenienses transtu-

lerit. Tantum ei Plato tribuit, vt inter clarissimos viros, qui Athenis ante ipsum floruerunt, eum solum existimatione, laude, & admiratione dignum censuerit.

SOCRATES.

42 Socrates vir temperans, castus, iustus, modestus, iniuriarum patiens fuit: non opum, non voluptatis, ac ne gloriæ quidem appetens. Hic primus difficultatem cognitionis rerum, incertitudinem disciplinarum, & debiles humani ingenij vires non sine fastus, & arrogantiæ aliorum, qui philosophos se nominabant, reprehensione vidit, atq. agnouit. Cùm cæteri enim nihil ignorare palàm iactarent, nihil se scire professus est. Ideo ille disputabat, vt magis eliceret, refutaretque sententiam eius, cum quo disputabat, quàm suam ipse proderet, aut affirmaret. Æquabilitatem in omni vita seruauit, adeo vt eodem semper vultu in prosperis & aduersis visus sit. Primus Philosophiam ad corrigendos componendósque mores flexisse memoratur, cùm ante illum omnes Philosophi magis physicis perscrutandis operam impenderent. A rebus autem occultis, & ab ipsa natura inuolutis ideo Philosophiam auocauit, & ad vitam communem traduxit, vt de virtutibus & vitijs quæreretur: cœlestia autem vel procul esse à naturæ hominum cognitione censeret, vel si maximè cognita essent, nihil ad bene viuendum conferre. Mirari se dicebat non deprehendisse istos, qui res naturales noctes & dies tã curiose inquirebant, & cum iactantia tractabant, nihil posse in eis inueniri certi, cùm incertis opinionibus niterentur, & quæ se mutuò destruebant. Damnatus ducentis octoginta & vna sententijs, quia de dijs male loquutus credebatur: sed paulò pòst tanta cepit omnes Athenienses eius facti pœnitentia, vt gymnasia omnia clauderent, faciesque iustitij esset in ciuitate. Ex ipsius autem accusatoribus Melitum morte multarunt, Anytum exilio, & ipsi Socrati statuam æneam tanquam præclaro heroi, & de ciuitate optimè merito, erexerunt: nec gregario artifici, sed excellentissimo tunc temporis statuario Lysippo illud opus commiserunt. Ita atrocis inuidiæ, quam in vita superare non potuerat, post fata triumphator euasit, insigneque trophęum erexit.

Xenoph. comm. 1. Cicer. Academ. 1. Plin. lib. 7. Aug. de Ciuit. 8.

K 2 PLATO.

PLATO.

A

43 Plato paternum genus in Codrum regem, maternum in Solonem sapientem legislatorem referebat. Ita præter admirandas animi dotes, natura illi generis claritatem dedit. De rerum principijs, omniq́ue parte philosophiæ rectius iudicauit, quàm alij philosophi omnes, & qui eum præcesserunt, & qui sequuti sunt: eósque acutiore ingenio, certiore iudicio, ac sublimiori sapientia antecelluit: & cùm sancta, & vtili doctrina cæteros omnes philosophos vicerit, tum maximè assignando & definiendo summo hominis bono. Philosophiæ, cùm

B

olim circa vnam tantum physicæ speciem versaretur, & Socrates Ethicen addidisset, tertiam ipse Plato dialecticen adiecit, easq́ue tres philosophiæ partes sibi inuicem necessarias, & mutuis adiuuari auxilijs ostendit. Eloquentia tanta fuit, vt vulgatum fuerit illud apud veteres, Iouem Græcè loqui si vellet, non aliter loquuturum, quàm Platonem. Tria autē sunt quæ non modò Græciam, sed vniuersum orbem illi conciliarunt, Integritas vitæ, sanctitas præceptorum, & eloquentia. Cùm aliquem male agentem videbat, magis eius sortem miserabatur, quàm acriter vitia carpebat; hæc in verba semper prorumpens,

C

Faxit Deus ne ego talis euadam. Tanti eius probitatem Dionysius iunior fecit, vt eum solum sine inquisitione ad se admiserit: quamuis sciret eum Dionis hostis sui intimum amicum esse. Poetas pro arbitrio mentientes, vel miseris hominibus eorum, quos vulgus pro dijs coluit, facta pessima imitanda, & laudanda proponentes, omnino in ciuitate bene institutâ, viuere noluit: si non nimis corrumperentur licentia, nec rabie percellerentur, nec assentatione impellerentur, neq. ea cauerent, quæ bonos mores corrumperent, vtiles reip. iudicauit.

Ælia. lib. 4. Diog. Laert. Plut. Aug. de. ciuit. 2. & 8.

PHOCION.

D

44 Placidi, & misericordes, atque liberales, omniq́ue suauitate temperati mores Phocionis fuere, quos, optimè cunctis suffragantibus, Bonitatis cognomine decorandos cēsuit. Cùm nunquam supplicare populo decreuisset, & ideo à comitijs abstineret, ei absenti & inuito honores delati sunt. Tā spectatæ probitatis erat, vt omnes dignitate ornandū æstimarent. Quadragies quinquies imperator exercitus delectus est. Cùm Athenienses remp. aliter, atque ipse senserat, persæpe administras-

sent: adeo perseueranter suæ sententiæ propugnator extitit, vt in concione palam dixerit, Lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen aliquanto melius fuisse, quod ratione niteretur: prosper enim successus, qui ex fortunæ fauore, non inueterata prudentia, processerat, non sapientiæ palmam, sed fœlicitatis laudem tribuebat. Ciues belli magis cupidos, quàm peritos, & sua facta nimium verbis efferentes hortabatur, vt verborum copia, qua præstabant, cum hostibus certarent, non armis, quibus inferiores erant. Tam assentandi nescius, vt vel cum periculo, populi insolentiam taxaret.

Valer. lib. 3. Plut. in Vitis.

A B

DEMOSTHENES.

45 Demosthenes, eloquentiæ studio flagrans, iugiter lucubrabat adeo, vt duos, vel tres menses continuos domi inclusus sine intermissione studeret, abrasa parte capitis, vt exeundi facultatem sibi præriperet. Totas noctes nonnunquam meditando vigilandoqûe consumebat, & memoriæ diligenter mandabat, quæ pro concione ad Athenienses dicturus esset. Vocem suauem, & lateris firmitatem, quæ ad orandum requiruntur, cùm natura ei denegasset, labore & industria acquisiuit. Ita contra rerum naturam præliatus, è certamine peculiari cum laude victor discessit. Diligentia & labor, atque abstinentia eius maximè celebrantur, prout de eo dictũ est, quod omnes opifices nocturnis vigilijs semper preuenerit, & plus olei quàm vini in vita expenderit. Omnia quæ ad causas agendas necessaria ducuntur, ille habuit: quod Æschines ipsius ęmulus, quum Rhodi exul ageret, non dissimulauit: sic enim inimici vim, ardoremqûe dicendi suspexit, vt se scriptorum eius parum idoneum lectorem esse diceret: expertus in eo acerrimum oculorum vigorem, terribile vultus pondus, accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus. Hac de causa à Cicerone Romani eloquij parente dignus est ęstimatus, qui omnibus oratoribus præfertur. Duo insignia suæ eloquentiæ trophea tulit: vnum, cùm totam Græciam in Philippum Macedoniæ regem concitauit: alterum, cùm Æschinem, grauem æmulum, in exilium egit: ad quod iudicium concursus dicitur è tota Græcia

C D

factus

A factus esse. Vnde tam formidabilis eius eloquentia euasit, vt quidam ipsius silentium graui pecuniæ summa coemerint.

M. ANTONIVS ORATOR.

46 M. Antonio sua ætas primas eloquentiæ tribuit. Vir natura peracutus, & prudens, acerrimi ingenij, magnificus & splendidus, sed non extra modestiam. E tot millibus orationum, quas habuit, nullam ex scripto ædidit concionem, vt si quid parum laude dignum & contra legum decreta in ijs fuisset compertum, posset à se dictum inficiari. Cùm in ciuili bello Cinnæ & Marij sæuitiam fugeret, in villam quandam elapsus à villico benignè susceptus est, ac tectus: sed indicio serui Mario proditus, qui properè eò tribunum cum militibus misit. Hos suauis facundiæ longa oratione demulsit, varijs modis miserationem mouens: & vitæ eius pepercissent, suauitate orationis deliniti, & tanti viri reuerentia permoti: sed tribunus tam longam moram miratus, cursu cubiculum, in quo erat Antonius, conscendit, & ipsum inter orandum confodit, præcisumqúe à trunco caput ad Marium misit.

Cic. de. orat. App. b.c. lib. 1.

CATO CENSORIVS.

47 Cato Censorius, vir prudentia & diligentia, tum omni virtute excellens: seuerus, integer, laboriosus fuit, & dicendi facultate adeo clarus, vt à Romanis vulgò alter Demosthenes diceretur. Idem orator, idē historiæ conditor, idem vrbis, idem rerum rusticarum peritissimus. A Sapientia nomen habuit veteres enim, prudentes catos vocabant. Ipse inter tot operas & labores militiæ, inter tantas tamqúe varias domi contentiones, rudi sæculo, literas Grçcas ætate iam declinata, didicit. Optimus orator, optimus imperator, optimus senator visus est. Orationes reliquit amplius centum quinquaginta. Quadragesies causam dixit, & semper fuit absolutus. Populus eius censuram mirum in modum gratam habuit: cui cùm statuam consularem in templo collocasset, non præturas, nec imperia, nec triumphum, sed hunc titulum in censuræ μνημόσυνον inscripsit: Rem Romanam iam prolabentem, & in deterius versam, Cato creatus Censor, modestissimis institutis,

optimis

optimis moribus ac preceptis pristinum in locum restituit. In re militari industriam summam, & prudentiam ostendit. Omnium vrbium muros, quæ intra Betim amnem erant, vno die solo equauit: plura oppida in Hispania cepit, quàm in ea dies egit. Ita sciebat ardore militum vti, & perterritis hostibus commode instare.

App. in. Iber. Cicer. in Bruto. Plut. in vit. Viues. Riccbob.

M. VARRO.

48 M. Varro vir vndecunque doctissimus fuit, ita vt Romani nullum habuerint, quem ei conferre, nedum præferre potuerint, Adeo doctrina & sententijs refertus, vt in omni eruditione liberali absolutissimus videretur. Tam multa legit, vt aliquid ei scribere vacasse miremur: tam multa scripsit, vt vix quemquam legere potuisse credamus. Curiosè omnia quæsiuit, doctè inuenit, attentè considerauit, acutè distinxit, diligentissimè & plenissimè scripsit. Libros in vniuersum quadringentos nonaginta composuit, inter quos rerum humanarum viginti quattuor: In sex primis de hominibus scripsit: in secundis sex de locis: sex tertios de diuinis temporibus: sex quartos de rebus absoluit. Intendit enim qui agant, vbi agant, quando agant, & quid agant. Ita quicquid in terrarum orbe geritur, exacta diligentia explicuit. Eius lucubrationes in frequenti vsu etiam apud vulgus fuerunt. Viuenti (quod nemini antea) statua posita est in bibliotheca, quæ ab Asinio Pollione primùm instructa est.

Cicero. Gellius. Aug. de Ciuit. 7.

POMPONIVS ATTICVS.

49 Pomponius Atticus eques Romanus fuit, tanta erga domesticos facilitate, vt cùm matre nonagenaria nunquam rixatus fuerit, nec cum sorore. Abstinentia fuit singulari, vitaque à luxu, ambitione, & cupiditate aliena, vt qui præter patrimonium nihil vnquam adpetierit, nihil ædificauerit, nihil emerit. Litium maximè fugiens & factionum popularium fuit. Eruditis omnibus mirum in modum fauit. Semper dum discumbebat, anagnosten habuit, qui aliquid ex historia, aut philosophia recitabat. In eius familia erant pueri literatissimi: anagnostæ optimi, & plurimi librarij, adeo bene instituti, vt ne pedisequus quidem esset, qui non vtrumque horum pulchrè facere posset. Pari modo artifices cæteri, quos cultus

domesticus

A domeſticus deſiderat, apprimè boni. Cùm ab auunculo Cæcilio equite Romano, teſtamento centies ſeſtertiûm accepiſſet, nihil de quotidiano victu mutauit, nihil de vitæ conſuetudine, cùm tanta pecuniæ facta eſſet acceſsio: tantaqúe vſus moderatione, vt neque in ſeſtertiûm vicies, quod à patre acceperat, parum ſplendidè ſe geſſerit, neque in ſeſtertiûm centies affluẽtius vixerit, quàm à principio inſtituerat: ſed pari faſtigio in vtraque fortuna ſteterit. Lautus, & elegans fuit, non magnificus: ſplendidus, non ſumptuoſus. Tanta inter eum & Ciceronem amicitia fuit, vt ipſi Cieroni Q. frater Charior non fuerit. Id teſtantur multa epiſtolarum volumina ad eum ſcripta.

B

M. T. CICERO.

50 M. T. Cicero eloquentiæ & philoſophiæ ſtudijs inter omnes ſuæ ætatis homines clariſsimus extitit. Ingenio peracuto, iudicio graui, varia & recondita doctrina, exacta ſapientia & ſedatis moribus fuit. Cùm oratoria facultas ei imprimis arrideret, non ſolùm Latinos inſignes oratores, Craſſum & Antonium ſibi propoſuit imitandos: ſed etiam Græcos cum tanta fœlicitate, vt vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem & ſuauitatem Iſocratis effinxiſſe dictus ſit. Ob

C ſummam vigilantiam, qua conſul vſus eſt in prænoſcendis perduellis Catilinæ conſilijs, eiuſqúe conatibus, quæ ad vrbis excidium tendebant, auertendis, Cato Patrem patriæ appellauit: quod inſigne decus populus communi conſenſu approbauit: eoqúe maior illi gloria ceſsit, quòd primus Romanorum fuerit, qui huiuſmodi appellationem conſequutus ſit, quæ poſteà ad Imperatores, qui grati populo, & reip. nullo modo graues erant, paulatim deflexit. Illis verò quanquam regiã poteſtatem adeptis, non ſtatim cũ cæteris cognominibus

D hoc addebatur, ſed vix tandem cùm eorum in patriam pietas probè innotuerat, vt abſolutæ & eximiæ virtutis teſtimoniũ, publico decreto concedebatur. Cùm perſequente eum Clodio ſolum vertere decreuiſſet, ingens amicorum turba proſecuta eſt, mœſta admodum, quòd patria communi parente orbata eſſe cogeretur. Publicè etiam ſenatus literas ei dedit ad reges & regulos in Aſia, Romanorum beneficiarios, vt eius curam præcipuè haberent. In patriam reſtitutus, ædibus, villiſqúe, quas Clodius diruerat, inſtauratis ſumptũ publico, à tot gra-

tulantibus ad vrbis portam exceptus est, vt vix integer dies salutandis illis sufficeret. Disertus artifex regendæ reip. ab Augusto vocatus est, quòd lingua veluti clauo reip. nauem moderaretur, & ageret quò vellet. Plinius illum primum in toga triumphum, linguæqúe lauream meritum dicit. Cùm â rep. tempus vacuum nactus erat, id totum lucubrationibus impendebat, in quibus adeò fuit occupatus, vt trecenta viginti librorum volumina conscripserit.

App. b. c. lib. 2.

THEODORICVS GOTTHVS.

Fab. lib. 10. Aug. de ciuit. 3. Sab. en. 6. lib. 4.

51 Theodoricus primus Gotthorum Rex in Italia adolescens, apud Martianum & Leonem Imperatores obses fuit: vbi Romana disciplina institutus est, ad paternum regnum remissus, socius Romani Imperij fidelis fuit. A Zenone Imperatore in Italiam missus, vt eam de Barbarorum manibus recuperaret, quam deuicto Odoacro Rugiano tenuit annos triginta tres. Rauenna post triennalem obsidionem potitus, reliquas Italiæ partes, sicubi aut auersus animus, aut suspecta fides erat, pacare, atque ad sui obsequium redigere instituit. Pòst Dalmatia, ac Rhetia, quæ Odoacris in potestate fuerant, ipsius quoque imperio se subiecerunt. Siciliam obstinatè tumultuantem sine armis ad auctoritatem fidemqúe suam traduxit, ac demum Ticinum è Rugorum manibus extorsit. Cùm pacatam, & dicto obedientem Italiam habuit, ad regnum ritè ordinandum animum appulit: Herulis, cæterisqúe Barbaris, qui Odoacris partes sequuti fuerant, in Italia manere volentibus habitationem dedit: Italis, qui in Odoacris fide constanter manserant, ita ignouit, vt aliquot ad summos honorum gradus euexerit: eos, qui à se defecerant, iustissimo odio prosequutus, testandi ac legandi iure priuauit, tanquam infames. lites in singulis prouincijs cognosci à militibus voluit, inter Gotthos à Gotthis, inter Romanos à Romanis, inter Gotthũ & Romanum ab vtriusque gentis iudicibus. Suis comitibus ipse ius seuerissimè dixit. Nullum Romanum institutum mutauit: siquidem & senatum, & consules, patricios, præfectos prætorio, præfectum vrbis, cæterósque, qui fuerant in imperio magistratus, retinuit, eósque Romanis tantum hominibus mandauit. Ad stabiliendas opes suas vicinorum regum præsidijs se muniendum, atque affinitatibus firmandum putauit. Tam sapienter, & prouidè rebus suis consulens, cùm à subditis

A tis impensè coleretur, & à vicinis non temerè lacessendus videretur, quietè regna sua administrauit, & in perpetuam rerum præclarè gestarum memoriam magnificis hisce titulis decoratus est: Gloriosissimus atque inclytus rex Theodoricus, victor & triumphator, semper augustus, bono reip. natus, custos libertatis, & propugnator Romani nominis, domitor Gentium.

Procop. de reb. Gotth. Nauclerus. Ph. Mel. chr. 3. Sig. de occid. imp. 16.

TOTILAS.

52 Totilas, perhumanus, & clemens, & placidis moribus B fuit: vir manu consilioque promptus: Tanta animi fiducia hostes prelijs multis, & bello ipso superiores adortus est, vt quinque tantum millibus stipatus rem Gotthicam erigere posse nõ desperarit. Post discessum Belisarij ex Italia creatus est rex. Tunc procerum studio fretus animum sustulit, Gotthósque mirificè hortatus est, vt secunda omnia, postquam Belisarius Italia decessisset, obuentura sperarent. Primũ eius operum victoria fuit de Bessa & Vitalio, Belisarij ducibus, ad Veronam parta: leto quidem auspicio, quòd profligatis copijs, cuncta ad vnum militaria signa in eius potestatem venissent. Post C adeptam victoriam summa clementia vsus est, tam ergà hostes, quàm amicos. Si quæ honestiores matronæ, vel adolescentes nobiles capti in bello erant, inuiolatos eos sine redemptionis precio ad suos remisit. Hac de causa plurimæ vrbes vltrò ei deditionem fecerunt, & plerique illius militiæ spontè se deuouerunt. Neapolim, quæ firmissimo præsidio ab hostibus tenebatur, longa obsidione perdomuit. In ea victoria tanta vsus est clementia, lenitate, iustitia, vt præsidij præfectum liberali inuitatum stipendio, & id munus renuentem, incolumem, datis qui eum tuto deducerent, Ro- D mam dimiserit. Romanos item milites, & ciues Neapolitanos inedia propè enectos, & passim ab immoderato auideque sumpto cibo collabentes, distributis ad vitæ & valitudinis rationes alimentis, refouit atque seruauit. Romam bello captam non prius vastare voluit, quàm præmisso Pontifice ad Iustinianum legato, pacem & fœdus ei offerret. In direptione omnes, qui in templa confugissent, incolumes & liberos fore pronunciauit, & mulierum pudicitiæ consuluit.

Procop. de reb. Gotth. Ph. Mel. chron. 3. Iou. elog. 1. Sig. de occid. imp. 19

CAROLVS MARTELLVS.

A

53 Carolus Martellus princeps magnanimus fuit, & inuictæ virtutis, modestus, & perhumanus, iustitiæ & æquitatis obseruantissimus, & religionis acerrimus propugnator. In magnis periculis nihil temerè egit, nec trepidè, sed forti animo, summoque consilio, constantia singulari omnia administrauit. Saracenos cunctis gentibus formidabiles prælio omnium memorabili deuicit, & ad Auenionem, & Narbonem ad internecionem deleuit. Nec Franci vtilius vnquam, nec difficilius bellum gessere. Ad quinquaginta enim myriades ferocissimorum hominum, qui deuictis Asia & Africa iam Europam in faucibus tenebant, deleuerunt: & ea insigni victoria non solùm Galliæ vastatio, sed etiam Mahometanæ impietatis propagatio in reliquam Europam prohibita est. Profuit etiam hæc victoria in Hispania maximè, quia reliquiæ Christianæ horridiora Hispaniæ loca, in quæ metu & desperatione confugerant, Pyreneis montibus vicina, Cantabriam scilicet, & Asturiam, retinuerunt. Inde per occasionem progressæ, paulatim domitis Saracenis, quorum vires Martelli victorijs maximè attenuatæ erant, recuperarunt Hispaniam. Ita Martelli trophea, Nobilitatis Francicæ, Germanicæ, Italicæ virtute erecta, pacem & quietem toti Europæ perperére. Victorijs non efferatior factus, nec superatis hostibus insultare visus, vt in Burgundis præclarè ostendit, quos à se deuictos non subditos, sed fœderatos vocauit. Tanta apud exteros principes eius autoritas valuit, vt cum Luitbrandus longobardorum rex vrbem Romam obsideret, & Pontifex auxilium peteret, legatione missa perfecerit, vt Longobardus ab vrbe Roma discederet, ac cũ Pontifice pacem faceret. In hoc ipsius animi Magnitudo cum singulari modestia, & summa æquitate coniuncta conspecta, quòd oblatum à principibus Francicis, & vniuersa nobilitate regnum recipere noluerit, contentus paterna dignitate: vnde in perpetuã eius facti memoriã illius tumulo inter cætera inscriptũ:

B

C

D

Nauclerus Æmyl. lib.2. Mel. chron.3.

Dux dominusq; ducum, regum quoque rex fore spernit:
Non vult regnare, sed regibus imperat ipse.

CAROLVS MAGNVS.

54 Carolus Magnus, cui Martellus auus fuit, religioni apprimè

A primè deditus, fortis, fœlix, iustus, doctus, eloquens, clemens, ſapiens, liberalis, promptus, diligens & animoſus extitit, iuxtà pacis belliquè artibus illuſtris. Nemo ſtudia bonarum artium indulgentiùs fouit. Pariſienſe gymnaſium, item Papienſe, & Bononienſe, accerſitis vndecunque doctiſsimis viris, inſtituit & ornauit. Albinum, virum doctiſsimum, ex Britannia à regibus miſſum, vt pacem impetraret, ob eximiam eruditionem complexus, ex legato hoſpitem fecit, vetus Athenienſium exemplum ſequutus, qui Gorgiam à Leontinis ad ſe miſſum, legati munere defunctum, Athenis remorati ſunt, eius eloquentia capti: Barbara & antiquiſsima carmina, quibus B priſcorum regum, ducumquè clariſsimorum res geſtæ celebrabantur, emendauit, ac ediſcenda propoſuit Hunnis regem, Græcis fœdus, Europæ iura, Africæ formidinem, Aſiæ ſocietatem, terris pacem, templis ſanctitatem reddidit. In eo inſignis pietas, eximia beneficentia, & ſumma humanitas fuit. Difficile, dictu, bellica virtus maior, an fœlicitas in eo fuerit. Nemo vnquam, in Europa plures ſubegit gentes. Indomitos Saxones, & peruicaces Cantabros deuicit. Hunnos, qui per ducentos & eo amplius annos omnes occidentis regiones expilarant, ita perdomuit, vt ne minimæ reliquiæ ſuperfuerint. C Germaniam cum Gallia tam amica neceſsitudine cõiunxit, vt vſq. ad Ludouicum Arnulphi filium ſemper fuerint ſociatæ. Cum Scotis tam firmum & arctum fœdus percuſsit, vt hucuſque Gallorum ſocij & amici permanſerint.

Æginardus. Æmyl. Ʒ. Sabellicus. Bapt. Egnatius.

GOTTIFREDVS BOLLIONIVS.

55 Gottifredus Bollionius, artis militaris imperatoriæquè peritiſsimus fuit, ſpecie corporis eximia, ſtatura ſublimi: vultu maieſtatis pleno, armis pariter & conſilio, animoquè promtiſſimus & acerrimus: cuius induſtria, magnitudine & virtute D Henricus IIII. Imp. in bellis ciuilibus ſuperior euaſit. Vt bellica autem virtus eum illuſtrem reddidit, ſic religionis amor, & ſancta promiſsi fides, incorruptiquè mores adornarũt, & admirabilem apud omnes nationes reddiderunt. In bello ſacro, quod ab illuſtrib. Europæ regulis pro gloria Chriſtiani nominis ſuſceptũ eſt, ſupremũ decus tulit, atque in teſtimoniũ egregiè nauatę operæ, omnium procerum, qui ei militiæ nomina dederant, præclaro conſenſu Hieroſolymorũ rex appellatus eſt. Tanta in eo moderatio animi apparuit, vt adminiſtra-

tioni regni suscepta, regis nomen & diadema repudiarit: quòd nefas esse duceret ea in vrbe auream gestare coronam, in qua Christus spineam tulisset. Suscepto Palæstinæ imperio, omnia, quæ ad optimam eius gubernationem conducere viderentur, tum ad arcendos hostes, tum ad continendos in fide populos, diligenter inquisiuit. Et cùm vndique Hierosolymas ad visendum Christi sepulchrum peregrini confluerent: ab ijs sciscitabatur, quibusnám legibus & institutis in patria sua vterentur: & ex illis, quæ optimæ & accommodatissimæ videbantur, selegit, quarum vsum in populum suum introduxit. Excessit è vita tanto Christianorum Syrorùmq. omnium luctu, vt qui viuens multos dignitate æquales commendatione pietatis atque virtutis anteisset: post mortem quoque in terris fœlix haberetur, quòd cùm eius nomen in ore omnium esset, gloriosam hæreditatem suæ stirpi reliquerit.

Guilielm. Tyrius. Iou elog. 1. Peucer. chron. 4. Franciscus Patrit.

GVILIELMVS CONQVESTOR, *Angliæ rex.*

56 Guilielmus Conquestor vir bellica laude illustris fuit, in quo magnanimitas, an fœlicitas plus valuerit, difficile est iudicare. Profecto ad sacrum bellum patre, licet sanguinis ratio nõ admitteret, ad successionem paternarum opum, cùm regna legitimo tantùm matrimonio prognatis, iure successionis, obueniant: tamen excelsus eius animus ad id, quod natura denegabat, virtute adsequendum impulit. Conciliatis itaq. sibi ex Normanna nobilitate pręcipuis, & adscitis bellatorũ promptissimis, Britonem, & Burgundum duces, qui ad amplam hæreditatem adspirabant, fœlicibus armis repulit, & dynastæ nomen, annuente Francorum rege, & in suam clientelam recipiente, vsurpauit. In aliena terra posthac regnum condidit, & posteris regendũ ac possidendũ reliquit, animosque feris Normannis ad gloriam insigni ausu quærendum ita accendit, vt Tancredus, & Guiscardus, despectis paternis opibus, Siciliam de immanibus Barbaris eripuerint, & regnũ, quod in sua stirpe diu stetit, ibi condiderint. Descensione in Angliã facta Guilielmus, cum eo ad quærendũ nouum regnũ profectus est, vt vincendi necessitatem suis imponeret, in oculis omnium classem, qua traiecerat, incendit: exemplo à Constantino Chloro Cæsare capto, qui expeditione in Alleotum tyrannũ suscepta, cùm Britanniæ littus obtinuit, vniuersis nauibus suis ignes iniecit,

ne sibi

A ne sibi vllũ fugæ præsidiũ reseruaret. Cùm victoria parta vnũ è suis militibus, gladij ictibus, Haraldi regis cadauer qui in acie ceciderat, petulanter ferire videret, eum exauthorauit, indignum militis nomine eum iudicans, qui in hostem mortuum desęuiret. Septẽ & viginti annos ei victoriæ superfuit, in quo annorũ curriculo bello vacuus nõ fuit. A Vvalliorũ. n. principe, & Scotorũ rege, ad quos multi exules perfugerant, deinde à Danis, tũ demũ à ꝓprio filio Roberto petitus, Vvallios in sua se recipere coegit: Scotos in fidẽ recepit: Danos & Noruegos fortiter sustinuit, & filiũ veniã à se petere cõpulit. Regnũ verò B armis quæsitũ nouis legib. & institutis firmauit, & Normãna nobilitate impleuit, ac suis posteris regendũ moriens reliquit.

Polychron. Angliæ. Chrõ. Fausteri Polydorus. Æmyl. 3.

FRIDERICVS BARBAROSSA.

57 In Friderico Barbarossa magnitudo animi enituit, atque consilij firmitas, fidei constantia, moderatio, pietas, studium religionis, ac literarũ amor, atque in tanta præstantia, vt in ijs nemo illius ætatis ipsi conferendus esse censeretur. Contumelię impatiens fuit, & periculorum contemptor, quoties decus & gloria proponebantur: pacem tamen, & tranquillitatem C publicam omnibus rebus pręposuit. Ad extendendam famam Cæsarea dignitas, & Sueuæ gentis illustre nomen incitabant: illa vt cuncta Imperatoriæ maiestatis iura ad antiquam dominatus autoritatem reuocaret: hoc, vt antiquam maiorum gloriam ferè obsolescentem rediuiua virtute renouaret, & præclara æmulatione illustraret, quę aliarum gentium egregijs factis velut obscurabatur. Mediolanenses finitimis sæuè & iniustè dominari cupientes, multis prælijs victos, & longa laboriosaqúe obsidione ꝑdomitos accerbissima lege imposita subegit. Vt filiũ Othonẽ nauali prælio captum à Venetis, qui Pon D tificem defendebant, redimeret, & bellicis cladibus ad Italiæ solatium finem imponeret, Venetias, vbi Pontifex erat, se contulit, & pacis conditiones ab illo accepit: cui cùm seruilem propè obedientiam præstaret, & ipse pontifex proteruè insultaret, renitenti vultu respondit, Nõ tibi tantũ honoris defero, sed Petro: tanquã hominẽ contemnere, personę verò dignitatẽ venerari, & ecclesiæ honorẽ exhibere videretur. Vt patriæ amantissimus, domi pacem sine publico motu, & consilio potius quàm armis constituere voluit. Tranquillitatem, & con-

cordiam

cordiam firmam in Italia & Germania prouidit & constituit, latis optimis legibus, quæ titulo pacis Constantiæ celebrantur. Sacro suscepto bello, Turcas tribus magnis prælijs vicit, & fudit. Mox Ciliciam, Saracenis inde pulsis, occupauit. His victorijs Saladini impetus, qui maiorem Asiæ partem sibi sub iecerat, repressus est, & Asia metu liberata. Multa pio zelo Regularium collegia instituit, vt in eis religionis Christianæ studia colerentur. Eò autem spectatior atque illustrior ipsius gloria habenda est, quòd ex successoribus nullus laudes eius adæquauerit.

Nauclerus Cuspin. Iou. elog. 1. Peucer. chron. 4.

A B

SALADINVS.

58 Saladinus Sulthanici imperij conditor fuit. Vir acris ingenij & manu strenuus, in viros militares liberalissimus, clemens in deuictos, promissorum tenax, asper, vehemens, astutus, diligens, audax, & fortis in conquirenda victoria; post adeptam mitis, humanus, & tractabilis: vir eius seculi quo vixit, omni virtute, rerum gestarum gloria & potentia facilè princeps. Ardebat cupiditate Imperij, gloriæque, nec ei fortuna, nec ipse fortunæ defuit. Præcipuus pecuniæ contemptor: Viros fortes ostentatis præmijs vndique sibi asciscere, magno sumptu, hostium facta & consilia explorare, induciarum belliqúe gerendi occasiones præsentire, iustitiam fidemque religiosè colere, victorijs modum imponere, fortuita incidentiũ casuum præsenti semper ingenio ad consilium rationemqúe flectere probè didicerat. Ex Hierosolymis expugnatis ac Syria imperio suo adiecta, incomparabilem laudem tulit. Nam eo pacto Christianorum opes toti orienti anteà formidabiles in Asia euertit, Europæ principum acerrimos conatus irritos reddidit, & bellicam gloriam, quæ suæ genti per seculi ferè spacium deperierat, recuperauit. In ea autem victoria non mediocri moderatione vsus est. nam Hierosolymis, christianos incolas non expulit, sed illis Christi sepulchrum colendum concessit Gottifredi etiam tumulo admiratione virtutis inuiolato. Viuens ex linteo conuoluto cornutum capitis integumentum gestare erat solitus, vt totidem regna virtute parta nobili argumento spectantibus exprimeret, quod postea diadematis genus à successoribus Suelthanis vsurpatum, moriens vti humanæ conditionis, atque miseriæ, memor condito testamento

C D

A ſtamento omnem funeris pompam abdicauit, vt oſtenderet hominum cupiditatem vanam, & riſu dignam, morte monſtrari: quæ opes, dignitatem, & autoritatem potentiſsimorum breui momento euertit. Genus ipſius in Ægypto per centum quinquaginta annos regnauit.

Nauclerus Sabellicus. Cælius. Iou. elog 1. Peucer. chr. 4.

NICOLAVS QVINTVS PONTIFEX.

59 Thomas Sarſanus humili loco, & obſcura familia natus, vno eodemque anno Epiſcopatum Bononienſem, Cardinalis dignitatem, & Pontificatum adeptus, cum maxima totius cleri & populi lætitia, Nicolaus quintus eſt appellatus. libera- B liſsimus erga literatos, quos & officijs, & beneficijs mirificè iuuit, eos pecunijs ad conponendum, & ad vertendos Græcos autores in latinum ita perpulit, vt literæ Grçcæ, & latinæ, quę ſexcentos iam annos in ſitu & tenebris iacuerant, demum ſplēdorem aliquem adeptæ ſint. Ita propenſus ad iuuandum præclara ingenia, vt ægrè ferret aliquem doctum eſſe, quem non noſſet, & munificentiam ſuam non fuiſſet expertus, neq. vnquam magis lætatus eſt, quàm cùm honeſtæ liberalitatis exercendæ ſibi occaſionem dari intelligebat.

Platina. Nauclerus Hermolaus Barb.

TAMERLANES.

C 60 Tamerlanes Scytharū Imperator humili loco natus inter Scythas, ex gregario milite eò potentiæ euectus eſt, vt multas gentes ſibi ſubiectas habuerit, & numeroſiſsimum exercitum ad excidium, & terrorem Orientis conflauerit. Ingenij ſolertia, corporis viribus, bellandique promptitudine inſignis fuit. Erat corpore ingenti, validiſque neruis, brachio adeo firmo lacertoſoque vt Scythici ingentis arcus chordā vltra aurē extenderet, cupreumq. mortariū pro ſcopo ſagittarijs in ludo propoſitum, emiſſæ arundinis ſpiculo perfoderet. Cùm ſibi D Baiazetem primum Turcarum Imperatorem hoſtem deſtinaſſet: vt belli occaſionem quæreret, per legatos poſtulauit ab ipſo, quę nunquam conceſſurum arbitrabatur: nempe butyri tantum, quantum duo millia camelorum ferre poſſent, tentoriorum pileatorum cuiuſmodi paſtores vtebantur duo millia: vt per omnia templa quæ in Baiazetis ditionibus erant, ipſe rex declararetur: vt Baiazetes in ſuis omnibus ditionibus Tamerlanis monetā admitteret: vt ducibus Turcicis terras quas bello ceperat, reſtitueret, & vt Baiazetis filius in ipſius

ianuis educaretur. Cùm hæc à Baiazete denegarentur, moto aduersus ipsum bello ad Stellam montem ingenti prælio superatum cepit, & per omnem Asiam à se deuictum ferrea inclusum cauea in triumphi pompa circumduxit. Cuidam pro captiuo deprecanti, & claritatem nominis ex tot præclaris victorijs comemoranti, respondit: se non regem rebus gestis, aut nobilitate clarum: sed hominem improbum, & nefarium fratris natu maximi, cui ex ætatis prærogatiua regnum obueniebat, parricidam punire. Post eam tam insignem victoriam adeò omnibus formidabilis euasit, vt nulla nec in Mesopotamia, nec in Comagena, nec in Syria vrbs eius impetũ sustinere ausa sit, præter Damascum, quam tamen vi tandem cepit. In suis expeditionibus primo die quo se in conspectum alicuius vrbis dabat, tendi prætorium iubebat colore candido, vt intelligerent homines, clementiam & salutem se statim dedentibus syncera fide promitti. Secundo die rubro tentorio vtebatur, quo denunciabat in cunctabundos gladium esse districtum. Tertio atri coloris papilione extenso indicabat, se cuncta ferro, & flammis absumpturum. Multis prouincijs deuastatis Samarcandam, vbi natus erat, reuersus est: quam spolijs tot deuictarum à se gentium abundè refersit atque ornauit: ibique fati decretum nihil amplius mouens expectauit.

Æmyl. lib. 10. Sab. en. 9. lib. 9. Chalcond. lib. 2. Iou. elog 2. Peucer. chrõ. 5.

SCANDERBECHVS.

61 Georgius Castriotus Scanderbechus Epiri princeps, fuit excelsa statura, torosoquê habitu, & robustis artubus suspiciendus, & virtute animi, militariquê fœlicitate nemini secundus. Cùm inter fratres, qui obsidum loco Amurathi Turcarum Imperatori cum ipso dati fuerant, indole regia animi, & forma insigni corporis emineret, & nõ obscura sũmi ducis futuri indicia vultu gestuquê corporis præberet, tantam apud Amurathem inijt gratiam, vt eum in aula liberaliter educari instruiquê curauerit, & propter ingenij præstantis, atque expediti consilij vigorem, qui in certaminibus ludicris conspiciebatur, miramquê vim corporis proceri atque robusti, quo cunctos æquales superabat, Scanderbechus, id est magnus Alexander à Turcis est cognominatus. Tanto autem successu omnem armorum eius gentis exercitationem celeriter hausit, vt ante pubertatis annos Sansachus efficeretur, & in Asiam aduersus

Ciliciæ

A Ciliciæ regem missus, quo bello summã laudem rebus fortiter gestis est consequutus, ob idqúe pleniorem, quòd singulari certamine Scytham multarum palmarum gladiatorem, superbè ostentantem vires, & prouocantem confecisset: persimiliqúe ausu insignis dux Persa equestribus armis pugnam ciens, paremqúe sibi bellatorem ex hostili acie ad certamen inuitans hasta transfixus prostratusque fuisset. Vnde tantam nominis claritatem assequutus est, vt deinceps bellica laude, & singulari Amurathis gratia facilè cęteros vicerit. Cùm paternam ditionem repetiuit: tanta animorum propensione liberatæ

B gentis est vsus, vt per multos annos & Amurathis, & Mahometis filij inuictos antea exercitus, frequentissimè profligarit atque retuderit. Prælijs etenim vltra viginti, aut triginta cum Turcis commissis semper victor extitit. Adeo verò illorum conatus & iras contempsit, vt relicto natali solo nuper recuperato, in regis Neapolitani ab Andegauensi factione in magnas difficultates pręcipitati, auxilium cum delecta equitum manu proficisceretur. Habuit in conuictu cum perpetuas aleret copias lectissimorum hominum amplius duo millia, nec vnquã auctis copijs maius militiæ robur, quam sena equitum, terna-

C qúe peditum expeditorum millia hostibus opposuit. Delectu enim veterani militis, non numero victorias parari prædicabat. Vbi armatus prodibat, tanta oculorum alacritate, tamqúe hilari facundia milites ad cuncta ardua aggredienda accendebat, vt non eximiè modo pugnaces, sed ferocissimos, contemptoresqúe hostium efficeret. Tanta animi vehementia pugnã ciebat, vt è labris se findentibus sanguis erumperet. Tanta autem inusitatæ virtutis eius viri fama fuit, vt Turcæ post eius mortem tota fere Epiro potiti, sepulchrum quæritarent, admirabundiqúe vsque adeò venerarentur, vt eruta demum

D sepulchro tanti herois ossa religiosè diriperent, quum quisque se bello tutum inuictumqúe fore crederet, si frustulum ex ossibus, reliquijsqúe inuictissimi ducis in amuleto ceruicibus suspensum iturus in prælium gestaret.

Scodrensis. de vit. Scãderb. Godolenæ 9. Iou. elog 3. Peucer. chrõ. 5.

LVDOVICVS GONZAGA.

62 Ludouicus Gonzaga secundus Mantuanorum Marchio fuit, vir fortis & iustus, & literis apprimè eruditus:

artis militaris peritissimus, promissorum adeo tenax, vt nullis blandimentis, nullis muneribus, nullis terroribus à data fide distrahi potuerit. adeo veri decoris appetens, & æquitatis amans, vt nihil quod famam vlla in porte lædere, aut iuri alicuius obesse posset, facere vnquã voluerit. Quibus vitę institutis tantam authoritatem, & iustitiæ famam adeptus est, vt totius Insubriæ iustus arbiter sit appellatus. *Nauclerus*

ALBERTVS GERMANIAE ACHILLES.

63 Albetus Brandeburgicus, qui Federici tertij imperatoris tempore vixit, tanta animi magnitudine, & fortitudine corporis fuit, vt Achillis Germanici cognomen ei inditum sit. Tanta ipsius authoritas, & celebritas nominis fuit, vt de summa Turcici belli ei præ cæteris Germaniæ principibus cõmittenda deliberatũ sit, cùm tacito consensu omnes eum sibi præferendum iudicarent. Militauit in Polonia, pugnauit in Silesia, castra posuit in Prussia, hostes in Bohemia fudit, ita vt ipsius nomen vbiuis gentium celebre fuerit. Ex prouocatione pluribus in locis dimicauit, & victor euasit. In ludicra etiam pugna nunquam ab vllo est superatus. Cum aduersus ipsum omnes superioris Germaniæ ciuitates Noricos, quibus bellũ indixerat, iuuare statuissent, & ob id ab eis numerosus conflaretur exercitus, interroganti cuipiam, cur tanto apparatu aduersus vnum principem, & eum non ditissimum, bellum pararetur: vnus ex primoribus ciuitatum respondit, in Alberti astutia & fortitudine omnium Germaniæ principum virtus, opésque continentur. Nec falsum ciuis de ipso iudicium apparuit. nam septem & decem principes in partes suas traxit, ciuitatesque multis belli incommodis adflictas, & viribus attritas pacem petere coegit. Multa in conflictibus fortiter, & egregie sua manu fecit: cum in confertos hostes perruptis ordinibus æditáque ingenti strage penetrauit, & muros ipse inter primos in oppugnationibus vrbium apposita scala conscendit.

Nauclerus Æn. Sylv. Peucer. chron. 5.

EDVARDVS TERTIVS

Anglorum rex.

64 Eduardus tertius magnitudine animi, rerum gestarum gloria omnes Europæ principes, qui eo seculo regnarunt, antecelluisse visus est. Belli enim, & pacis artibus præ

cæteris

A ceteris insignis fuit, neque eius gloria arcte colligata intra Imperij sui fines se continuit: sed ad exteras nationes longè latéque dimanauit: siquidem omnes Europeas gentes vel humanitatis officijs, vel præclarè rebus militiæ gestis in sui admirationem adduxit. Germanis vicarij imperij nomine præfuit. Flandros in societatem belli adsciuit: Italos affinitatis vinculo sibi coniunxit: Gallos, Hispanos, & Scotos vi armorum subegit. Ita insulam in qua regnabat, illustrissimam reddidit. Continentem vniuersam vel sibi fauentem, vel ipsius facta admirantem, vel ad fœlicitatem obstupescentem habuit. Ru-

B dimenta militiæ in natali solo posuit, vbi patrem è Spenseriorũ, qui omnia pro arbitrio sub regis nomine administrabant, custodia liberauit, & matri authoritatem asseruit. Post patris fata regni cura suscepta Scotis bellum intulit, & Bernicum munitissimum in finibus oppidum expugnauit. post in continentem arma transtulit, vbi Galliæ regnum non seditionibus laborans, aut cladibus fractum, sed florentissimum adortus, insignem gloriam sibi & suis acquisiuit. prælijs enim & bello superior Gallos ad petendam pacem compulit: regis Franciæ titulum, & liliata regni insignia assumpsit, & ad po-

C steros transmisit. Ob id Gallis formidabilis factus, quod eorum vires duabus atrocissimis pugnis fregit. prima fuit ad Cressiacum in Picardia, omnium quæ Gallis vnquam acciderunt luctuosissima. In ea enim præter comites, & duces, ac gregariorum militum turbam, quæ triginta millia excessit, viri dignitate equestri illustres mille periere. Secunda ad Malepertusum in Pictonibus, in qua fugato Gallico equitatu rex ipse captus est, & in Angliam ductus. Tanta autem humanitate Eduardus captiuum regem tractauit, vt postquam ad suos persoluto redemptionis precio redijt, nullis suorum monitis

D vel precibus retineri potuerit, quin in Angliam ad visendũ Eduardum transfretarit. Nec minori fœlicitate aduersus Scotos vsus est Eduardus: profligato enim ad Dunelinum ipsorum exercitu, Dauid Rex captus est, qui per annos decem in Anglia captiuus mansit. Et hoc insigni Eduardi fœlicitati adscribendum, quod in eius mensa duo reges familiari consuetudine diu assederunt. Quo magis aulæ splendorem & nominis claritatem firmaret, nobilitatemque ad militiæ studium accenderet, Garteriorum equitum summum ordinem instituit, qui hucusque in maximo honore perdurauit.

Froissardus. Aemylius. Polydorus. Lilius.

BERTRANDVS GVESCLINAS.

A

65 Bertrandus Guesclinas in Britannia Armorica natus, ex mediocri, sed honesta nobilitatis familia statim à pueritia ostendit, ad militare decus à fato se vocari: Siquidē in puerilibus ludis bella meditabatur, prælia ac certamina, eaqúe sæpe cruenta inter æquales serens, & semel cum vno puero inter ceteros acerrimo ita animosè congressus est, vt eum grauiter vulnerarit. conquerente ideo pueri patre, quòd vulnus lethale videretur, è paterna domo pulsus est: tunc non amplius retinente metu patris, ad id quò natura impellebat magis ferebatur, & nō amplius ludicris pugnis contentus, seria Martis pericula experiri lubuit. Inter initia Anglici belli, quod suo tempore exortum est, imberbis adhuc in Britannia ita militiæ posuit tyrocinium, vt turmam equitum ex delectis familiaribus ad infestandos hostes produceret, multisqúe obiter exercitus periculis ad eam disciplinæ frugem, ad idqúe inuicti nominis decus, nunquam ferè intermissa militia, perueniret, quo præclara, & passim spectata virtus magno partibus adiumento, & longè maximo terrori esset hostibus. Non solùm autem Anglos lacessiuit, sed Nauarreos etiam, Beticos, & Mauros, de quibus omnibus insignes victorias reportauit. Vnde virtutum suarum merito Comesstabilis à rege declaratus est: in quo munere ita se gessit, vt Anglos, qui multis secundis prælijs factis liberè in Gallia vagabantur, & illato belli terrore cunctis prouincijs formidabiles erant, è multis præsidijs eiecerit, & interrupto victoriarum cursu ad sua tuenda sollicitos reddiderit. Spectare tempora, pericula metiri, occasiones agnoscere, conatus hostium coniectare, eorum consilia præcauere probè didicerat, ita, vt nihil temerè, aut negligenter, quod rem in discrimen adduceret, aut victoriarū iter moraretur, agere vnquam visus sit. Cùm Castrum nouum in Aruernis obsideret, in lethalem morbū incidit: cúmque finem suū adesse vidit, nobilitatem equestrem, quæ in castris erat, aduocari iussit, eamqúe, cum de nauata regi opera sub ipsius auspicijs gratias egisset, hortatus est, vt ad partū decus tuēdum solliciti, sceptri Francici hostes semper persequerentur: nobilitatis esse patrios fines tueri, & pro regis sui asserenda dignitate pericula non detrectare. Fato functum Lutetiam rex deferendum, & ad pedes sepulchri, quod sibi parabat sepeliendum curauit, de

B

C

D

eius

A eius virtute & præclaris in remp. meritis indicium, & amoris, quo eũ, dum viueret, prosequebatur, testimonium relinquens: familiæ certè, decus, columẽ; & firmamentũ Francicæ nobilitatis fuit, atque honoris totius Armoricæ gentis instaurator.

Froissard⁹. lib. 1. Aemyl. lib. 5. Lib. de vit. ipsius.

IOANNES CHANDOSIVS.

66 Ioannes Chandosius Anglus, vir animo acerrimus & manu promptus fuit, & in re militari illustris. In Hispania & Gallia suę virtutis trophea posuit, nec aptiorẽ Angli inter omnes duces, quos eo tẽpore insignes multos habuere, inuenire potuere, quẽ Guesclinati Gallorũ præcipuo duci opponerent. Tan B tus in eo animi cãdor, & incorruptũ iudiciũ fuit, vt hostes suos nunquã sua laude fraudauerit: tanta moderatio, & prudentia, vt ante certamẽ eos nõ despexerit, nec victis insultauerit. In familiaribus cõgressibus perhumanus & affabilis visus est. Vt rei militaris peritus, ita disciplinę acerrimus exactor fuit, & miseros agricolas à licẽtia militari tutos reddidit, vnde à militibus obedientiã, à plebe beneuolentiã & amorẽ, à rege suo gratiã promeruit, à quo Pictonũ præfectura est honestatus. Quàm diu autẽ illã administrauit, nec iniquis exactionibus plebs grauata est, nec militũ rapinis, aut crebris hostiũ incursionibus ve C xata, quę post ipsius mortẽ prædę exposita fuit. In prelijs fortunatissimus extitit, sed maximè in eo in quo pro Petro rege Castellæ aduersus Henricũ in Hispania sub auspicijs Eduardi Vvalliorũ Principis pugnabat, ipsius virtus enituit: nõ solùm enim prestantis ducis officiũ, sed egregij bellatoris partes fortiter & fœliciter adimpleuit. Nam cũ in acie Hispanorũ fortissimum sors illi obtulisset, diu cũ eo armis viribusq̃ue corporis colluctatus, laureã certaminis confecto hoste retulit, & iterum cõscenso equo, à quo fuerat deturbatus, voce & manibus ad rẽ strenuè gerendam ita suos Anglos accendit, vt redintegrato D impetu hostes pepulerint vnde præcipuâ eius operâ memorabilis victoria de Hispanis & Gallis parta.

Froissard⁹. lib. 2. Fabianus in chron. Polydorus.

MATHIAS CORVINVS.

67 Fuit Mathiæ Coruino pater Hunniades, omniũ belli ducum suo seculo clarissimus: quo nec animi magnitudine, nec rerum gestarum fœlicitate, nec præcellentium virtutum cumulo inferior fuit. Eminebat in eo eruditum & graue perspicacis ingenij iudicium: quum rerum bellicarum omnis generis, & literarum intelligentia insignis spectaretur. Initio suæ gubernationis seditiosorum agmen, qui in iugis Carpathi

latro-

latrocinia exercebant, partim regno expulit, partim interfecit. A
Dein Polonos repreßit, Germanorum robora perfregit, quum Viennam Austriæ Federico Cæsari ademit, Vvalachorum posteà exercitum profligauit, & Draculam ipsorum tyrannum cepit. Exercitu in Bosnam ducto, Iaizam, caput regni, Turcis ademit. Illorũ ab Illyrici limite irrumpentium audaciam duobus prælijs ita repreßit, vt Mahometes omnium prope gentium victor, & Baiazetes, eius filius, æquißimis legibus pacem petierint. Præcipuam illi laudem apud posteritatem omnis generis doctrinarum cognitio admiratioque peperit, singulareque in his propagandis studium, & munificentia, ac B
reuerentia erga viros eruditione excellentes. Inuitatis enim illis, & inuectis in Pannoniam nobilioribus studijs, ita gentis ad arma natæ ingenia ferocia emolliuit, vt regnum ex plumbeo aureum reddidisse diceretur. Delectatus est maxime historiarum cognitione, regem, aut ducem, absolutæ virtutis & & gloriæ famam adipisci non posse prædicans, nisi literarum præsidio munitus omnis ætatis instituta militiæ, ipsaque antiquorum stratagemata ex historijs percalleret, quando ea documenta, quæ magno vsui militiæ forent, ab ignaris literarum nisi longißimo tempore experiundo percipi nõ possent, C
quæ alij ex veterum exemplo legendo facile consequerentur. Multas ex Græca lingua in Latinam sui vsus gratia transfundi curauit. Didicit etiam studiosè de stellarum motibus, & effectibus: multos viros doctos præcipuè mathematicos & poetas, ad amplißimorum honorum fastigia euexit. Quicquid ocij è grauißimis occupationibus suffurari poterat, id totum euoluendis annalibus impendebat. Non solùm autem optimorum studiorum viros eximios, sed nobiliorum etiam artium laude insignes conquisiuit, quorum consuetudine legendo, & disputando mirum in modum oblectabatur. Vt suo au- D
tem regno vsui esse possent, forum Budæ ipsorum præcellentium artificum tabernis exornauit, qui ex Italia præsertim certis inuitati præmijs ad eum confluebant. Ita ipsius regia Budæ, veræ virtutis domicilium, perpetuique splendoris hospitale diuersorium cunctis gentibus patebat. Vixit annos quinquaginta sex, regnauit supra triginta sex, regnum pacatißimum & florentißimum relinquens.

Polit. in epist. Iou. elog. 3. Peucerus chron. 5.

MAXI.

A MAXIMILIANVS AVSTRIACUS *Cæsar.*

68 Maximilianus Austriacus Federici filius, integræ pietatis, atque incomparabilis munificentiæ, castrensisq́ue disciplinæ laudẽ promeruit. Scientissimè .n. & solertissimè castris locum capere solebat, commeatus expedire, hostem ludificari, pugnæ tempus eligere, aciem instruere, opere militem, & consilio ducem agere. Cõtinuos nouem annos in castris agens difficillima quinque bella fœliciter confecit, Francicum, Eburonicum, Sicambricum, Batauicum, Morinicum. In hoc filium diu à se auulsum recepit, & scientissimos bellicæ rei populos vrbésque opulentissimas ad deditionem, & pœnitentiã compulit. Studiorum insignis fautor fuit: bonas artes aluit & promouit, & præcipuè mathematicas. Eius ingenium ad gloriam anhelans, nobili semper studio, nec deterrente vnquam sumptu, rara atque admiranda concupiuit. Dicere solebat, turpe quidem esse magno principi nescire literas: sed longè turpissimum, eum his moribus, atque virtutibus caruisse, quæ populis, & gentibus imperantem cum eximia pietatis, atque excellentiæ laude contra superbiam, atque libidinem, & reliquas immoderati animi cupiditates inuictum penitus & incorruptum præstarent. Generosi spiritus inuictiq́ue animi magnitudinem in aduersis pariter, & secundis casibus semper exhibuit. Nec ob benignè arridentem fortunam nimium se extulit, nec ob acerbissimè sæuientem animo se demisit. Amicorum quàm pecuniæ possessionem maluit, nihilq́ue antiquius habuit, quàm de amicis atque hospitibus munificentiæ operibus optimè mereri. Augustalem dignitatem suæ familiæ ita inseruit, vt hæreditario iure acquisisse, & reliquisse videatur: siquidem eius posteri in quartam vsque generationem retinuerunt.

Cuspin. Iou. elog. 5. Peucer chron. 5.

B C D

EBERHARDVS VVIRTEMbergicus.

69 Eberhardus, VVirtembergicus primus dux, omnibus pacis artibus insigniter excultus fuit, ideo apud omnes homines gratiosus. Viros eruditos in precio habuit, & cum sæpe angeretur, in iuuenta auream illam discendi occasionem negatam, ex sacris & prophanis multa, & quidem magno sumptu, in linguam vernaculam transferri curauit, vt quod

perperam neglectum fuerat, ea ratione sarciretur. A Maximiliano Imperatore grauissimis deliberationibus de administrando Imperio adhibitus, sapientiæ & extemporalis eloquentiæ laudem insignem tulit. Quò verò ipsius virtutum meritum testatius foret, cùm Maximilianus aurei velleris equitum societatem instituerer, in amplissimum illum ordinem ipsum adsciuit, & in comitijs Vvormaciensibus ducali dignitate ornauit. Præcipua ipsi cura fuit, vt populum suum omnibus commoditatibus, quæ ad suauiter viuendum necessariæ putarentur, abundè exornaret, & nobilitatis decus cum plebis vtilitate procuraret. Vt liberalis autem animi monumenta apud exteras gentes etiam extarent, & de omnibus præclarè merendi voluntas vbique terrarum cum fructu noscere-tur: Academiam erexit, quam regendam viris doctis vndequaque conquisitis commisit, & amplissimis annuis reditibus dotauit. Tanti subditorum studia in se fecit, vt omnibus commodis, quæ in hac vita haberi, aut optari possunt, facilè præponeret: nec in vlla re magis, quàm in illorum beneuolentia & amore delectari aut gloriari visus est. Tam egregiæ virtutes vt ab omnibus prædicari meruerunt: ita percelebrem buccinatorem habuerunt, nimirum Maximilianum Cæsarem, qui vt viuuum adamauit: ita fato functum præclaro elogio ornauit, cum ad eius sepulchrum accedens palàm testatus est, neminem in Romano Imperio se nosse, quem sapientia & rerum peritia ei conferre meritò posset.

Naucler9. Scnepfius. in orat. Secculari.

DAVID ABYSSINORVM REX.

70 Fuit Dauid, rex Abyssinorum, ingenio maximè pio, atque habili ad omne belli & pacis munus obeundum, itemque literis vsque ad astronomiæ notitiam optimè instructo. A matre, prudentia & pietate spectabili optimè institutus, regna sua moderatissimè rexit. Vsque adeò longè lateque regnauit, vt finibus ab occasu Atlanticum Oceanum ipsius ditiones attingerent, & ab Oriente ad Arabicum vsque sinum extenderentur. Religionis Christianæ constantissimus assertor fuit, adeò vt legatione missa ad Europæos principes, & maximè ad Carolum 5. Imperatorem, & Romanum pontificem, eos ad socianda arma contra impios Christi hostes sollicitarit. De ritibus etiam, atque doctrina, quam tenebant, diligen

ter

A ter perquisiuit. Quum negotiorum occupatione liberatus erat, reliquas horas euoluendis historijs, sacrisque item literis fermè totas impendebat. Frugalissimus & maximè temperatus in victu fuit, ita vt prandio contentus, cœnare nunquam solitus sit nisi festis diebus. Aditu, & alloquio non difficilis fuit, & regiam grauitatem honesta comitate temperare, simulque amabilem & venerabilem se præbere nouit.

Iou. hist. 18. & elog. 6.

HISMAEL SOPHVS.

71 Fuit Hismael Sophus decora facie, roseo vultu, radiantibus oculis, illustri facundia, aditu & alloquio facilis, & B perhumanus. Virium robore insignis, & singulari in armis peritia, & dexteritate, atque in certaminibus audax. Quò suos ad præclarè audendum accenderet primum se obiectabat periculis. In stadio, & palæstra cum primoribus aulæ, equitando, sagittando, aucupio & venatione corpus exercebat, ac omni decora & vtili contentione, ita, vt in expeditionibus exæquato cum gregarijs militibus labore, nocte & die profectionem non intermittens, sui aduentus famam celeritate prętergressus, hostes imparatos, & incautos sæpius oppresserit. Persarum imperio potitus, tributa remisit, vectigalia sustulit, C minusque ærario studuit, vt populorum fauorem emereretur. Ex his tantum beneuolentiæ & auctoritatis sibi conciliauit, vt quæ ipse iuberet, tanquam diuino suscepta consilio, milites qui ipsius auspicia sequebantur, promptissimè atque audacissimè exequerentur. Externorum regum legatos benignè semper excepit, & honorificè abs se dimisit, non minus humanitatis quàm fortitudinis laudem quærens. Opes, gloriam, & imperium cum non ambitiosè sectaretur, & ex animi magnitudine despicere præ se ferret, res arduas ac decoris plenas peragendo fœliciter & sine inuidia adsequebatur. Vnde D ab admiratione solertis ingenij & præcellentis sapientiæ, Sophi venerabile nomen omnium consensu ei inditum est, quod apud eas gentes, quæ imperio eius parebant, Deorum interpretem, sapientemque significat. Adeò populis gratus fuit, vt eius victoriæ non solum suos, sed etiam exteros, & longo quidem terrarum spacio dissitos, gaudio perfunderet, cum citissimè & magno cum plausu per omnes orbis partes euulgarentur: quæ magnitudine euentuum, & quadam perpetua atque fœlici cursus celeritate mirabiles fuere.

Iou. hist. lib. 13. elog. 5. Osorius. lib. 8.

CHRISTOPHORVS COLVMBVS.

A

72 Christophorus Columbus ex obscuris parentibus ignobiliqúe Liguriæ vico iuxta Sauonam natus, pertinaci industria & indomito labore summos honores & amplissimas opes est assequutus. A prima adolescentia diuersis nauigationibus patrio more deditus, cuncta emporia, insulas, littoraqúe Mediterranei maris peragrauit. Cùm verò ex Astronomia, Tropicorum Aequatorisque, & Climatum mensuras, totiúsque item nauigatoriæ membranæ, & magnetis vsum exactissimè percepisset, inflammatus est studio atque admirabili cupiditate explorandi Oceani, non inanibus coniecturis alias terras ad Occidentem solem extendi iudicans. Annos itaque B fermè quadraginta natus, senatui & populo Genuensi sua consilia exponens, spopondit, si à ciuitate aliquot nauibus instrueretur, se Herculis columnas præteruectum tam diu in Occidentem nauigaturum, donec orbem circumuectus in aromatum feraces insulas perueniret. Sed eius rei inceptio primum incredibilis visa omnibus, deinde etiam ridicula. Postea in eare Anglorum regi operam suam obtulit, à quo ridiculus habitus. Neque amplius profecit apud Lusitanum cùm ei suam operam obtulit. A rege tandem Castellæ auditus, & adiutus, C admirabilis eius ausus omnibus orbis nationibus visus, sed Europeis gentibus apprimè vtilis & decorus fuit, vt non solùm Italiæ, quæ eum genuit & aluit, eximium decus, sed nostri seculi honos incomparabilis ipse meritò dicendus sit, qui priscorum heroum, Herculis, & Liberi, famam à tot præclaris ingenijs decantatam obscurauit, & nauigationis gloriam à Græcis diu possessam, Italis & Hispanis in perpetuum fruendam reliquit. Tam propitia verò, ac benigna in ipsum fata fuere, vt cum sibi suisque gloriam & opes acquisierit, & ardua difficiliaqúe audentibus animum addiderit, ijs populis, quos pre- D tiosis rebus spoliare visus est, ingentes commoditates attulerit, cùm eos ad ciuilem vitam, & veri Dei cognitionem ab immani barbarie, & diris superstitionibus traduxit.

Iou. elog. 4. Apollon. lib. 2. Benzo. hist. nou. orb. lib. 1.

LVDOVICVS DVODECIMVS, *Francorum rex.*

73 Ludouicus duodecimus, vir rei bellicæ, & artium pacis peritissimus fuit, vtpote, qui ab ineunte ætate grauissimarũ rerum experiens, & miles egregius & insignis imperator, & rex

idem

A idem apprimè bellicosus per aduersos simul, & prosperos totius vitæ successus singulari virtute arma tractarit, & pacem opportune quæsierit. Ex cumulatis toties victorijs, & immota animi magnitudine supra cunctos ætatis suæ reges gloriam adeptus est, apud omnes Europeas gentes percelebris, qui Germanos sibi fœdere sociauit, Italos in partes traduxit, Hispanos, & Britannos in metu continuit, Romanum pontificem in ordinem prope redegit. Magis ex iustitia, quàm ex inconsulta profusione laudem quæsiuit, laudabiliorem parsimoniam, quàm in expilandis populis largitatem existimans, B quæ nihil debere potius quam multa largiri sapientem regem oportere dictitaret. Vnde plebs impensè eum dum viueret venerata, post fata Patris patriæ titulo decorauit. Tam iustum & æquabile eius imperium fuit, vt ab eius morte Galliæ populi vices temporum miserantes sibi ereptum diu luxerint, & gubernationis formam, qualem domi & militiæ habuit, militari licentia coercita, & quæstorum præuaricationibus frenatis, communibus votis & crebris quiritationibus hucusque expetierint. Exactæ prudentiæ, & inuicti animi laudem tulit, quum impotenti multorum principum conspiratione ferè op C pressus tempestiuè eum sibi reconciliauit, quem ante potentem, & loci opportunitate maxime nocere putabat, & cuius auxilio alij inniti viderentur. Dein non intermisso belli studio magnos apparatus fecit ad repetendam Italiam, vnde se deiectum maximè dolebat, quo facto ostendit se non hostium viribus, sed iniquitate fortunę tantum incommodum accepisse, & amplissimi regni inexhaustas vires ad amissum decus recuperandum, & vlciscendas iniurias abundè sufficere, & Gallicam nobilitatem, cum de gloria agitur, nullum laborem, nec periculum defugere.

Iou. Hist. 14. & elog. 4. Girard.

D

GASTO FOISSEIVS.

74 Gasto Foisseius in re bellica maximam nominis claritatem assequutus, inter omnes suę ætatis duces celeberrimus euasisset, nisi immiti fato pręreptus peramplas victorias stupenda celeritate & effreni audacia partas intempestiuè corrupisset, cui anteà fortuna intemperanter indulserat. Siquidem antè dux, quàm miles, antè triumphator quàm à victore exercitu acclamatus Imperator. In omni expeditione fœlix, vel in ipsa

morte triumphalem lauream tulit. Erat minaci ingenio, expe- A
ditisque viribus ferox, semperque ad audendum insigne facinus paratus. Labore indefessus, & victoriarum prouentu nunquam satiatus, atque immodice laudis appetens, magna atque ardua semper meditabatur: in ijs exprompta militum opera, & insigni studio vsus, quos sermonis suauitate, & alacritate vultus, ingentibusque promissis ad capessendos labores accendebat. Terruit omnium animos cùm fœlicitate rerum gestarũ, tum vna maximè celeritate, qua vehementer vsus vbiq. hostiũ consilia preuertit, tam inopinato, & fœlici successu vt prius victor apparuerit, quã de iam cõfecto negotio cogitasse B crederetur. Irrumpentes in Insubrûm agros Heluetios egregiè sustinuit, & in patriam repressit. Bononiam per lutulenta itinera præduræque hyemis glaciem raptato exercitu, obsidione liberauit. Inde statim digressus Venetas copias ad Athesim protriuit, atque eodem cursu per arcem Brixiam ingressus, rebellantem vrbem recepit: mox ad Hispanos reuersus, quos à Bononiæ mœnibus fugauerat, eos cruentissimo prælio deuicit, in quo etsi ceciderit, tamen de veterano exercitu, & vigilantissimis, acerrimisq. ducibus in ipsa morte triumphauit. Nam exuuijs hostilibus exornato feretro, & captiuis comitantibus C ad sepulturam deductus est, & Mediolani in excelsa maximi templi testudine aurata in arca magnificentissimè tumulatus est, deuictorũ abs se hostium vexillis in perpetuam insignis victoriæ memoriam tholo suspensis. Sic immitis fortuna, quæ longiorem vitam ei inuidisse visa est, meritum decus & preclaro ausu quæsitum eripere non potuit.

Iou. in vit. Alf. & elog. 4.

CONSALVVS MAGNVS.

75 Consaluus Ferdinandus Cordubæ fortibus factis ad tantam potentiam euectus est, vt non solùm vrbes, sed magnas, & D multas ditiones acquisiuerit: non modo milites, qui ipsius nomen sequuti sunt, sed regem dominum, à quo potentiã, & dignitatem acceperat, insigniter locupletarit. Ducentas enim vrbes, & septingenta oppida Hispaniæ regnis adiecit, atq. eius auspicijs gens Hispanica apud exteras nationes in re militari plurimũ innotuit, vnde omnium consensu magni cognomen est assequutus. Tantũ autem decus preclaro merito ei obtigisse eximiæ ipsius virtutes atque egregia facta ostenderunt. Siquidem

magnitu-

A magnitudine animi, bellica virtute, totiusque ciuilis humanitatis, & magnificentiæ splendore omnes suæ ætatis duces & regulos superauit. Nec in castris militarē laudē æqualib. & celsioribus præripere satis ad gloriā, ad quā anhelabat, esse duxit, sed in aula ex magnificentiæ & liberalitatis operibus famam supra omnes æquales extendere, & celebrioribus regulis par esse contendit, nunquam ad tam insignem æmulationē deterrente sumptu, nec dehortatione amicorū præpediente. Tantū autē apud regem suum virtutis eius æstimatio valuit, vt in rebus asperis & arduis, quæ decus & gloriā respectarent, inclytis B Hispaniæ proceribus vbique prætulerit. Tanta etiam apud omnes gratia fuit, vt compressa ex rectè factis inuidia, eius crescentis gloriæ nō obscurè fauerent, & accumulatis honoribus lætari viderentur. Nec præclarius, certiusque testimonium virtutū suarū quærendū putauit, quā quod ipsi ab rege extero, & hoste, ac bellica laude illustri redditū est. Cùm enim duobus, Hispaniæ & Galliæ, regibus apud Sauonam vnà cœnantibus tertius accessisset, à rege Gallo post recitatas cumulatè ipsius laudes aurea torque, quā in collo gestabat, donatus est. Italis, & Hispanis, quibus in bellis præfuit, admirabilis: Mauris, Tur C cis & Gallis, quos armis lacessiuit, formidandus imprimis euasit. Inter bellicosos non tantùm sui seculi, sed multorum aliorum primarium locū obtinuit, & ab omnibus, quibuscū vixit, comitatis, munificentiæ, & fortitudinis nomine egregiè commendatus. Iis officijs ita Neapolitanorum animos sibi deuinxit, vt cùm iubente rege in Hispaniam abnauigauit, non sine lachrymis eum ad nauim deduxerint, & velificantem oculis diu deducentes, accuratis precibus deo commendarint.

Iou. in vit. eius. et elog. 4. Peucer. chron. 5.

FRANCISCVS VALESIVS.

67 Franciscus Valesius, Francorū rex, qui Ludouico XII. D socero in regnum successit, singulari decore excelsi corporis fuit: militari comitate, atque ingenuo quodam vigore animi, ad arma promptus, liberalis, & magnificus, alienus ab omni fuco, apertus, & ingenuè arcana animi nudare solitus: clementia, pietate, & syncerítate nemini regum secundus. Omnes artes liberales amauit & coluit, & homines literatos in precio habuit. Prandens atque cœnans ferè loquebatur de literis. Circumsistebant mensam omnis ordinis viri magnifici, qui ex poetarum, historicorum, cosmographorum, atque

aliorum authorum libris ſemper aliquid in medium adferrent. Id quidem vnicuique licebat, qui modò eſſet notior. Exemplum iſtud ſtudiumqúe regis multos, vt cum laude coram eo diſſererent, ad maiorem diligentiam exacuit. In Italia & Græcia veterum monumenta conquiri curauit, confecitqúe optimis libris refertiſsimam bibliothecam, vnde nonnulli inſignes authores, qui temporum iniuria delituerant, poſtea in lucem prodierunt. Erat vel in hoſte præclarus virtutis æſtimator, vt in captis, & ad ſe adductis duobus inſignibus Romanis ducibus, qui Carolo Cæſari militabant, Proſpero Columna, & Pyrrho Stipiaciano, oſtendit: quos opimis ſtipendijs ad nauandam ſibi operam inuitatos, & dominum, fidemqúe mutare recuſantes magnis affectos honoribus liberaliter dimiſit. Suis ſubditis, qui ob ſalis vectigal tumultum excitarunt, grauiter increpatis, & ſui officij admonitis clementer pepercit. Omnes propè ſuæ ætatis principes tenaci atque expedito immenſæ memoriæ captu ſuperauit. In aduerſis nunquam animum demiſit, ſed rediuiua virtute ſemper ad honeſtam laudẽ adſpirans, noua conſilia ad tuendam dignitatem in negotio expediuit, ita vt tanti Imperatoris Caroli ſibi infenſi hoſtis victoriarum curſum ſæpius abruperit, & quamuis à circum uicinis & bellicoſis nationibus ſimul ſit impetitus, fractis, aut eluſis hoſtium conatibus, libertatem Gallię glorioſe ſeruauit, & ſua inuicti animi magnitudine fœlix, reſtinctis vndique bellis, certiſsimam pacem moriens omnibus ſuis ditionibus reliquit.

Iou. Hiſt. 15. & 37. elog. 6. Bellaius in cõm. Sleidanus. Surius

ALFONSVS FERRARIAE DVX.

77 In Alfonſo Ateſtino, Ferrariæ duce, ingenium egregiè firmum, ſtabile & præcellens enituit. Abdicarat enim planè vir cuncta iucundæ adulationis & moroſæ grauitatis lenocinia: quandoquidem ſingulas cogitationes, & ſingula propè exercitamenta corporis ad bellicas rationes reuocaret, & nihil omnino molle, aut remiſſum complecteretur, vel ipſa naturæ conſuetudine, vel neceſsitate tot incumbentium bellorũ, quæ omnem inertiam vel deſidioſis excuterent, & virum cum ſalutis, tum dignitatis memorem excitare, & ad inſitam virtutem factis extendendam incitare poſſe viderentur. Aſpectu & natura ſubauſterus fuit: ſed in familiari cõuictu valde iucũdus

& facilis.

A & facilis. Longanimis, & infractus, patientia gaudebat, & quas tempus adferre posset moliendarum rerum occasiones, inueterata prudentia, multaquè firmitate iudicij nusquam à se discedens, & intentus expectabat. Nihil sibi ad laudem, & securitatem efficacius & splendidius existimabat, quàm iniuriarum penitus obliuisci, beneficioquè & lenitate subiectorum animos redimere. Mendacium, furumquè, & seditiosorum seuerus hostis, cùm in reliquis criminibus puniendis exorabilem se lenemquè præberet. Lectissimos homines præcellentium studiorum, atque artium gloria florentes præcipuo

B in honore semper habuit, & optimarum disciplinarum professoribus, qui in gymnasio docebant, constituta stipendia sol ui curauit. Cum assiduus in bellis, & ædificationibus esset, nunquam ciuibus nominatim aut publicè pecuniam imperauit, nec milites per occasionem dilati stipendij in agros sui imperij, vt agricolarum copijs alerentur, vnquam emisit. Enixè enim curabat, vt ciuium & villicorum fortunæ inter belli detrimenta essent incolumes, quòd his maximè præsidijs publica salus, & decus Ferrariæ vrbis, cum insigni omnium erga se studio subsistere, & reflorescere censerentur, ideo militi sua

C stipendia incorrupta fide ad diem semper persoluit: ita subditorum beneuolentiam, militum amorem, in tumultibus securitatem, & in bello pacem seruauit, atque fœderatis & amicis admirandum, hostibus metuendum se præbuit. Trium maximorum pontificum diuina atque humana arma odijquè perpetui insidias tanta infracti animi constantia superauit, vt gloriosam triplicis triumphi lauream inusitata fœlicitate meruisse dici posit.

Iou. in vit. ipf. & elog. 6.

BAIARDVS.

D 78 Fuit Baiardus Delphinas, vir impiger & elatus, manu strenuus, animo imperterritus, veræ gloriæ appetens, & in ea assequenda industrius. Gastoni Foisseio sedulam & vtilem nauauit operam in exturbandis ex Insuria Heluetijs, qui Iulij pontificis hortatu à Verbano lacu descendentes, fugatis vndique Gallorum præsidijs ad Mediolani mœnia vsque procurrerant. Quum Franciscus Rex in Marigniano prelio eximij bellatoris laudem adeptus, consensu gratulantium procerum equestri honore dignissimus censeretur, inter omnes duces Baiardum delegit, vt eius dignitatis ornamenta de manu ipsius

acciperet: fortitudinis insignia dignius sumi non posse, quàm à fortissimo viro, iudicans. Exin Baiardus præclara opera, & testimonio regio digna peregit. Maseriam oppidum magnis Cechingi clarissimi ducis copijs obsessum, & inusitatæ magnitudinis tormentis quassatum, fortiter defendit, & hostes à mœnibus repellens re infecta abire compulit. In omnibus expeditionibus, quas Galli trans Alpes susceperunt, strenui bellatoris nomen prę cęteris ducibus tulit. Decies quater ex prouocatione singulari certamine dimicauit, & semper victor euasit. Tam decorum, & gloriosum duxit regi suo, & patriæ præstare operam, vt in eo officio mortem subire sæpius expetierit, in quo etiam voti compos factus est, non gregrarij ducis, sed Imperatoris munere fungens. Demandata enim ipsi totius exercitus cura ab imperatore saucio, cum hac honoris testatione, quòd neminem vel manu, vel consilio meliorem nosset, muneri suo intentus dum tumultuario in prælio lethaliter vulneratus est, ad suos reportari renuit, & eo in loco, in quo pugnarat, mori delegit, pro magno mortis solatio habens, quòd regis causam defendens occubuisse diceretur.

Iou. hist. 15. & in vit. Piscar. lib. de vit. eius.

GVILIELMVS LANGAEVS.

79 Guilielmus Langæus ex nobili prosapia in Andibus natus, summæ dignitatis vir atque virtutis fuit: honestis semper artibus laudem quærens. Ingenij vim acerrimam, summam eruditionem, eloquentiam insignem, incredibilem rerum gerendarum vsum, & singularem in omni functione dexteritatem habuit. Natura verè heroica fuit, vtpote qui eò solùm spectabat, vt solida virtute veram sibi gloriam compararet, & fidelem regi suo operam vel cum rerum suarum dispendio nauaret. Sua industria ac diligentia absque armis, Cæsarianorum conatus fregit, cùm per Burgundiam in interiora Franciæ irrumpere tentassent. Vvirtembergicæ familiæ occasionem dedit, & viam monstrauit, qua suam ditionem ab Austriacis possessam recuperaret. Vastij summi ducis impetum sæpè repressit, & in periculosissimo tempore Pedemontanam prouinciam retinuit, cuius incolas tam leniter tractauit, vt eũ loco patris habuerint. Sed inter omnia humanitatis opera omnium beneuolentiam ei conciliauit prouida liberalitas, qua in populum suo regi subditum opportunè vsus est, cum in maxima caritate annonæ, & summa omnium rerum, propter

A crebras militum excursiones vastationesque penuria, suo ære frumentum è media Gallia aduehendum nauigio curauit. Talem ex eo facto sibi laudem peperit, vt nihil honoratius ei cõtingere potuisse videretur: benefici enim & clementis domini nomen apud suos, prouidi & magnanimi ducis apud exteros assequutus est. Et si totius vitæ cursus rectè æstimetur, nullus suæ ætatis ducum reperietur, qui illi conferri, nedum anteferri mereatur; nec ex nobilitate quisquam est, quem virtutis honore non antecellat. siquidem neque inuidiæ cessit, neque iræ indulsit: neque calamitatum mole opprimi vn-
B quam potuit. Tantum valuit solertiâ, diligentia, labore & industria in munere suo obeundo, vt hostium consilia præuerterit, & conatus facili negotio infregerit: adeò comitate, clementia & liberalitate, atque animi magnitudine popularium & militum fauorem sibi conciliauit, vt nullum eius causa periculum vel laborem recusaturi forent: sic vel fremente inuidia prudentis consiliarij, constantis bellatoris, & optimi gubernatoris nomen acquisiuit. Nec tantùm scribenda fecit, sed egregia aliorum facta dignis elogijs celebrauit: breui enim libello Gallorum antiquitates complexus est, & histo-
C riam sui temporis in ogdoadas peritè & luculenter descripsit. Ita per omnes vias, quæ ad honestam famam veramque gloriam ducunt, decenter semper incedens, Francicæ nobilitatis ornamentum, totius Galliæ decus, & militarium virorum splendor non falsa æstimatione iudicatus est.

Paulus Iou. hist. Sleidanus. Mart. Bellaius.

SCYRIFFVS.

80 Mulcamethes Scyriffus, magnus Mauritaniæ rex, ex infimo loco ad sublimes honores & summam potentiam euectus, cunctis gentibus admirationi fuit: patre mercatore genitus à pueritia Arabicis literis eruditus ludum aperuit, puerosque docuit magno concursu & quæstu, apud finitimas gen-
D tes doctrinæ fama celebratus. Sed hac gloria non contentus, bellico ausu gloriam, quam fata spondebant, quærere, & fortibus factis famam extendere statuit, & vt erat paternis diuitijs maximè opulentus, cum Arabibus regulis amicitias contraxit, quorum ope Maurochi regem deuicit, eiusque ditione potitus est. Dein Susium regnum occupauit, mox ad Fessanum oculos adiecit, quod rege inde eiecto etiam subiugauit. In vrbe Fessa tunc regiam sedem constituit,

ſubnixuſquê ſuis viribus Tremezenium regem ſua ditione eiecit. Poſteà cũ Luſitanis bella geſsit, eo euentu, vt duobus munitiſsimis oppidis illis ademptis, non inanem incuſsit metum, ne tot victoriarũ tropheis elatus in Hiſpaniam traijcere ſtatueret. Ocupatis enim tot ampliſsimis regnis, eorum prouentibus ditatus, copias vſu peritiaquê armorum firmiſsimas alebat, quæ octuaginta millium equitum, & baliſtariorum, ſcloppetariorumquê peditũ viginti millium numerum efficiebãt, quas inutiles alere à magnitudine animi eius, qui nouam ſemper gloriæ materiam quærebat, alienum, & exauthorare non tutum videbatur. nec ei deerat tormentorum apparatus longe ſplendidiſsimus: ſiquidem egregiè fabrefacta ænea tormenta maioris minoriſque generis, equis vel curribus conuecta ad octingenta vnũ in caſtris habuiſſe dictus eſt. ſed ſenectæ vitijs retardatus, aut geſtarum rerum gloria ſatiatus, eam expeditionẽ magno Europæ cõmodo aut intermiſit, aut neglexit, & in partis tuẽdis occupatus, fati decretũ quietus expectauit.

Iou. elog. 6.
Leo Afer.

EDVARDVS VI. ANGLIAE REX.

81 Eduardus VI. Henrici VIII. filius, pręclara & peregregia indole fuit, & magnæ admodũ ſpei: ſed mundo tantum monſtratus: nam vix decimumſextum ætatis annum attigerat, cum è viuis ſublatus eſt. Ad omnis doctrinæ, & pietatis laudem aſpirare videbatur, ita laudabilia quæuis ſectabatur, auerſabaturquê contraria. Multas linguas calluit, & in Rhetorices & dialectices præceptis abundè inſtructus, ſacras literas non leuiter pro ætate attigit: de quibus frequentia cum aulicis cubiculo aſſuetis ſerebat colloquia. Iuſtitiæ, & æquitatis amantiſsimus, & ſumniæ benignitatis in omnes, ſed in eos maximè, qui doctrinæ fama cogniti erant, quos parentum loco habuit. Cùm veram, puramquê in religione doctrinam propagari & conſeruari apud ſuos cuperet, qui erroris conuincerẽtur, doceri leniter & corrigi, nõ exterminari volebat. Quòd ſi illum pertinaciter tuerentur: ad perpetuos carceres, ad reſipiſcentiã eliciendã amandari, non vltimo ſupplicio affici ſeuerè iubebat, pœnitẽtię locũ relinquendũ ijs, qui nõ malitia animi, ſed iudicij errore peccabãt, & rectã ſalutis viam ſe tenere opinabantur, multis rationib. oſtendens. Eius nomen apud doctos tã celebre, & auguſtũ fuit, vt vndecũque diſciplinarũ omnium

Libri

A libri ſub eius patricinio excuſi prodierint, quòd eorum authores ſe aduerſus omnes vitilitigatores ꝓbè munitos ſub ipſius nominis tutela intelligerent, & magno honore ſe affectos putarent, ſi ſui labores ab ipſo probarentur. Placabilitate, & clementia inſignis fuit, pudicitię & caſtimonię amans: Omnia enim ex æquo & bono iudicari volebat, & nullam famoſam mulierem in aula verſari patiebatur, indicta grauiſsima pœna ijs, quæ inibi deprehenderentur. Tam illibatæ famæ fuit, vt qui illum ob diuerſa religionis placita extinctum gaudebant, nullo eius vitam probro vnquam aſperſerint.

B HENRICVS VALESIVS.

82 Iuſtitię & æquitatis, atque vtilitatis populi ita fuit Henricus Valeſius Francorum rex ſtudioſus, vt apud iudicum collegia nihil promercale, nihil apud equitum ordines corruptũ paſſus ſit. Quæſtorum impudentes prædas ſuſtulit, & totius propè venatorij ſumptus luxuriem moderata lege correxit: vnde eſt effectum, vt agricolis aulica licentia nequaquam fuerit, ſicut anteà, detrimentoſa. Leges de diſciplina militari à Gaſpare Collineo excogitatas, & in ſuis præſidijs obſeruatas, authoritate regia firmauit, & inter Principales conſtitutiones inſeri C voluit, exercituſquê ſuos illis ſubijci: vnde accidit vt milites in ſuis contubernijs ſine rixa viuerent, & apud agricolas verſantes, à direptionibus & violentia abſtinerent. In beneficentiam & liberalitatem adeo pronus, vt ipſius donationes à magiſtro equitum, & cancellario reuocari ſæpius neceſſe fuerit. Virtutis æſtimator vel in hoſte fuit, quod in Egmontano Comite præclarè demonſtrauit. Is cũ duas inſignes clades Gallis intuliſſet, tanto in honore & ęſtimatione apud Henricum fuit, cùm Albanum ducem comitatus in legatione venit, vt ſuos cõſanguineos & familiares non pluris facere videretur. Magni-D tudine animi inſigni, & conſtantia ſingulari præditus fuit, ita vt ꝓpter clades acceptas nihil ſe demiſerit, ſed maiora ſemper auſus fuerit. Ad laudẽ fœlicitatis hoc maximè pertinet, quòd dum ipſe præſens in caſtris fuit, nullum damnum Gallia accepit: quin victores hoſtes, & recentibus victorijs exultantes è Galliæ finibus depulit, & cogitationibus belli abiectis ad fœdera pacis traduxit. Anglos, bellicoſam gentem, è Continente prorſus eiecit, & Anglici agnomen, alijs antea Francorum regibus denegatum, glorioſè promeruit.

Iou. elog. 7. *Rabutinus*

PHILIPPVS LANDGRAVIVS HESSIAE. A

83 Philippus Landgrauius Hessiæ, vir prouidus atque sagax, animosus & audax, & periculorum contemptor fuit, qui in bello rem ad manus properè deducere, quàm mora & cunctatione victoriam parare maluit. Facundia militari, comitate, & affabilitate excelluit. Vnde gratus admodum militibus fuit. Præuidere, & præcauere pericula nouit, quo hostium conatus & consilia facilè elusit, & suscepta bella fœliciter confecit. Tanti ipsius virtutem Cæsar fecit, vt neminem eo potiorem, quem bello Turcico præficeret, palàm fateretur. In reprimenda seditiosorum rusticorum feritate multũ profuit, vt qui victoriæ primitias de illis reportarit, & fractos animis & viribus, alijs conficiendos præbuerit. Vlrichum Vvirtembergicum ex auita possessione deiectum, sine suorum cæde pristinæ dignitati restituit, & adepta victoria cũ vlterius arma proferre posset, prudenter repressit impetum, ne priuato commodo, aut Cæsaris odio bellum suscepisse diceretur. Dissidia in religione, quæ inter Protestantes exorta erant, & magna animorum contentione alebantur, vt componi possent, magnam curam & diligentiam adhibuit, & per totam vitam pacem Ecclesiæ sibi maximè cordi esse declarauit. Fuit homo apertus, & liberioris linguæ, omnis dissimulationis nescius, literarum & omnis magnificentiæ studiosus. Dolo & astu in hostiles casses intrusus nihil animo se demisit, nec aliquid sua pristina gloria indignum facere, quamuis omnes machinę ab hostibus adhiberentur, compulsus est, vt non modò de hostibus, sed de ipsa fortuna triumphasse dici possit. In libertatem restitutus, bellicis turbis se immiscere amplius noluit, sed parta gloria contentus, summa pace vsque ad obitum vixit. Interea nihil in Germania tentatum nec decretum, quod publicum commodum & communem salutem respiceret, quod ipsius iudicio non fuerit confirmatum. Tantum omnes inueteratæ eius prudentiæ tribuebant.

Iou. Hist. 32. Sleidanus.

IOANNES FEDERICVS SAXO.

84 Fuit Ioannes Federicus, Saxoniæ dux, æquitatis tenax, pacis cultor & literarum amator egregius: hac de causa illum admirati sunt exteri, & subditi vnicè dilexerunt. Horum

commo-

A cõmmodum non aliter, quàm propriæ familiæ procurauit, ſic vt clementem dominum, benignum patriæ patrem eum ſemper experti ſint. Vt planè cognoſceret, quid plebs de ſua administratione ſentiret, ignoto habitu ſæpè cum ruſticis verſari voluit, de principe ſermones deinduſtria ferens: & cùm iuſtè quid reprehendebatur in gubernatione, emendari iubebat. Quietem populi & pacem tanti fecit, vt nullum vnquam conſilium admiſerit, quod aliquem metum excitaturum putaret. Liberalium artium ſtudia inſigniter fouit, & quantum potuit promouit. Filios non in aulico comitatu, ſed in ſtudioſorum B cœtu inſtituendos curauit, adeò ſollicitè & accuratè, vt pauci ex commilitonibus illis æquales, nulli ſuperiores haberentur. Natu maximus ſolus ſuperſtes, omni virtutum & diſciplinarum choro perornatus, ſanctæ educationis paternæ certiſſimum teſtimonium præbet. Cùm in captiuitatem incidiſſet, non angori ſe dedit, nec animum nimijs curis adflixit: ſed calamitatem conſtanter pertulit, & nulla periculi denunciatione quicquam ſua priſtina laude indignum facere voluit. Quam animi magnitudinem hoſtis admiratus, ne in hac parte laudis ab ipſo ſuperaretur, eum libertati reſtituit. Ad ſuos reuerſus, C ita prudenter publica & priuata negotia compoſuit, vt moriens ſubditis & liberis ſecuritatem ac pacem reliquerit.

Sleidanus. *Ph. Melanchton.*

CHRISTOPHORVS VVIRtembergicus.

85 Chriſtophorus dux Vvirtembergicus princeps fuit incredibili ſapientia, iuſtitia, grauitate, conſtantia & æquabilitate animi: ſine fuco pietatem colens, comitatem ſine dedecore in quoſuis exhibens, & ſine faſtu dignitatem, ac authoritatem in omni negotio retinens. Gloriæ maiorum ſuorum graD uis æmulator fuit, in ijſdemquè veſtigijs, quibus ad gloriam aſſequendam progreſſi ſunt, inſtitit. In omni ciuili militariq. negocio efficacis prudentiæ, diuiniquè iudicij vim expeditam & incredibilem ſemper attulit. Literis excultus, linguarum peritus, periculis infractus, æquitatis & pacis ſtudioſiſſimus fuit. Cum reconciliatis hoſtibus initum fœdus ſanctiſſimè coluit, & cum libertatis vindicibus amicitiam ſynceram & integram retinuit, ita vt his non ingratus, illis non ſuſpectus vnquam fuerit. Erga iniuſtè opreſſos, & propter pietatem

profugos

profugos munificum se præbuit, & admodum benignum. A
Ædificijs sumptuosis extruendis, & arcibus muniendis intentus fuit, non tam magnificentiæ ostentandæ gratia, quàm quod egregios artifices alere, & egentem plebem extra otium sustentare percuperet. Egit principem annos octodecim, tanta imperij ęquitate & populari humanitate in omnes, ac in miseros clementia, vt nemo esset, dum viueret, qui de eo conqueretur: ideo populus, ne tantorum beneficiorum immemor, & erga tam præclara eius merita ingratus videretur, Patris patrię nomen, magnis olim regibus exoptatum, cùm hanc lucem deseruit, communibus suffragijs ei detulit. Ad cumulum laudũ B suarum hoc non mediocre accedit, quod in ciuili bello Gallico religionis causa suscepto, cùm munus Imperatorium in exercitu regio illi offerretur, singulari animi modestia, & iudicij æquitate renuerit, asserens, acerbas calamitates, quas florentissimum regnum scelesto illo bello perferebat, in vtraque parte, sibi displicere, & regi præstare operam in amplificando & tutando regno, non in deuastando velle. Interea operam suam ad conciliandam pacem obtulit, & in ea procuranda consilio & hortatione iuuit.

Schnepf. in orat. sæcul. Hist. Eccl. Gall. lib. 6.

AMMVRATHES EGMONTANVS. C

85 Ammurathes Egmontanus comes, & Gabræus princeps, perhumanus, comis atque affabilis fuit, & ciuilibus moribus ornatissmus, manu promptus, & strenuus, rei militaris peritissimus, periculorum contemptor, & veræ laudis appetens. In bello non cunctator, sed rem ad vniuersi certaminis aleam deducere properabat, rusticæ plebis misertus, quæ militum insolentiæ in hac corrupta disciplina nimis est exposita, & quo diuturnius est bellum, grauioribus malis premitur. In plurimis conflictibus aduersus Gallos eius virtus enituit, sed maximè in duobus apud fanum Quintini, vbi quattuor tantũ D millibus equitum stipatus Gallorũ & Germanorũ delectas copias, quæ sedecim millium numerũ excedebant, fœliciter profligauit, captis aut trucidatis eorum ducibus, & tormentis omnibus in potestatem redactis. & ad Cranelingas, vbi veteranus dux & spectatę virtutis Termeus fuit superatus. Militibus & populo admodum charus fuit, quòd hunc defenderet, illos ad parandum decus duceret. Et hoc in morte sua maximè cognitum. Nam cùm Albani ducis in Flandria tunc proregis iussu

A iussu vltimo supplicio affectus fuit, cum tanto animi dolore populus vidit, vt strophiola in effuso sanguine spectantibus cunctis intingeret, vt obuersante ob oculos indignæ necis memoria ad vindicandam eam acrius instigaretur. Fiebat etiam ad templum, in quo exangue corpus in loculo tumulandum seruabatur, hominum vtriusque sexus maximus concursus; qui loculum deosculantes, quo animo & affectu defunctum prosequerentur, apertè testabantur. Hispani itidem milites propter spectatam in bellis virtutem, ipsum mortuum egregiè laudabant, & miserandum eius casum grauiter dolebant. Sed B immiti fato præreptus, hanc fœlicitatem tulit, quòd patriæ, quam tantopore amabat, indignas calamitates, quas postea perpessa est, ipse non viderit.

Rabutinus lib. 2. De bell. ciuil. Gall. lib. 4.

ANNEVS MEMORANTIVS.

87 Anneus Memorantius ex antiqua familia, cui hunc honorem in Gallia deferunt, primum ex Gallorum gente Christianum dedisse, ortus est. Magister equitum sub duobus regibus fuit, qui primum locum inter officiarios regios tenet, & verè sceptri Francici moderator dici potest, quòd in castris C cuncta administret, & omnibus præterquam regi imperet. Perspicaci ingenio vir, & exacto iudicio, rei militaris peritissimus, & in regendis ductandisque exercitibus aptissimus, vt qui dignitatẽ suam, atque authoritatẽ pulchrè tueri nouerat, & in seueritate disciplinæ milites retinere. Magni & inuicti animi, & omnibus fortunæ casibus imperterritus, adulandi nescius, & nulli cedere assuetus. Mora & cunctatione acerrimos hostium impetus reprimere tutius & commodius semper duxit, quàm rem temeritati fortunæ committere. Grauioribus deliberationibus adhibitus, consilia sapienter termina- D re sciuit, & multa negotia facilè & promptè expedire, ita, vt pluribus amanuensibus simul literas dictaret, & cum amicis interea colloqueretur. Supra quadraginta annos in gubernanda rep. operã nauauit. Regis commodo præcipue intentus: immodicas largitiones sæpius rescindens, & inutiles sumptus reiiciens. Ipso è viuis sublato, nemo in eius locum suffectus est, nullo ambiente, quòd ei muneri parem authoritatem adferre omnes desperarent, nulli rege deferente, quòd nemo sobrij constantisque iudicij grauitate, & perpetuo armo-

Iou. elog. 6

rum vſu caſtrenſiumq́ue rerum notitia ei æqualis reperiretur. A

FRANCISCVS COLLIMIVS.
Andelotius.

88 Franciſcus Collimius, procêræ ſtaturæ fuit, decôro vultu, & toto corpore lacertoſus, flexibiliſq́ue, animo elato, & inuicto: ideo labori perferendo aptiſsimus, & ad quæuis ardua, vnde laus pararetur, aggredienda promptiſsimus. A pubertatis annis in militaribus exercitijs ſe oblectans, decus quod fortibus factis petitur, diligenter quæſiuit, & tam præclara experimenta ſuæ fortitudinis ædidit, vt in præmium B nauatæ operæ, totius Gallici peditatus pręfecturã conſequtus ſit. Tanta apud regem Henricum gratia floruit, vt cùm ſemel inter ipſum & principes aliquot regij ſtemmatis oborta eſſet contentio, & res ad manus deueniſſet: cũ nunciatum regi eſt, illum à pluribus ſimul petitum in ſummo vitæ diſcrimine verſari, diſtricto gladio, regiæ dignitatis oblitus, ilicò adcurrit, illiq́ue ſe adiunxit, eandem ſortem cum amico ſubiturus, ſi inuadentes non deſtitiſſent. Familiarem & comem militibus ſe præbuit & affabilem plebi: vtriſque ſuſpiciendum, & amandum. Cum tali etenim iuſticiæ & militaris prouidentiæ tem- C peramento ſe in ſua præfectura geſsit, vt, cùm milites egere nollet, plebem ab iniuria tutam eſſe voluerit. Cùm antea cohortium duces merum imperium in milites vſurparent, & multos non excuſſa cauſa, aut etiam ex iracundia, vel odio ſolo neci darent, rege ab ipſo perſuaſo ſolenne edictum factum eſt, & promulgatum, quo talis barbaries copiarum ducibus prohibebatur. Ita prouidi patris & optimi Imperatoris erga milites officium rectè adimpleuit, & fidelis officiarij erga regem. Tanta eius virtutis fama, vt etiam apud hoſtes celebris haberetur, quod in ciuili bello maximè cognitum: palàm enim faſsi ſunt, D qui illi infenſiſsimi erant, neminem ex ijs, qui aduerſus ipſos arma ſumpſerant, præter illum, metuere, ſibiq́ue victoriam facilem polliceri, ſi ſuas partes ſequeretur. Tantùm ei fortuna fauit, vt, cùm ſui clades accepere, eum abſentem eſſe voluerit, & poſt cædem ſuorum, ipſius aduentus rebus propè deſperatis tantum momenti attulit, vt victores hoſtes concepto metu impetum repreſſerint, & ſui perculſi animos reſumpſerint. Obijt in medio ciuilis belli ardore, non ſine ingenti totius exer-

A exercitus mœrore, qui eum tanquam communem patrem luxit, infaustum totius belli præsagium ipsius mortem accipiens, quòd fortissimo & fortunatissimo duce, periculosissimo in tempore orbatus esset. Nec sine causa subijt dolor, nec inaniter conceptus metus visus est, cum ab eius morte vel instauratis viribus nihil egregium nec laude dignum gesserit.

ABBAS IOACHIMVS.

89 Ioachimus abbas, vaticinandi peritia percelebris fuit, B quam sine labore, & studio stupenda fœlicitate assequutus est. Nam cùm esset idiota, nec modicum quidem eruditionis attigisset, semel in hortum animi causa ingressus, vidit virum forma pulcherrimum, qui accedens ad eum, manuqúe amphoram tenens, his verbis affatus est: Ioachime, hoc vinum bibe, est enim optimum. Is nihil cunctatus, arrepta amphora, ad satietatem vsque bibit, eamqúe reddidit, se satis bibisse inquiens. Cui vir ille tum dixit: O Ioachime, si totum vinum ebibisses, nulla scientia te fugisset: ab eoqúe discessit. Pòst in colloquium & disputatiónem veniens Ioachimus cum viris doctissimis, C planè diuinus apparuit, præcipuè in vaticinandi arte. Cùm Gallorum & Anglorum reges contra Saladinum arma mouerent, ad eos, euentum belli prænoscere cupidos, productus, Ituros eos, sed parum profecturos respondit: quod nondum diram beluam sua fata appeterent, nec terræ sanctæ recipiendæ dies illuxisset. Multa docta scripta reliquit, quæ de bellis & tumultibus rerump. & horrendis confusionibus vltimorum temporum loquuntur, & quæ prophetarum vaticinia videntur illustrare. Magna eius dictis fides adhibita, quod suis prædictionibus euentus responderit: & magnus personæ honos D habitus, quòd inculpatè vixerit. Ita moriens, & eruditionis eximiæ, & pietatis non vulgaris opinionem de se apud omnes ordines reliquit.

Chalcōdyla.
Æmylius.

BESSARION CARDINALIS.

90 In Bessarione Niceno virtutes omnes vsqueadeò præcellenti temperamento, concentuqúe ad admirationem responderunt, vt nemo eo Christiana probitate spectatior, nemo admirabilior doctrina, & nemo deniq. generosis moribus orna-

tior, atque ſplendidior à morte eius in ſenatu conſpectus ſit. A
Senatoriam grauitatem ore probo, atque blandiſsimo condiebat, ac ipſam viri optimi famam, domi & foris, nitida & hoſpitali diſciplina, & liberalis animi beneficentia tuebatur. Præclara Græcæ latinæque linguæ lumina eius ædes frequentabant, eumque per vrbem comitabantur, atque in Vaticanum deducebant, quòd ſui muneris putaret, honeſta & liberalia ſtudia fouere, & tali ſatellitio ſtipatam honeſtam famam certius tueri exiſtimaret, quam ſi ad ſplendidiſsimum famulitium alendum ingentes diuitias inſumeret. Tale vitæ inſtitutum ſequutus collegas ſuos tacitè ſui officij admonebat, & B
obſcurata aliorum gloria, quæ ex ſplendore, & oſtentatione diuitiarum, atque potentiæ quærebatur, ſuam dignitatem egregiè tuebatur, & præ cæteris ſenatoribus conſpicuam, & illuſtrem reddebat. Plurimis, & grauibus orationibus principes Italos de periculis à Turcis præcauendis, & de diſsidijs inter ſe maturè componendis admonuit, omneſque ſuos conatus, conſilia, & ſtudia ad iuuandam remp. Chriſtianam conuertit. In conſilio Florentino inſignem laudem adeptus eſt, quòd peculiari eius opera ad Eccleſiæ pacem Græci cum Latinis conciliati fuere. Illuſtri facundia aduerſus Trapezuntij C
virulentiam Platonem defendit, vnde ei ſine inuidia magna laus obtigit, quòd ſummæ authoritatis philoſophum magiſtrûmque ſanctioris vitæ, & Chriſtianę diſciplinę proximum, ab iniuria vindicaſſet.

Iou. elog. doct. Godolenæus.

RODOLPHVS AGRICOLA.

91 Rodolphus Agricola Friſius nemini ſui temporis in laude literaria ſecundus fuit, in hoc præcipuè admirandus, quòd maieſtate, & ſuauitate dictionis vel celeberrimos anteiuit. D
Prꝩterea tãta in eius operibus ingenij, artis, iudicij, grauitatis, dulcedinis, eloquẽtię, peritiæq. prꝩſtantia inuenitur, vt omniũ ſuæ ætatis ſcriptorum gloriam obfuſcare viſus ſit. Hauſit Hebraicas, Græcâſque literas adeo ſtupenda celeritate, vt inter Hebræos & Græcos educatus à pleriſque, & doctiſsimis crederetur: Latinas tanta fœlicitate didicit & docuit, vt Ciceronem, & Hortenſium præceptores habuiſſe videretur. Tam exacta puritas, ſplendor, atque vbertas Romanæ eloquentiæ, non interciſa ſerie, ſed perpetuo tenore in

ſuis

A suis scriptis enitet. Nec eloquentiæ, sapientiæque studijs alijs gloriam præripuit tantum, sed poetarum delitijs vbertim fruitus est, eo quidem pacto, vt communem turbam multis parasangis antegressus sit, & optimorum cursum adæquarit. Laudem etiam eximiam in hoc potissimum meruit, quòd eius scripta non ad ostentationem composita, sed ad reip. literariæ vtilitatem excogitata sint. Ipse sophiam è Græcia & Latio in Germaniam euocauit, & fœlicem ibi sedem ad perpetuum gentis decus cum sua nunquam interitura laude dedit. Quandoquidem eius æmulatione Germania tanto ardore liberales B artes complexa est, vt veteri Græciæ quæ tot sophos aluit, nihil debere omnium doctorum iudicio censeatur. Memoria stupenda fuit, & mirabili ingenij captu, quod vel ex hoc æstimare licet, quod cum antè somnũ caput Plinij sibi attentè auscultanti legendum per anagnosten puerum curarat, expergefactus ad amussim ne syllaba fugiente palam recitauit.

Erasm. in prouerb. Viues. Rausius. Iou. elog. doct.

HERMOLAVS BARBARVS.

92 Hermulaus Barbarus, patritius Venetus, vir magnus in ciuilibus negotijs, ecclesiasticis, & literarijs fuit. Nihil litera- C rum studio charius habuit, & præ illo omnes huius vitæ commoditates facilè contempsit: quemadmodum ipse Antonio Caluo amico scribens testatum reliquit: Literis natus, literis dicatus, sine literis esse non possum, sine ijs esse possum quæ literas impediunt. Doctrina eius curiosa, recondita, & elegans: stylus ipsius grauis, doctus, compositus, latè fluens: scriptor quidem, in quo candidum ingenium, & integra mens agnoscitur, & in quo mores probi elucescere videntur. Rixas literis non aluit, nec iurgijs ex æmulatione gloriæ delectatus est: sed scribendo, & interpretando monstrauit, Philosophos & Iure D consultos eloquentes esse posse: &, ieiunæ atque inconditæ phrasi addictos nobile studium obscurare. Tanti doctrinas & disciplinas fecit, vt indefesso labore, & diligentia ad eas acquirendas semper vsus fuerit, nec eum à quoquam addiscere vnquam puduerit. In precio apud omnes doctos & magnos viros habitus, & propter singularem eruditionem, mores castos, & animi candorem, quod Pici, Politiani, Alexandri, Budæi, & Melanchthonis de ipso elogia testantur. In Aristotele & Themistio vertendis laudabilem & vtilem præstitit operã.

In castigationibus Plinianis summa atque exacta ipsius diligentia, ac singularis industria apparet, cùm in semestri spacio librariorum erratorum quinque millia, multis retrò seculis inolita & recepta lectoribus, emendarit. In rep. gubernanda per octennium versatus est, in qua magnos honores adeptus est, legationes obiens apud Imperatorem & Pontificem max. Ita in negotio & otio, domi & foris, præclara ipsius virtus apud omnes innotuit.

Polit Bud. de asse. Iou. eleg. doct.

A

THOMAS LINACER.

B

93 Thomas Linacer Anglus, suauitate morum atque modestia amabilis, & recondita doctrina insignis fuit, ita vt cùm peregrè profectus esset, perdiscendi studio viris doctrina claris & dignitate conspicuis cognitus, ab illis summo in precio atque existimatione haberetur. Ex Italia tanquam è mercatu bonarum literarum rediens, diu desideratum doctrinarum decus in Britanniam attulit, & ciues suos ad præclara studia sectanda & amplexanda incitauit. Arthuro principi, Henrici septimi filio, aliquamdiu præceptor datus, suo muneri honestè satisfecit. Præcipuè autem ad Medicinæ scientiam, vix vlli adhuc in Britannia nato fœliciter tentatam, studium omne conuertit. In hac demum ita se exercuit, vt commendata sibi regis sanitatis tutela, diligentiam & fidem quam debebat adhibuerit. Vnde aulæ proceribus maximo in precio habitus est, & per totum regnum ipsius doctrinæ & probitatis fama euulgata. Inter alia verò præclara ingenij ipsius monumenta, vel illud Galeni de Sanitate tuenda opus è Græco summa Latini sermonis elegantia traductum, immortalem sibi apud posteros laudẽ comparauit. Et cùm foris ipsius industria ex lucubrationibus, domi diligentia & peritia ex curationibus nosceretur: æquè doctus, ac fœlix in arte medica æstimatus est. Quo magis verò ad tam vtile studium suos accenderet Anglos, & mortuus etiam iuuaret, honestam domum Londini medicorum collegio & testamento reliquit. Sed de emendata latini sermonis structura ex præstantissimorum authorum obseruatione compositum volumen, quod paulò antequam è vita excederet publicauit, quanto studio commodandi iuuentuti flagraret, declarauit, qui serijs & grauioribus

C

D

A uioribus studijs intermissis ad puerilia studia promouenda omnem diligentiam & laborem adhibuit.

Iou. elog. doct. Lilius in vit.

GVILIELMVS BVDAEVS.

94 Guilielmus Budæus Lutetiæ Parisiorum natus, absolutæ eruditionis, exquisitæ diligentiæ vir, simplicitatis, integritatis & veritatis amans fuit, alienus à simulatione & contentione, laudis veræ appetens, & sine arrogantia. Dum verò ad hanc pertinaci studio anhelaret, & rei familiaris splendorem, fortunas, honoresquè, ingenio suo & sperata gloria viB liores æstimaret, sexaginta amplius annos ætatis in literis consumpsit, ita, vt omnes æquales doctrinæ auctoritate, & iudicij firmitate superarit. Multa documenta reconditæ doctrinæ dedit, iuri ciuili & Græcæ linguæ lucem adferens: cuius adeo peritus fuit, vt cum ipsis Græcis conferri potuerit: quandoquidem promptius & peritius in ea lingua, quàm in vernacula scripsit. Labor & diligentia in veritate indaganda, & candor in asserenda, summus in eo fuit, & in carpendis aliorum erratis singularis modestia: in antiquitatis arcanis perscrutandis mira sagacitas: in rebus obscuris & perplexis con-C iectura optima: in castigandis priscis autoribus nullus liuor, sed fides optima apparuit. Ita circumspectè & cautè cum ijs, qui eum consulebant, egit, vt nunquam ne in grammaticalibus tricis impræmeditatus responderit. In rebus arduis & difficilibus aggrediendis magnus animus illi fuit, & in perdomandis constantia. Hanc literarum gloriam adornabant sanctissimi & purissimi mores, erga exteros comitas, in amicos obseruantia, & in patriam pietas, & in omnibus suis factis candor & integritas. In liberos amor verè paternus, & nequaquam indulgens fuit: quos omnes liberaliter instituendos D curauit: atque in eo tanta fœlicitate vsus est, vt omnes paternarum virtutum æmuli fuerint, & partum à patre decus in familia egregiè conseruarint.

Iou. in elog. doct. Viues.

ERASMVS ROTERODAMVS.

95 Desiderius Erasmus Roterodamus, ingenij fœcunditate, & exprompta solertia suæ ætatis scriptores superauit. Contendebat cura ingenti & indefesso labore ad summæ gloriæ fastigiũ, ad quod disciplinarũ omniũ cognitione peruenire posse intelligebat. Et quum ad arcana cuiusque doctrinæ assidua

lectione

lectione inusitatoqúe memoriæ captu penetrasset, ingenij fœtus vbertim ædidit. Fuit illi desiderium summum rem literariam iuuandi, quod viuens publicatis multis voluminibus, quibus vel priscos authores elucidabat, vel noua opera proferebat, demonstrauit, & post fata pauperes in cōtubernio scholastico alens, relicto illis vltima voluntate stipendio, quod pro alimento frugaliter viuentibus sufficere posset. Ex celebrioribus scriptoribus, qui ipsius ætate vixere, nemo fuit, qui solidæ eruditionis palmam ei nō tribuerit, & sua studia ab ipso probari non magni æstimarit: tantum accuratò ipsius iudicio & præcellenti doctrinæ tribuebant. Corruptelæ in religione etsi maximè ei displicuere, tamen nequaquam asperè, sed moderatè carpsit eas, magis monendo, quā damnando, quòd licet dissidentibus partibus non placuerit, quòd vtrinque animi ad victoriam portenderent, tamen laudem non vulgarē meruisse visus est, quòd se pacis ecclesiæ amantem & concordiæ studiosum ostenderit. In hoc verò incomparabilem vtilitatem ecclesiæ attulisse omnium calculis iudicatus est, quòd reuerendæ & doctissimæ antiquitatis scripta emendatiora & castiora reddiderit.

Viues. Iou. elog. doct.

THOMAS MORVS.

96 Thomas Morus, Londinensis ciuis, honesta familia natus, suo ipsius iudicio, atque industria, nullo præeunte magistro, ad exactam latinarum literarum cognitionem peruenit. Græcas etiam expedita quadam diligentia adiunxit, vt & latinè rectequé scribere, & ex Grçcis Latina facere quamprimùm fœlicissimè didicerit. Priuata quædam doctrinæ laus ei debetur, quòd patriæ terminos vix vnquam egressus, eruditi ingenij fama maximam Europæ partem doctissimorum iudicio impleuerit. A literarum studijs ad forenses causas traductus, tanta iudicij æquitate & prudentia enituit, vt mox à rege ad maxima reip. munera capessenda vocaretur, ac denique per summos honorum gradus supremus regni Cancellarius dictus sit: quo in officio ita sanctè & syncerè se gessit, vt fidei, iustitiæ, & prudentiæ laus summa communiter ei ab omnibus tributa sit. Cùm verò quædam à rege videret tumultuosè fieri, vt non pessimorum interea consiliorum aut minister, aut particeps fieret, ab omni negotiorum tumultu se subducens,

dignitate

A dignitate ſponte ſe abdicauit. Ingenij acumine, ac iudicij grauitate maximè valuit, varietate & præcellentia eruditionis, facundia & eloquentia, ſuauitate morum ac probitate, conſilio in prouidendis rebus, dexteritate in exequendis inſignis fuit. Multa erudita epigrammata ſcripſit: præ cæteris autem Vtopia, ad beatæ reip. optimis legibus inſtitutæ exemplum deſcripta, excellentis ingenij dignitatem poſteris commendauit. Ibi enim, quum damnatos corrupti ſeculi mores faſtidiret, commento periucundo ad benè beateqúe viuendum rectiſsimam viam monſtrauit. Quædam etiam volumina patrio B ſermone ædidit, & in ijs eruditiſsimam diſputationem contra Volſeium Cardinalem de rectè adminiſtranda Anglorum rep. in qua ſolertia admirabilis & rerum peritia ſingularis deprehenditur.

ANDREAS ALCIATVS.

97 Andreas Alciatus, iudicij acumine, ingenij dexteritate & facundia maximè valuit: placidis moribus fuit, & comitate eximia, omniqúe doctrinæ genere ornatus. Præcipuum verò ipſius ſtudium in iure ciuili fuit, ex quo tantam ingenij & prudentiæ famam eſt conſequutus, vt Iure conſultorum C phœnix à pleriſque fuerit cognominatus. Relicta ad tempus Italia, in Galliam conceſsit, & Biturigibus in Romanorum legibus enucleandis tanta gloria floruit, vt rex Franciſcus expeditionem trans Alpes parans, vt eum videret & audiret, ſoceri exemplum ſequutus, qui Iaſonem prelegentem audire voluit, ex itinere deflexit. Suo ſtatu & ſorte contentus, maiora non ambiuit, quin delatos ampliſsimos honores magno animo repudiauit. Cùm ſæpius à pontifice Romam accerſeretur, & purpurei galeri honos ei ſponderetur, tanti fecit ſtudioſæ iuuentutis ſalutationes, & frequentium conſultorum exiſtima- D tionem, vt cum nulla dignitate commutare voluerit, non imperitè iudicans inter Scholaſticam turbam quietiorem & iucundiorem degere vitam poſſe, quàm inter purpuratos patres: & reip. literariæ, ſcribendo, docendoqúe, ciuiliqúe ſocietati reſponſa dãdo, prodeſſe vtilius, quàm in ſenatu ſuffragia ferẽdo, aut pro pontificia ſede legationes obeundo, Eccleſię inſeruire.

CLEMENS MAROTVS.

98 Clemens Marotus, poeta Gallicus, patre Normano, matre Vaſconica natus, in aula regis vt plurimum educatus, comis,

modeſtus, affabilis fuit, amicis obſequioſus, apud proceres aulicos gratioſus: omnes non ſolùm, qui ante eum vixerunt, ſed & coætaneos poetas inuentione, ſuauitate, feſtiuitate, & iudicij acumine vicit. Qui eum ſunt ſequuti, licet eruditione, doctrina & ſtyli grauitate eo ſuperiores iudicentur, tamen ijs virtutibus nequaquam illi pares ſunt. Nihil in ſua poeſi coactum, omnia terſa & pura inueniuntur. Tam leniter ipſius ſtylus fluit, vt à familiari & pedeſtri ſermone nihil differre videatur. Latinæ linguæ vix mediocriter peritus, multa ex Latinis poetis, Tibullo, Propertio, Naſone, Catullo, Martiale peritiſsimè tranſtulit, & in vſum ſuum tam accomodatè traduxit, vt ijs in peregrinam linguam adoptatis, non minor ſit lepos, quàm in Latina, quæ natiua illis fuit. Duo hominum genera maximè infeſta ſenſit, Sorbonicos doctores, & rabulas forenſes, quos aculeatis editis ſcriptis probè vltus eſt. Bis liuidorũ delationibus oppreſſus, vertere ſolum coactus eſt, ſed detecta ipſorum fraude, integra manente fama reuocatus eſt. Sed cùm ſecundum reditum in Galliam pararet, oborta repentè atroci febre, apud Taurinum fato ceſsit.

Sleidanus.

GEORGIVS AGRICOLA.

99 Georgius Agricola, Germanus, ſolerti ingenio vir, & multę ac reconditæ eruditionis fuit: qui nõ ſolùm ex antiquitatis latebris multa obſcura, quæ de ponderibus & menſuris, authoritatum numero, & ſagacibus coniecturis in diuerſas ſententias diſtracta fuerant, in lucẽ produxit: ſed ipſius naturæ ſecreta ſollicitè & curioſè rimatus, veteres & recentiores ſcriptores in eo argumento ſuperauit. Tam peritè enim & exactè, quæ ad rem metallicam pertinent, ipſe tractauit, vt Ariſtoteles & Plinius, tantæ authoritatis viri, nihil in ea intellexiſſe videantur. Nec mirum videri debet, quòd iuratiſsimorum ſcriptorum famam obſcurauit, cùm certiorem viam indagandæ veritatis ingreſſus ſit. non enim ingenio tantùm fretus, arcanæ Philoſophiæ placita adſtruere, aut diſſentientes abs ſe refutare adgreſſus eſt, ſed experientia duce ad ſcribendum ſe contulit, non audita tantum tradens, ſed comperta & explorata. Et hoc maximè ſupra Ariſtotelem ipſum extulit, quòd nõ potentiſsimi regis codicillis, & pecunia inſtructus, vt ille, ſed proprijs ſumptibus, pertinaci ſtudio, & indefatigato labore naturæ ſecreta conquiſiuit, & in medium protulit: quæ non

modò

A modò Hippocratis sectatoribus, naturæ administris, vtilia esse censentur, sed metallicæ rei atque nummariæ studiosis percommoda, atque omnibus musarum alumnis apprimè iucunda deprehenduntur. Chymistarum impias fraudes, atque artis, de qua tã pleruè superbiunt, vanitatẽ apertè detexit. Vitę genus adamauit quietum, curis solutum, & à litibus & contentionibus vacuum: consortio potius multę experientiæ, quàm plurimæ authoritatis hominum gaudens: amicitiam omnium ambiens, per quos ad cognitionem rerum abstrusarum peruenire posset. Aduersus illustris famæ viros ita suam tutatus est B sententiam, vt nihil de ipsorum laudibus detrahens, sed egregias animi dotes, quæ in ipsis erant suspiciens, non ex prouocatione & æmulatione sed veritatis amore id fecisse visus sit.

PAVLVS IOVIVS.

100 Paulus Iouius Nouocomensis, subtilitate ingenij & varietate doctrinæ æquales suos antecessit. Maximarum rerum cognitioni, illarumqûe explicationi præaltum atque solidũ iudicium attulit. nihil enim vel præstantis doctrinæ, vel solertis industriæ, vel reconditæ artis illius viri acumen fugit: qui de quauis arte rectissimè iudicare, insignes cuiusque doctrinę C dotes solertissimè dignoscere & discernere potuit. Nihil nisi excellens & eximium in quoquam scriptore imitandum sibi proposuit: aduersarios & æmulos, ipsius famæ malignè obtrectantes magnitudine inuicti animi potius despicere, quàm acerbiore stylo persequi voluit. Omnes doctos, quæcunque tellus aleret, & quæcunque disciplina ornaret, amauit, & coluit, eorúmque laudes publicauit. Nec musarum alumnos tantum meritis honoribus ornauit, sed inclytorum bello ducum spectatam in grauibus periculis virtutem pręclaro testimonio celebrauit, & posteris admirandam atque imitandam propo- D suit. Maximorum Principum, & illustrium Ducum familiaritatem atque amicitiam promereri studuit, vt rerum gestarũ, quas in historia perscripsit, ordinẽ & causas cognosceret, & fideli literarũ memoriæ mandaret. Magnificentia cum regibus certare visus est, cùm laboriosa & sumptuosa curiositate bellicosorũ heroum, & doctorũ virorũ imagines, & plurium quidẽ seculorum vndiq. conquisiuit, & in Musæo, quod perelegans & luculentũ exædificauerat, reposuit, singulis additis elogijs, quę vitę atq. operũ sũmã pręferebant. Talis ornatus splendidi

& magnifici gloriam latè percelebrem, atque voluptatem incredibilem illi attulit, quòd elegantes clarique hospites sæpius inuiserent, & perpetuò ciues frequentarent. Professione medicus cum esset, maluit contexendæ historiæ, quàm Hippocratis placitis illustrandis operam dare: quòd ad perenne decus, & immortalem gloriam aspiraret. Ne tamen nobile & præclarum studium aut omnino deseruisse, aut indignanter spreuisse diceretur, de Piscibus Romanis doctissimum opus euulgauit, in quo peritiam singularem, & diligentiam summam, & exactum iudicium ostendit. Cosmographia eleganter & peritè inchoata, animis legentium cum oblectatione doloris aculeos relinquit, quòd immiti fato præreptus tantus artifex cœpto operi finem imponere nequiuerit. In vitis magnorum Ducum & illustrium Principum describendis laudem non vulgarem tulit, cum ad illud opus æmulatione Plutarchi incitatus, tantum authorem in multis æquasse, in iudicio & delectu superasse à plerisque censeatur. Sed præ cæteris operibus quæ publicauit, duo historiæ volumina, res gestas sui temporis enarrantia, incomparabile decus ei attulere: tanti enim fuere vbique æstimata, vt in omnes fermè linguas, quibus Europa vtitur, versa conspiciantur. In his nationum mores, instituta, leges, regionum situs, bellorum causas, ducum consilia, conatus, & facta luculenter explicuit: prælia insignia, castrametationes, obsidiones ita graphicè depinxit, vt res geri, & ob oculos obuersari legentibus videatur. In principum & ducum laudibus magis, quàm vitijs euulgandis intentus fuit, sed cùm graue aliquid admissum est, ne amicissimis quidem pepercit. Narrationi rerũ graues passim sentẽtias aptissimè interseruit, quæ de toto negotio, quod tractatur, certissimum iudiciũ ferunt. Eloquentia tanta fuit, vt ab æmulis & liuidis hac parte laudis fraudari non potuerit. Nam cum nimis frigidè quidã suam gentem ab illo laudatam queruntur, in hoc tacitè fatentur, non parum laudis & gloriæ ei accidere, cuius vita ab ipso descripta, & laudes decantatæ fuerũt. Encomiastas multos prę claros viros habuit, Alciatum, Latomum, Varchium, Lilium, Fasitelum, Peleariũ, Chythræum. Eius verò laudes non magis appositè nec dilucidè enarrari possunt, quàm hoc disticho eius sepulchro insculpto continentur.

Heu iacet hic Iouius Romanæ gloria linguæ,
Par cui non Crispus, non Patauinus erat.

CEN-

A

CENTVRIA IIII.

APOPHTEGMATA.

NOn ex præclarè gestis tantùm homines clari, & celebres fiunt: sed bonam partem laudis etiam illa vendicant, quæ ab ijs grauiter & sapienter dicta sunt, vt ingenium robore præstat, & animi dotes viribus corporis excellentiores sunt. Hæc præclara summorum ingeniorum monumenta cùm omnibus ad vitam rectè instituendam plurimum conferant, B *tum principibus viris, qui ad clauum reip. sedent, maximè vtilia esse censentur. Nam vt Plutarchus ait, Ratio, quam adfert sapientiæ studium, si principi assideat ceu domesticus custos sanum corpus tuetur: & degeneres animi existimandi sunt, qui hæc reijciunt & aspernantur: quandoquidem praua fœdaq; ingenia sunt quæ salubribus consilijs obsurdescunt. Studiosa itaque iuuentus, si in ijs diligenter se exercuerit, præclaros fructus percipiet, quibus remp. si quando ad eam regendam vocetur, maximè iuuabit.*

C 1 CYRVM Persarum regem dixisse ferunt, iucundiora multo, acceptioráque in optimo viro humanitatis, quàm belli opera: bellum enim plurimum mali adferre mortalibus, humanitatem verò plurima bona. Etsi summorum virorum amplitudinem maximè illustrat laus bellica: tamen quia maximo periculo sæpius petitur, & ex aliorum damnis acquiritur, magis admirarationi est, quam fauori populis: at beneficentiæ fama, vt neminem lædit: ita grata omnium recordatione celebratur. Idcirco qui olim principes sine bello regnarunt, & populos sibi subditos optimis legibus, & præclaris institutis guber- D narunt, quę ad vitæ subsidia necessaria erant prouidentes, post mortem sunt ab illis in numerum deorum relati: diuinum opus indicantes, miseros iuuare mortales.

Plut. de opt. s. n. & in apophth. princip.

2 Ipse etiam Cyrus dicere solitus fuit, nullum debere imperare, qui non esset ijs, quibus imperat, præstantior. Vox verè regia fuit & tanto principe digna, qui quod sui muneris erat, probè agnoscebat. Populorum enim rectores non sunt ad eam honoris sublimitatem à Deo euecti, vt iubendi quæcumq. velint habeant potestatem: sed vt exemplo sint subditis vitæ

Idem ibidē.

honestæ, & curam de illis gerant verè paternam. Et in prima principum institutione, hanc rationem populi obseruarunt, vt eas sibi rectores deligerent, quos corporis vel animi virtutibus cæteris longè antecellere videbant.

3 Sperthius, & Bullis, à lacedæmonijs ad Xerxē missi ad expiandam legatorum contra ius gentium interemptorum cædem, cum ei dixissent se à suis ciuibus missos ad luendam pœnam pro ijs legatis, qui Spartæ occisi fuerant: Xerxes negauit se fore Lacedæmonijs similem. Illos interimendo legatos ius commune omnium hominum peruertisse: se verò quod illis exprobraret, non esse facturum: morum placabilitate atque humanitate illis superiorem esse velle, non sæuitia parem. Rectè Xerxes intellexit in vindicta, quamuis iusta, & legitimè suscepta, nihil laudis inesse, nec honestam parari famam malos imitando, sed eorum facinora detestando.

Herodot. lib. 7.

4 Teribazus Persa cum vestem regiam indutus, & muliebribus monilibus, alioqúe mundo speciosè ornatus in publicum prodijsset, ob idqûe aulici omnes indignanter succenserent: rex Artaxerxes cachinnari cœpit, & ad eum conuersa voce, Tibi (inquit) vt molli muliebrib. delitijs fruēdi, & vt insano regium amictum gestandi potestatem facimus. Præclarè ostendit rex, ambitionem magis risu, quàm odio dignam, vt insaniæ genus est alia quàm virtutis via ad honores procedere, & gloriam, qui eam ambiunt, non sequi, sed fugere.

Plut. in Artoxer.

5 Archelaus Macedoniæ rex, quum ab eo poculum aureum postularet quidā inter cœnandum, qui nihil lepidum nec suaue ducebat, prærerquam accipere: iussit ministro, vt id Eurypidi daret, & hominem illum petacem intuitus: Tu (inquit) dignus es, qui poscas, & non accipias: hic verò dignus videtur, qui non postulans accipiat. Ostendit rex: flagitatores impudentes, & importunos munificentia principum indignos esse, importunitatem non ex officij merito, aut facti alicuius praecellentia procedere: honor enim, quo insignes viri ad præclarè agendum monentur, prohibet adulari, & emendicare virtutis mercedem. Insuper ostendit se non parsimonia, sed animi magnitudine indigno munus flagitanti denegasse, cùm rem quæ petebatur non retinuerit, sed digniori personæ, & liberaliori modo concesserit.

Plut de vitiosa Verec.

6 Cum

A 6 Cum nonnulli Philippo Macedoni dicerent, Græcos dignos esse supplicio, qui beneficijs affecti male de ipso loquerentur: Quid igitur (inquit) facerent, si illos læderem? Lepidè susurrones refutauit, à seque reiecit, & plebis rumores contemnendos esse ostendit, malosque potius beneficijs mitigandos, quàm seueritate irritandos. & sapienter ab eo factum videtur: nam qui maledicis præbent aures, ijs nunquam deerit contentionum & litium materia, & qui nimis solliciti sunt, quid de ipsis populus sentiat, quietè viuere nõ poterunt, cum is in horas sententiam mutare soleat, & nulla in ipsius dictis aut factis constantia appareat.

Plut de cohib. Iracundia.

B 7 Alexander vrgenti matri, vt insontem hominem quemdam ipsi exosum occideret, & spe impetrandi quę vellet sępius repetenti, eum per nouem menses vtero gestasse: respondit, Aliam, parens optima, mercedem posce, hominis enim salus nullo beneficio pensatur. Ostendit potestatem datam regibus non ad perniciem, & exitium hominum quibus imperant, sed ad tuitionem, & defensionem: & magistratum sua authoritate ad gratificandum amicis abuti non debere, sed ius vnicuique sine discrimine syncerè, & integrè reddere.

Amm. marcell. lib. 15.

C 8 Cum legati vrbium, quas in India obsidebat Alexander, ad ipsum venissent, eorumque natu maximus Acuphis rogaret, quibus rationibus eius amicitiam sibi conciliarent: Alexander respondit: Si te principem crearint, & mihi viros præstantissimos miserint. Ad hæc ridens Acuphis, inquit, Atqui rex melius imperabo, si tibi non optimos, sed pessimos misero. Intelligebat Alexander, ciuitates constantius fidem seruaturas, si viri insignes & omnibus ordinibus accepti obsides darentur. Acuphis: populos in fide, & officio melius retineri posse, si mali abessent. Neuter falso opinatus, nam D obsides, nisi ipsorũ vita, quæ pro pactionibus seruandis depositi loco est, ciuibus charissima sit, inutiliter dantur: &, si omnes prudentes & authoritate pollentes à ciuitate abfuerint, seditiosorum furor non poterit cohiberi.

Zonar. ante. to. 1.

9 Cum ipse Alexander in India bellum gereret, ad Gymnosophistas accessit, petereque iussit, quod ipsis collibuisset. Immortalitatem petierunt, quod nihil optabilius immortalitate ducerent. quibus ille ait: Cum ego mortalis sim, immortalitatem nemini præstare possum. Si ergo (inquiunt)

te mor-

Curt.lib.8.

te mortalem agnoſcis: cur non contentus patrijs ſedibus omnibus infeſtus totum orbem inſatiabili cupiditate tibi ſubijcere conaris. Alexander animo verè regio, pręcellentes virtute viros, & magna exiſtimatione, & gloria apud Indiæ populos florentes magni facere voluit: Philoſophi nihil ſua profeſsione indignum præ metu poteſtatis, aut ſpe præmiorũ facere voluerunt. Nam terrena, & caduca magno animo contempſerunt, & regem victoriarum prouentu ſuperbum humanæ ſortis admonuerunt, rem maximè abſurdam, & ſapienti virꝰ indignam arbitrati, hominem breuis vitæ pro incertæ gloriolæ præmio tot periculis & diſcriminibus ſe obijcere. Simile ferè reſponſum Philippus pater à Diogene cynico tulerat, qui cum in ipſius caſtris Græciam inuadentis pro exploratore captus eſſet, Speculator, inquit ad regem, tuæ auaritiæ, & dementiæ ſum, qui de principatu ſimul, & vita periclitaturus accedis.

Æliã.lib.2. de var.Hiſtor.

10 Alexander Epheſi ſuam ipſius imaginem, quam Apelles finxerat, contemplatus, cum pro dignitate picturæ non laudaſſet, introductus equus picto equo perinde atque viuo adhinnijt. tum Apelles inquit, O rex, hic equus in diſcernendis picturis longe te meliore iudicio præditus eſſe videtur. Hoc liberum artificis reſponſum demonſtrat, viris ſolertibus, & ingenioſis magnos ineſſe ſpiritus, licet in ſublimi dignitate non ſint conſtituti: qui ferre non poſſunt, artes & diſciplinas decora huius vitæ ſubſidia non pro dignitate æſtimari, & operam ſuam pro amplianda principum gloria ſuſceptam ab ipſis pro nihilo reputari.

11 Porus prælio victus, & captiuus factus, cum ad Alexandrum adductus ab eo interrogaretur, quid de ſe victorem ſtatuere debere cenſeret: generoſè, ac cordatè reſpondit, Quod dies tibi ſuadet ſtatue, quo expertus es, quam caduca res eſt fœlicitas. Ob victoriam non inſoleſcendum à Poro monemur, cum numinis largitate, & beneficio obueniat, ſed illius exemplo miſeris, & peſsimè à fortuna mulctatis ignoſcendum, & humanarum rerum inſtabilitatis, & inconſtantiæ ab eis exemplum capiendum, qui momento temporis ex fœlici ſtatu in miſerabilem inciderunt.

12 Taxiles Indię rex, pręter aureas coronas, quas Alexandro magno & primoribus donꝰ dedit, octoginta ſignati argenti talenta

A talenta ipsi Alexandro obtulit, quæ non solùm ipsi Taxili reddidit: sed mille etiam talenta adiecit. adhæc vasa ex auro & argento cum persicis vestibus, & equis triginta insignibus. Meleager in cœna largiore vino vsus, gratulari se Alexandro dixit, quòd virum in India reperisset mille talentis dignum. Respõdit rex, inuidos homines nihil aliud esse, quàm sua ipsorum tormenta. Rectè à quibusdã inuidia monstrũ est appellata, quandoquidẽ admodũ portẽtosæ naturæ est: eius.n.calamitas nõ propriũ malũ, sed alienũ bonũ: prosperitas verò nõ propriũ bonũ, sed ꝓximi malũ. Cùm alienis malis lętatur, nihil lucri illi accedit, cùm in aliorũ commodis discruciatur, eos nullo B afficit detrimẽto, ita sibijpsi tantũ nocet, & suo igne se cõsumit.

Sab. En.4. lib. 6.

13 Cùm Solon Atheniensis Crœsum Lydorum regem adiẽs propter ingentes thesauros, & magnificentiam insignem, inter beatos non poneret, & eius opes ac potentiam haud magni facere videretur, ab eo ambiguo vultu est exceptus. Æsopus historicus, qui tunc temporis Sardis erat, tantum virum non pro dignitate acceptum indoluit, & ad eum consolãdum, quòd illum casum indignè ferre putaret, tanquã amicus accessit. Cùm autem in familiari colloquio Æsopus diceret, regum consue- C tudine, aut quàm minimè, aut quàm maximè vti oportere, innuens eos, qui aulicos mores non nouerunt, parum esse idoneos qui cum principibus congrediantur. Imò respondit Solon, aut quàm minimè, aut quàm optimè. Voluit per hoc monere Solon, eos à principibus esse remouendos, qui ad gratiam tantùm & non ad vtilitatem tum suam tum reip. loquũtur. & quantum ad ipsum attinebat, licet Crœsum blanditijs & assentationibus quibus assuetus erat, non deliniuisset: tamẽ qui pręsenti fœlicitate obcęcatus fortunæ vices, variósque lusus non videret: si in præcipitium aliquod miseriarum fortè D (vt sunt humana) incideret, ipsius admonitionis eum recordaturum. principes enim non tam suopte ingenio malos euadere, quàm domesticorum gnathonum peruersis ąssentationibus & prauis exemplis, vt verè à Plutarcho dictum videatur, nimia licentia, rerum copia, amici improbi, satellites detestandi, consiliarij auarissimi, aulici vel stulti, vel flagitijs turpes, rerúmque ignorantia malos principes faciunt.

Plutar. in vit. & de doctr. princip.

14 Cùm Socrati ab Anito, Mellito, & Lycone accusato diceretur, vt caueret, ne ab accusatoribus opprimeretur: quan-

doquidem grauia illi obijciebāt crimina: Non me, inquit, vel accusatores perimēt, vel crimina: sed inuidia sola, qua prędari viri interierunt, & interibunt. Nihil ab inuidia tutum deprehēditur, adeò sagax & solers ad nocendum est. nam aliquādo delatores falsique testes, qui vt infames omnibus ordinib. exosi sunt, ab ipsis iudicibus in eos, quos exitio destinarūt, subornantur, ac de instituenda accusatione edocentur. ita nō propter admissum crimen, aut malignè conceptum & falsò delatum testimoniū insontes pereūt: sed ob inuidiā potentiorum.

Aug. de ciuit. 8.

15 Socrates dicebat, eos qui aurum, vel argentum, vel quid aliud eiusmodi à dijs peterent, non dissimile petere, quàm si talorum ludum, vel pręlium, vel quid aliud earum rerum peterent, de quibus incertum est qualem exitum sint habitura. Quæ fortunæ vel naturæ bona vulgò dicuntur, etsi per se bona sint, quia à Deo procreata & data: tamen nec commodum adferūt nec, laudem pariunt, nisi rectè vtentibus: ideò qui hęc à Deo petunt, deberent etiam eorum rectum vsum petere, vt illis commodo & solatio esse possent. nam qui in acquirendis bonis se discruciāt, in cōseruandis nimia cura angūtur, in amittendis acerbo dolore torquētur, eis bona nō sunt bona. nec insulsè Socrates ipse à dijs simpliciter bona precabatur, nihil definiens, quia tanta est ingenij hominis imbecillitas, & experiētia tam fallax, vt sępiùs dijudicare nō possit, quid ei profuturum sit. & præterea rerum vsus non ex hominis arbitrio, sed ex Dei voluntate procedit.

Xenoph. memorab. Socr. lib. 2.

16 Cùm Socrati quidā diceret, magnum esse si quis compos fieri possit eorū, quæ cuperet: respōdit: Sed multo maius est ne cupere quidē ab initio. Magnarū opū laboriosa acquisitio, periculosa possessio, & difficilis conseruatio est. Ideò posse multis carere, & paruo contentū esse, vt animū sedatū & inuictum demonstrāt: ita maximā securitatem & quietem pariūt.

Æl. de var. hist. lib. 9.

17 Plato cū amicos nobiles inuitasset, tricliniúmque iussisset ornari satis splēdidè: irrupit Diogenes Cynicus, & cœnosis pedib. cœpit lectulos cōculcare. Ingressus cū conuiuis Plato: Quid agis, inquit, Diogenes? Calco, respōdit ille, fastū Platonis. tum Plato, Calcas quidē ô bone, sed alio fastu maiore. Nec comptus ornatus, nec vrbani sales philosophi persona indigni sunt, nec immundicies, aut rusticitas modestum & sobriū hominem declarant. nonnunquam enim accidit, vt homines in for-

Plin. Laertius.

A sordidis vestibus, & moribus agrestibus non minus arrogantes & superbi sint, quàm qui magnificè & splēdidè vestiuntur.

18 Aristoteles Callisthenem auditorē suū cùm ad Alexandrū regē amādaret, monuit, vt cū eo aut quàm rarissimè, aut quàm iucundissimè loqueretur: quò scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone acceptior esset. Non amant principes cogi, nec imperiosè obiurgari patiuntur: ideò qui magnates sui officij vult admonere, cum maxima animi moderatione id facere debet, & occasionem captare, linguæ libertate non delectari, quia multis exitialis sæpe fuit. *Plutar. in Vit. Valer. lib. 7. Curt. lib. 8.*

B 19 Aristoteles Alexandrū ira turgidū & ferocientem placare volēs, hæc ad eum scripsit: Excandescētia & ira nō in pares, sed in meliores insurgere solet, tibi verò nemo par est. Sapienter à philosopho factū. honestis .n. officijs mitigare, nō iurgijs exasperare potestatem decet. & blādiendo retundi, laudādo corripi debent, quibus datum vt neminem timere possint. *Æl. de var. hist. lib. 12.*

20 Cùm Aristippus increparetur à Platone, quia multos pisces emisset: duobus obolis se illos emisse respondit. dicente autē Platone, quòd & ipse tanti libenter emisset: Vides, inquit Aristippus, quòd ego sum gulo, tu auarus. Qui in aliquo erC rato deprehenduntur, sese abūde excusasse videntur, si eos qui reprehendunt, aliqua in re carpserint: atq. in hoc maximè gloriantur. Item perditæ vitæ homines in hoc pręcipuè excubāt, vt viros laudatos quocunque prætextu traducere possint. *Athen. lib. 8.*

21 Aristippus quōdam à Dionysio tyrāno talentum petēs, & rex redarguendi materiā nactus diceret, Nónne tu prędicabas, philosophū nō egere? Da, inquit Aristippus, & postea de hoc disputabimus. Cùm aūt pecuniā accepisset: ánnon, inquit, recte dixi, philosophum nō egere? Nō eget, qui quùm opus est habet, vnde accipiat. Importunitas postulantium aliquādo D apud principes facit, vt in eos beneficia cōferant, quos sua munificentia indignos antea iudicarunt. Et multū valet in impetrando à magnis viris beneficio accipiendi fiducia. *Laertius.*

22 Sisitheus cùm populo comœdiā exhiberet, quia Cleanthē Stoicū cōuicijs ꝑscindebat, cæteris indignantib. philosophus dixit, iniquū esse indignari ob histrionū maledicta, cùm Hercules & Dionysius maledictis ab illis incessātur. Prudētis esse nō videtur ad verba scurrarū cōmoueri, qui nemini parcere solēt, & linguæ libertate celebres fieri quacūq. ratione cupiūt. *Laertius. Viues.*

23 Cùm Ariſtides arbiter inter duos eſſet delectus, & alter, vt ipſum in aduerſarium magis irritaret, extra cauſam pleraque illius in Ariſtidem maledicta recēſeret: Hæc omiſſa faciamus ait, tu verò bone vir, ſi quid in te commiſit, explica, quoniam in præſentia tibi, non mihi iudicium exerceo. Oſtendit Ariſtides iudicem ęquitate tantùm cauſæ moueri debere, non perſonarum reſpectu: ſimul etiam in probatione cuiuſcũque cauſæ, quæ ad eam nihil faciunt, quamuis exploratæ fidei ſint, non eſſe alleganda. **A**

Plutar. in Vit.

24 Athenienſis quidam longè ante ſigna prouectus prælio inſtante, mox timore perculſus occurrentis ſibi hoſtis, retrò ad ordinem ſe recepit: ad eum Phocion dux, non te pudet adoleſcens duos deſeruiſſe ordines, & quo poſitus à duce fueras, & iterum vbi temet collocaſti ipſe? Argutè à Phocione dictum, quia deſerendo ordinem, vanam temeritatem & iactantiam oſtendebat: regrediendo, cõſpecto hoſte, timiditatem: in vtroque facto ſtultitiam inſignem, quia ridiculum ſuis & hoſtibus ſe præbuit. Prudentia etiam inſignis in Phocione apparuit, quia leniter verbis ſtultum militem caſtigando, quemlibet ſui officij admonebat, & iuſſa facientes tacitè laudabat. Et exactam diſciplinæ rationem tunc non eſſe exigēdam rectè vidit: nam dum hoſtis in conſpectu eſt, pugnæ intentum eſſe decet, non in pœnis infligendis occupatum. **B** **C**

Plutar. in Phoc.

25 Philippo Macedonum rege defuncto, immolare ob lætũ nuncium Phocion prohibuit Athenienſem populum: abiecti animi eſſe dicens, malis exultare alienis: pręterea exercitũ, cum quo ad Cheronęam conflixerant, vno tantùm homine eſſe diminutum. Ad calamitates in quas alij inciderunt reſpicientes, admoneri debemus, nos homines eſſe, & in ſimiles, aut grauiores, prout hominũ natura diuerſis caſibus ſubiecta eſt, incidere poſſe, non miſeris & adflictis inſultare. Voluit etiam Phocion indicare, veteranas copias diſciplina, atque exercitatione firmiſsimas, cùm duce orbatæ ſunt, haud quaquam contemnendas, quia facilè ductorem inuenire poſſunt. **D**

Plutar. in Phoc.

26 Demoſthenes ſemel cùm Phocion diceret, Perdet te populus, ſi quando furere cœperit: Quin te potiùs, inquit Phocion, ſi reſipuerit. Id ea de cauſa dicebat Phocion, quòd ipſe nulla priuatæ vtilitatis ratione habita, in commune conſulebat, & populi furoribus, non reformidato periculo, ſe opponebat:

Plutar.

bat:

A bat: Demosthenes verò tempori seruiens, ex tumultibus commodum captabat, & ex aliena insania prudentiæ laudem adsequebatur. Vnde re diligenter à populo expensa, Demostheni potius timendum videbatur.

27 Cùm Alcestides, Tragicus poeta, Eurypidem taxaret, quòd in tridui spacio non vltra tres versus maximo impenso labore producere potuisset, atq. is se centum perfacilè scripsisse gloriaretur: Sed hoc (inquit) interest, quòd tui versus in triduum tantummodo, mei verò in omne tempus sufficient.

Qui lucubrationes edunt, hoc maximè respicere debent, vt prodesse possint, si solidam gloriam, & nõ cito desituram assequi velint, & ad id plus valet exactum iudicium quàm fœcundum ingenium. *Valer. lib. 3.* B

28 Caphesias tibicen, cùm eum ex discipulis quidam rogaret, vt magnum valdè modularetur, & in id maximè incumberet: Percutiens, inquit, nõ in magno, benè: sed in benè magnum esse positum. Quo maior inepti operis moles assurgit, eò despectior apparet, ideo laus artificis nõ in magnitudine, sed in excellentia operis consistit. *Athen. lib. 14.*

29 Archidamus, rex Lacedæmoniorum, videns duos ex C amicis contendentes, eos in templum duxit, petijtque quem arbitrum deligere vellent ad componendum inter ipsos dissidium: cum vterque eum delegisset: Iurate (inquit) quia meo iudicio stare vultis, vos facturos quod imperabo. Annuentibus illis, è templo egredi prohibuit, antequam compresso odio pacem & amicitiam iurarent. Sapienter difficultatem iudicij vitauit, & alterutrius odium: fructumque ac laudem conciliationis tulit, vtriusque amicitia posteà vsus. *Plut.*

30 Cùm Antigono Asiæ regi quidam gnatho diceret, Omnia regibus iusta & licita esse: respondit, Ita quidem barbaris, D & tyrannis. Cùm principes sint rectores populorum, suo officio satisfacere non possunt, nisi iustitia & æquitate alijs præluceant. Cùm patres sint patriæ, debent erga patriam affectum paternum induere, illiúsque commoda procurare. *Plut.*

31 Xenophanem Lagi quum Hermonæus meticulosum vocaret, quòd nollet cum ipso talis ludere: confessus est se non modò timidum, sed vehementer etiam timidum & meticulosum aduersus inhonesta. Vt nimia tenacitas in magno viro probro non caret, sic stulta profusio & bonorum dilapidatio *Plut de vitios. Verecund.*

maximè vituperanda est. Dissolutorum præterea consortium fugere non ad timiditatem, sed ad cautam & eximiam imprudentiam referre decet. A

32 Pyrrhus, an Caphias, vel Python melior musicus videretur interrogatus, Polyperconta meliorem ducem respondit. Hoc responso voluit innuere rex, in difficillimis & periculosissimis belli negotijs magnanimum principem occupatum, mollioribus iocis & vulgaribus oblectationibus vacare vix posse: quando ad leuandas graues animi curas ijs vtatur, voluptatis ministros, quamuis in sua arte præcellentes, nequaquam in eadem æstimatione habere debet, qua illustres duces, quos omni amore & honore prosequi decet. B

Bud. in test. temp.

Cal. Rhodiginus.

33 Mithridates rex Ponti, quum Pomponium Luculli magistrum equitum ad se saucium perductum interrogasset, an gratiam sibi, si saluus esset, vellet reddere? Si amicus, inquit, Lucullo fueris, permagnam: si hostis, nullam. In hunc modum cùm respondisset regi, suadebant barbari illum interficere. At rex inquit, Non æquum est virtutem à fœlicitate destitutam despicere. In rege, an captiuo magnanimitas maior fuerit, difficile dictu est. Nam rex liberiori captiui responso non est offensus, nec suorum hortationibus & monitis ad pœnas de hoste sumendas permotus: nec captiuus præsenti periculo impeditus est, quominus liberè quid in animo sentiret explicaret. Fidelis etiam militis officium declarauit, cuius est non suam, sed ducis, cuius auspicijs militat, causam tueri. Rex etiam animum verè regium ostendit, qui consiliarijs ad sæuitiam hortantibus non præbuit aures: vt in principe laudabile est, moderatiorem & sapientiorem suis consiliarijs aliquando videri. C

34 Herodes Ascalonita cum pro Antonio aduersus Augustum copias misisset, & Augustus eo bello victor euasisset, ipsum Augustum Rhodi agentem adijt, ac coram illo diadema deposuit, his verbis eum affatus: Ego, Cæsar, rex factus ab Antonio, auxilia pro viribus ei misi, percupiens, vt ille victor euaderet. Cum illo victus depono coronam, spem salutis de virtute præsumens. Ad hæc Cæsar: Imò saluus esto, & nunc regnato, vt plurimos regas, cum amicitias tanta fide tuearis. Vt in rege magnaminitas insignis, ita in Imperatore æquitas summa apparuit. Ille enim in aduerso casu animum infractum ostendit; hic hostem amicitiam colentem, laudauit. D

Nauclerus

Vterque

A Vterque officiosè & laudabiliter. Tam præclara enim res est amicitia, vt pro illa conseruanda nullum periculum subterfugiendum sit: & ex bono & æquo videri non potest, eum plecti, qui pro amici causa se periculis obiectare non detrectauit: quin potius magni eum æstimare decet: nam qui amicitiam ad extremum vsque spiritum colit, laude & amore dignus ab omnibus censendus est.

35 Hippomachus pugilandi magister, cùm athleta quidam ex ipsius discipulis specimen artis exhiberet, & circumstans multitudo vniuersa cũ plausu acclamaret, percussit eum virga Hippomachus, inquiens: Sed tu perperam, nec sicut oportebat, fecisti: nam si quid artificiosum præstitisses, non hi te laudarent. Innuebat, eos qui specimen alicuius artis ædunt, non debere imperitæ multitudinis iudicium expectare, sed eorum, qui illius artis periti sunt. Id præterea considerandum, clamorem & plausum populi à stultis & væcordibus sæpius incipere, cæterámque turbam priorum voces incognita causa sequi, ideo theatri suffragia parum ad laudem facere.

Ælian. de. var. Hist. 2

36 Numa principatu suscepto, trecentos armatos, quos Romulus ad custodiam semper habuerat, amouit: nec enim decere ijs diffidere aiebat, qui ipsi fiderent, nec diffidentibus imperandum. Etsi principum satellitium non tantum securitati, sed etiam ornamento est, ideo vtile & splendidum: tamen vsu cognitum est, nullã custodiam tutiorem beneuolentiâ subditorum, & præclarius admodum esse principi, à subditis & clientibus diligi, quàm metui.

Plut. de cohib. iracũd.

37 Cùm Numa publicè templum sacrasset Fidei, assignatis ex ærario victimis, causa cur id fecisset ab eo quæsita, respondit, Recepta semel in ciuitate firmitudo fidei apud singulos etiam ciues valitura plurimum est. Populus consuetudinem pro lege augustissima habere solet, & sacrũ ac religiosum iudicat, quod à maioribus per manus traditum, & omnium consensu approbatum retinet. Nihil autem facilius in consuetudinem transit, quàm quod sub religionis prætextu introducitur, quia populus id Deo curæ esse persuasum habet: & quod iubet & probat, proculdubio iustum & rectum esse.

Plut. de cohib. iracũd. Halicarn. lib. 2.

38 Legati à Samnitibus ad C. Fabriciũ imperatorẽ populi Romani venientes, memoratis multis magnísque rebus, quas bene ac beneuolè post redditã pacem Samnitib. fecisset, grandem

dem pecuniam dono obtulerunt, atque vt acciperet vehementer orarunt. Id autem Samnites se ideo facere dixerunt, quòd viderent, multa ad splendorem domus atque victus deesse. Tũ Fabritius planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares, & ad os gulamqúe, atque inde ad ventrem imum deduxit, & legatis ita respondit, Dum illis omnibus membris, quæ attigisset, imperare posset, nunquam quicquam defuturum: propterea pecuniam, qua nihil sibi esset opus, ab ijs, quibus eam sciret vsui esse, non accipere. Rectè ostendit, ex cupiditate penuriam, non ex natura procedere. Hanc enim necessaria homini frugi semper suppeditare, illi nunquam satis esse. Et cum maius sit cupiditates refrenare, quàm multas opes congerere, melius cum eo actum putandum qui nihil cupit, quàm cum eo qui multa posSidet, quia nulla re indigere videtur.

Gell. lib. 7.

39 Fabritius missus legatus ad Pyrrhum Epirotarum regem, rogatus est ab eo, vt in Epirum secum iret, daturum se illi quartam regni sui partem. Cui Fabritius respondit, hoc regi non expedire. Epirotas enim Fabritium si viderent & nossent, lubentius ipsi parituros, quàm Pyrrho. Eo responso Fabritius ostendit Pyrrho, regem iustitiæ & pacis amantem magis vtilem populo, ideoqúe magis charum, quàm bellicosum & victorem. Ratio est in promptu, nam bellicosi principes, & multis victorijs clari, patriam suam vicinis odiosam reddunt, & quos deuicerunt, ad vindictam acuunt: quæ licet ad multum æui differatur, iniurias, & damna accepta cum fœnore rependere nouit.

Valer. Max. Aug. de ciuit. 5.

40 Caius Figulus, iuris ciuilis iudicio celeberrimus, consulatus repulsæ dolore accensus, cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit, hoc tantum præfatus: An vos consulere scitis, consulem facere nescitis? Licet hoc responsum ex iracundia processerit, tamen rectè ostendit, non tutum esse eum lædere, vel contemnere, cuius opera indigemus.

Valer. lib. 9

41 Maulius Torquatas, cum consulatus ei omnium consensu deferretur, eúmq. sub excusatione aduersæ valetudinis oculorum recusaret, instantibus cunctis, & nullam excusationem admittentibus, Alium, inquit, Quirites quęrite, ad quem hunc honorem transferatis nam si me eum gerere coegeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis.

A ritis. Oſtendit non tutum eſſe, nec facile, in perturbata repub. viro bono munere publico rectè fungi. *Valer. li. 6.*

42 Priuerno capto, interfectiſque, qui id oppidum ad rebellandũ incitauerant, princeps eorũ in curia interrogatus, quam pœnam mererentur cęteri: reſpondit, Quam merentur, qui ſe dignos libertate iudicant. Tunc Plancius cõſul quæſiuit, qualem cum eis Romani pacem habituri eſſent, donata impunitate? Is conſtantiſsimo vultu reſpondit: Si bonam dederitis, perpetuam: ſi malam, non diuturnam. Primum reſponſum ambiguum fuit, & prudens: ſecundum fidele: vtrumque libero B homine dignũ, qui in hoſtis poteſtate conſtitutus animo ſe nõ demiſit. Qui libertati ſunt aſſueti, ſi deuicti fuerint, videntur leniter tractandi, vt paulatim ſeruitutis iugum ferre addiſcãt: aut ſeuerè coercendi, vt rebellandi occaſio & facultas prorſus tollatur. & cùm belli finis quęritur, præſtat ſub æquiſsimis cõditionibus pacem componere, quia quæ neceſsitate expreſſæ ſunt, diu ſeruari non ſolent. *Liu. dec. 1. lib. 5. Valer. li. 6.*

43 Cùm à L. Scipione ex Antiochẽſi pecunia ſeſtertiûm quadragies ratio in curia repoſceretur: prolatum ab eo librũ, quo acceptæ & expenſæ ſummæ continebantur, & refelli inimico- C rũ accuſatio poterat, frater eius P. Corn. Scipio Africanus diſcerpſit, idque reſpondit: Non reddo, Patres conſcripti, ęrario veſtro ſeſtertiûm quadragies rationem, alieni imperij miniſter, quod meo ductu meiſq. auſpicijs bis mille ſeſtertiûm vberius feci. Neque enim huc puto malignitatis vẽtum, vt de mea innocentia quærendum ſit. Nam cùm Africam totam poteſtati veſtræ ſubiecerim, nihil ex ea, quod meũ diceretur, præter cognomen retuli. Oſtendit hoc reſponſum, magnanimum virũ ſua conſcientia fretum inuidiæ ſpicula facilè contemnere, & aduerſariorum calumnias nullo negotio diluere poſſe: quia D egregia & præcellens virtus, ſuo fulgore & viribus freta, precario auxilio non indiget. *Liu. dec. 3. lib. 8. Valer. li. 3.*

44 Cùm Cornelius Scipio apud Syphacem regem cum Aſdrubale Carthaginenſi ad menſam ſediſſet, & in familiari ſermone ab illo de multis interrogatus, grauiter & prudenter reſpondiſſet: Scipionis grauitatem & ſeuerum aſpectum vehementer admiratus, ad amicos conuerſus, dixit: Is homo profectò nõ modò in bello formidabilis videtur, ſed etiam in mẽſa. Exemplum Scipionis duo potiſsimùm docet: Primum, *App. de bel. Hiſpan.*

quòd multum confert duci ad authoritatem retinendam, grauitatem cum prudētia apud omnes ostēdere. Secundum, cùm apud aduersarios & æmulos sumus, diligenter cauendum, ne quid imprudenter dictum excidat. nam ij omnia dicta & facta nostra obseruantes, gaudent cùm aliquid habent, quod carpere posſint. cum ijs ideò liberè loqui nunquam tutum. A

45 Scipio Africanus interrogatus, cur in acie primus hostibus non occurreret, quò suos non solū verbo, sed etiam exemplo ad virtutem accenderet, respondit: Mater me genuit imperatorem, non militem. Ostendit speciosius & vtilius esse, imperatorem in acie ordines disponere, & circumquaque respicientem omnibus necesſitatibus prouidere, quàm pugnacis & intrepidi famam periculosè quærere. B

Plutar. in vit.

46 Scipio Æmylianus, cùm Seruius Sulpitius Galba & Aurelius Cotta consules in senatu cōtenderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur: ac magna inter Patres cōscriptos dissensio facta esset: omnibus, quónam eius sententia inclinaret, expectantibus: Neutrum, inquit, mitti mihi placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis. Ostēdit, tales exercitibus præficiendos esse, qui vitæ integritate non minus quā castrensium rerum peritia, & authoritate nominis milites regere, & sub disciplina continere posſint. C

Valer. li. 6.

47 C. Marius, cùm duas Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie aduersus conditionē fœderis ciuitate donasset, & à senatu violatæ legis accusaretur, dixit: Inter armorum strepitum se verba iuris ciuilis exaudire non potuisse. Qui in periculosa prælij alea strenuè pro salute patriæ se gessere, maximo honore & præmio digni censendi sunt: nec seueritati legum obnoxius videtur, qui contra legis verba, pro tutela & defensione legum egregium aliquid fecit. D

Valer. li. 5. Plutar. in vit.

48 Cùm deuicto Perseo de inferendo Rhodiensibus bello Romæ in senatu consultaretur, & multi bellum suaderent, dicentes, Rhodienses maximè esse superbos, ideò retundendam ipsorum audaciam videri: M. Cato, qui bellum dissuadebat, respondit: Rhodienses superbos esse quid ad nos attinet? An irascimini si quis superbior est quàm nos? Lepidè suos ciues superbiæ & iniustitiæ in inferendo alijs bello arguit. solent enim arrogantes à superbis notari, à modestis magis negligūtur

Gell. li. 7.

tur

A tur & contemnuntur, quàm corpuntur. Nec iusta belli causa iudicari debet alienum fastum reprimere: nam cùm bellum maximas calamitates secum adferat, non debet sine vrgēti causa & necessaria moueri.

49 M. Cato conuitio proscissus ab homine obscœnæ & improbæ vitæ, Iniqua, inquit, mihi tecum pugna est: nam & malè audis facilè, & dicis promptè: mihi malè dicere molestū, & audire insuetum. Sine contentione & molestia, & cum grauitate obiurgantem reprehendit. Demonstrauit enim, ipsum esse nequissimum, & notæ infamiæ. Simul etiam ostendit, indeB corum esse viro ciuili, cum improbis digladiari, aut conuicijs contendere. Nam etsi vera in eos dicantur, non curant: & vt peruersè agendo, ita malè loquendo delectantur.

Plutar. in Cat.

50 Eum, qui vxorem vel liberos cæderet, sanctissimis rebus dicebat adferre manus, & maiorem esse laudem boni mariti, quàm boni senatoris: neque Socratem esse sibi ob quicquam aliud magis admirationi, quàm quòd cum muliere morosa & liberis stupidis perpetuò placidè & quietè vixisset. Quia vxor perpetua vitæ comes est, præstat multas molestias prudenter dissimulare & comprimere, quàm eas morosè exagitaC re: & ferocem coniugem honestis officijs demulcere, quàm rigida seueritate peruicaciorem reddere.

Plutar. in Cat.

51 Scipio Africanus, cùm ab Appio Claudio competitore in censura conuicijs impeteretur, quòd ciuium nomina ignoraret: respondit, curæ sibi fuisse potius ne à quoquam ignoraretur, quàm multos nouisse. Innuebat, suis præclarè gestis ita populo Romano notum, vt non opus esset se cuilibet nominatim commendare, & virtutis merito fretum, ad petendam censuram aduenisse, non seruili adulatione & blandienti prehensatione subnixum. Rectè verò ille de captandis honoribus sentiebat. Nam qui ambitu & largitionibus ad D eos perueniunt, vt culpa non vacant, ita non possunt æquè dignitatem suam sartam tectam tueri, vt qui ob merita in rempublicam illos sunt assequuti. Præterea curiosa, & propè ridicula diligentia videtur, velle omnia ciuium nomina nosse, & quæ hominem otiosum, & in triuialibus occupatum, non celsa virtutis trophæa meditantem demonstrat.

Plutar. in Vit.

52 Cùm Demetrius Syriæ rex Rhodū expugnauit, erat Protogenes eximius pictor in suburbano hortulo suo, neq. inter-

pellatus prælijs inchoata opera intermittere voluit. Accitus à rege interrogatúsque, qua fiducia extra muros ageret, respõdit, scire se illi cum Rhodijs bellum esse, non cum artibus. Innuebat barbaricæ feritatis esse adepta de hostibus victoria in præclara ingenij monumenta sæuire, & musarum alumnos apud magnos principes in honore & æstimatione esse debere, & nõ ciuium culpa perire, sed potius salutem impetrare. quod Alexander magnus probè intellexit, qui in expugnatione Thebarum ędibus Pindari parci iussit, & Augustus, qui propter Arrium philosophum Alexandrinis omnibus pepercit.

Plin. li. 35.

A

53 Cùm M. Catoni rusticitas, & ab elegãtia auersus animus obijceretur, ipse dicebat, Neque mihi ędificatio, neque vasum, neque vestimẽtorum vllum in manu preciosum, neque preciosus seruus, neque ancilla: si quid est, quo vti possum, vtor: si non est, ego sum cui per me vti & frui licet. Vitio vertũt, quia multis egeo, ego illis, quia nequeunt egere. Præstantius multo videtur multis posse carere, quàm multis abundare, quia locupletes sæpius inuidia premuntur, nec sine periculo degunt, cùm ferè omnes opibus eorum inhient: qui ingentes opes nõ congesserunt, non tam multos liuidos & obseruatores habent. Adhæc qui frugalitati assueuit, beatior cẽsendus est, quàm qui delicatè & sumptuosè viuit. nam cùm delitijs & voluptatib. solitis non datur frui, magnam inopiam & ęrumnam sentiunt, quemadmodum Seneca dicit: *Luxurioso frugalitas pœna est: frugi verò homines paruo contenti in penuria malum non sentiunt.*

B

Gell. li. 13.

C

54 Cùm prætor Romanus à senatu iussus esset legatos eligere, qui bellum inter Mithridatem regem Prusiæ, & Attalum Pergamenæ compescerent: elegit tres, quorũ vnus saxo quondam caput percussus fœdas cicatrices pręferebat, vnus laborabat pedibus, vnus ad stultitiam vsque simplex habebatur: Cato in eam legationem cauillatus dixit, eam nec mentem habere, nec pedes, nec caput. Legati quia reip. vel principis à quo mittuntur personam gerunt, quamdiu legatione fungũtur, inculpati & reprehensioni non obnoxij eligi debent, ne in illis principis vel reip. maiestas ludibrio exponatur, & ipsorum legatio, propter contemptum, inutilis aut minus efficax reddatur.

D

Plut. in Vit.

55 Cùm virginem quandam vestalem M. Crassus frequenter conueniret, prædiolum quoddam elegans ab illa mercari cupiens:

A piens, propter solutiorem risum & liberiorem cum viris confabulationem in suspicionem violatæ pudicitiæ venit, ita, vt coram pontifice fuerit accusata: quæ cùm ab eo crimine se immunem ostendisset, Spurius Minucius pontifex maximus dimissam admonuit, ne inuerecūdius loqueretur, quàm viueret. Qui sanctitatis opinione honorantur, debent diligenter cauere, ne tantillum offendant. nam leuissima eorum errata pro magnis notantur, & si graue quid semel admiserint, tota ipsorum vita in simulatione posita esse iudicatur. *Plut. in vit.*

56 Pompeius Magnus, Pharsalica acie victus à Cæsare, cùm B postero die Larissam intraret, oppidique illius vniuersus populus obuiam ei processisset: Ite, inquit, & istud officium præstate victori. Innuebat Pompeius, maximos honores potentioribus adulandi causa exhiberi solitos, & victoriam, voluntates & studia hominum ad se attrahere: ideo stultissimum esse putabat, momentaneo honore frui, cùm breui pòst adueniente victore exercitu contemptissimus haberetur apud eos, qui ob pristinam potentiam quouis honore dignum existimabant. Agnouit etiam in hoc fortunæ inconstantiam, quæ momento temporis ex fœlicissimo miserrimum reddiderat. *Valer lib. 4. Plut. in Pomp.*

C 57 Cùm Cæsar ad Dirrachiū castra haberet Pompeianis castris collata, & ad inopiam commeatus redactus esset, quòd hostilis classis libero mari potiretur: ipsius exercitus necesse habuit herbas in panis vsum vertere. quod genus panis transfugę Pompeio obtulerunt, quò noscere posset, in quas rerum angustias Cæsar redactus esset. Nihil lætatus Pompeius eo nuncio, quod multi existimabant facturum, sed Cæsarianorum constantiam ac fortitudinem admiratus, dixit, En cum qualibus pugnamus bestijs? Qui inediam & alia belli incōmoda fortiter perferunt, & ad inusitati generis cibaria pro commo- D do principis, cui militant, descendunt, strenuam in acie nauaturos operam non inanis spes concipitur. ideo metuendum, cum eiusmodi hominibus in periculosam dimicationem venire, quòd inuictum animum gerant; idcirco Pompeius, dux peritus, quòd vulgus militum pro se facere iudicabat, pro malo omine victoriæ accipiebat. *App. b. c. lib. 2.*

58 Cùm Augustus deponere potestatem cogitaret, & Agrippa, vnus ex præcipuis amicis, id suaderet: Mecænas contrarium sensit, affirmans, eum, qui semel imperasset, tutò vitam

priuatam agere non posse. Citra autem molestiam & odium imperaturum, si ea, quæ alio imperante sibi fieri vellet, ipse vltrò faceret. Mali existimant iniuriam sibi fieri, cùm ipsorũ ferocia ex legum authoritate retunditur: ideo cùm magistratus legum custodes exosos habeant, si eos exarmatos, viribusque atque authoritate destitutos viderint, atrociter eos persequentur. Cùm autem magistratus onus laboriosum & inuidiæ multorum obnoxium sustineant, si ex æquo & bono omnia administrent, & nemini iniuriam inferant, inferriúe patiantur, extra periculum & molestiam erunt, cùm omnes bonos & publicæ tranquillatis amantes defensores, & deum, cuius in conseruanda communi societate vices agunt, protectorem & vindicem sint habituri. (A) (B)

Zonar. to. 2

59 Bellum inter se gerentibus Octauio Cæsare, & M. Antonio, L. Cocceius vtriq. amicus, qui apud Antonium erat, fingens se reuocari à Cæsare, à quo prius cum literis ad Antoniũ missus fuerat, valedicens Antonio rogauit, Ecquid vellet rescribere Cęsari. Tum Antonius: Quid nos scribemus inuicem, cum simus inimici? fortasse mutua conuicia? Innuebat Antonius, odium ita transuersos hominum animos agere, vt tantùm ad nocendum sint intenti: & omnia aduersariorum dicta & facta curiosè & malignè obseruantes, semper in peius rapiant, & vix vllus inuenitur, qui, cùm odio aliquem prosequitur, ita sibi temperare posit, vt nullum insolens aut contumeliosum dictum aduersus eum proferat. Præstat itaque irarum incendium tempori restinguendum relinquere, quam oleo iniecto maius excitare. (C)

App. b. c. lib. 5.

60 Cùm audisset Augustus, Alexandrum Magnum triginta duobus annis natum, parta maiori Asiæ parte, hæsitasse, quid posteà facturus esset: dixit, se mirari, si Alexãder putaret minus negotij esse in bene ordinando, regendo, & conseruando tam magno imperio acquisito, quàm in acquirenda. Vna est via in acquirendo & propagando imperio, nempe vis armorum: at in diuersis populis regendis, diuersis legibus, constitutionibus, & moribus vtendum: præterea in bello, cùm vires sint in promptu, victores timentur, & faciliùs populorum ferocia vi retunditur, quàm rationibus demulcetur, & feruida ac turbulenta ingenia militiam sequi solita vix ciuili modestiæ assuescere possunt, nouisque rebus semper gaudent, quòd (D)

Plut. in. apopht. prin.

A pacem detrimentosam putent. Idcirco res multò difficilior videtur, populos authoritate legum in fide & officio continere, quàm vi armorum subiugare, vt non incommodè à Nasone dictum sit:

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

61 Cum Antonius & Octauius in naui prætoria Sexti Pōpeij cœnarent, Menodorus ad Pompeij aurem accedens, Vis, inquit, Sexti, vt succisis anchoris subitò hinc nauem auferam, teq́ue sine alia belli molestia statuam rei Romanæ principem? Oportuit, inquit, te id facere, non à me sciscitari, qui nunB quàm sum fidem meam & iusiurandum violaturus. Hoc respōso docuit Sextus, honestum semper vtili præferendum, & nihil magis principem decere quàm seruare fidem, aperteq́ue & candidè omnia, nihil dolosè agere. Et licet serui cōmoda dominorum fideliter procurantes excusationem mereantur, siquando contra pacta & fœdera fecerint, tamen magni viri, dignitate & authoritate conspicui, à fide & æquitate sine ignominia discedere, aut quid contra fœderum leges facere non possunt.

Sab. en. 6. lib. 8.

62 Tyberio indignanti, quòd multi obloquerentur Augu-C sto Cæsari, & non curaret, rescripsit Cæsar: Noli in hac re, mi Tyberi, indignari: satis est si hæc habemus, quòd nullus nobis malefacere potest. Vindicta magnanimi viri est, ostendere se vlcisci posse, & noxam remittere, & sic irritos inimicorum conatus irridere, & contemnere. Nam de miserabilibus inuidis, qui se ob aliorum fœlicitatem adfligunt, maior vindicta sumitur, cùm contumelia comtemnitur, quàm cùm seuerè punitur: quia erumpente magis inuidia, grauiùs animo discruciantur.

Nauclei 9.

63 Cùm Augustus in Pollionem scripsisset, eumq́ue acu-D leatè taxasset, multi Pollionem increparunt, quòd non respōdisset. quibus Pollio dixit, se non facilè in eum scribere, qui posset proscribere. Nemini vitio verti debet, potentiorū iniurias æquo animo ferre: nam ipsi vinci nolunt, & leuem iniuriam atrociter vindicare solent, vt scitè prouerbium indicat, Non tutum cum principibus cerasa edere: nam si ipsis adlubuerit, commansores per iocum nucleis impetere: easdem lusus leges ab inferioribus non sunt admissuri.

Alex. ab Alex. lib. 2.

64 Batto, qui Dalmatis sæpenumero defectionis author fuerat,

rat, & Romanis ingentia damna attulerat, cùm à Tyberio Cæsare interrogaretur, cur ei deficere, tanquè diu aduersus Romanos bellum gerere visum erat: Vos (inquit) causam dedistis, qui ad greges vestros custodiendos non mittitis canes, aut pastores, sed lupos. Etsi defectio populorum & rebellio, quocunque prætextu causaûe nitatur, semper sit accusanda, & rectorum crimina exigua materia bellorum sint, vt Agrippa rex dicebat: tamen boni & sapientes principes truculentam & immanem prouincialium gubernatorum rapacitatem, & militũ insolentiam cohibere & punire debent, ne populi, præcipuè recenter domiti, nimia asperitate in desperationem acti, patientiam in furorem vertant, & vel cum magno detrimento vincantur, vel victores alijs rebellandi exemplum præbeant. Æquum etiam postulat, vt principes, qui pastores populorũ dicuntur, curam gregis sibi commissi rectè & fideliter gerant, Tyberij dictum in memoria semper habentes, Pastoris est gregem tondere, non deglubere.

Dion Cassius.

65 Adolescentem fragrantem vnguento, cùm pro impetrata præfectura Vespasiano gratias ageret, grauiter ipse increpuit, dicens: Maluissem allium oboluisses: literasque reuocauit. Iudicabat Vespasianus, non ad vtilitatem reip. eum officio imperrato functurum, qui tam elegantulus & delicatus esset: sed ad priuatas voluptates in damnũ & perniciem reip. abusurum, & credibile non videri, illis communis vtilitatis populi curam esse, qui in curanda cute admodum sunt solliciti.

Suetonius.

66 De iurgio quodam inter senatorem, & equitem Romanũ, sententiam dicere rogatus Vespasianus, ita pronunciauit: Nõ oportere maledicere senatoribus, remaledicere ciuile fasque esse. Ostendit, maledicendi & conuiciandi libidinem amplissimis viris indignam: sed nisi obiecta sibi probra diluerent, conuicijs eos dignos esse crederetur, quia silentium pro confessione plerisque habetur.

Suet.

67 Adrianus Imperator, cùm semel seruum suum inter duos senatores ambulantem conspexisset: misit qui ei colaphum impingeret, & diceret, Noli inter eos ambulare, quorum seruus adhuc potes esse. Imperatoris factum præclarè nos admonet, vt nostræ conditionis & sortis non obliti, in magnatum fauore non temerè, nec insolenter efferamur, & honorẽ nobis

Spartianus

propter

A propter dominos exhibitum, in contemptum & ignominiam abiturum putemus, si semel à gratia exciderimus.

68 Cum quidam diceret, reprehensione dignum Antonium Philosophum, quòd tam mitis esset in hostem Auidium Casſium, eiusq́ue liberos, atque omnes, quos conscios tyrannidis reperiſſet: & adderet, Quid si ille viciſſet? respondit, Non sic Deos coluimus, non sic viximus, vt ille nos vinceret. Dij me tuentur, Dijs pietas mea cordi est. Hoc responso ostendit, pietate & iustitia stabiliri regna, eaq́ue de gente in gentem propter iniustitiam transferri. Firmamentum itaque stabile & tutiſsimum reip. iustitia est. *Vulc. Galli.*

B 69 Seuerus, deuicto Nigro, cùm versus de ipsius laudibus suaderetur eradere, noluit, hanc adferens rationem, Si talis fuit, qualis depingitur, sciant omnes qualem vicerimus: si talis non fuit, putent omnes nos talem viciſſe. Laudem minuit, non auget, victoris, quisquis eius hostes contemnit, & probris afficit. nam imbelles & ignauos deuiciſſe, gloriæ verti non potest, vt rectè Curtius inquit: Citò gloria obsolescit in sordidis hostibus. *Spartian⁹.*

70 Cùm Alexandro Seuero Mammea mater & vxor Memmia nimiam humanitatem & ciuilitatem obijcerent, sæpeq́ue dicerent, contemptibiliorem imperij potestatem sibi feciſſe: Ille respondit, Sed securiorem, atque diuturniorem. Ostendit, gratiam popularem, quæ comitate & humanitate sæpius conciliatur, tutiſsimum eſſe principum satellitium, & austeritatem nimiam omnibus eſſe odiosam. quod congruit cum Isocratis dicto: Comitas grata omnibus: at quorundam fastum immensum vix serui perferrent. *Iul capitol.*

71 Aurelianus principatu Romanorum potitus, magnates interrogauit, quo pacto imperandum eſſet. vnus ex illis respõdit: Si remp. ritè administrare volueris, auro & ferro te munitum eſſe oportet: ac ferro quidem contra hostes vti, tui verò obseruantes auro remunerare. Munificentia in omnibus hominibus laudatur, at in principibus maximè diligitur, & eos erga subditos augustos reddit. quisque enim principalibus donis delectatur, atque etiam gloriatur, insignem fauorem existimans vel leuidense munus à principe accepiſſe. hostes verò non tã potentẽ principem, quàm bellicosum reformidãt. *Zonar. an. to. 1.*

72 Diocletianus Imperator ad priuatam vitam reuersus di-

cebat, nihil esse difficilius, quàm benè imperare. Colligunt se, aiebat, quattuor aut quinque, atque vnum consilium ad decipiendum principem capiunt, dicunt, præscribunt quid eligendum, quidquè probandum sit: Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit, cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportebat: remouet à rep. quos debebat retinere. Vulgus principes beatos, & cœlestium vitam adeptos putat, quia alijs hominibus imperant: sed qui molestias, pericula & labores in gubernatione reip. experti sunt, aliter sentiunt: quod Seleucus rex Syriæ etiam testatus est: Si homines nossent, inquit, quàm operosa & molesta res sit Regi vel solas epistolas legere & scribere in regia administratione, neminem fore arbitror, qui proiectum diadema sustolleret.

Pom. Læt.

73 Valentinianus post tertium diem, quo ad Imperiale fastigium est euectus, cum primores exercitus sciscitaretur, quemnam collegam imperij oporteret assumi, silentibus cũctis, Degalaiphus equitum magister dixit: Si tuos amas, habes fratrem: si remp. alium quære. Cum reip. munera sæpius fauore, quàm virtutis merito acquirantur, non decentius gratia collocatur, quam in consanguinitate propinquos: quia commune familiæ decus tuentur. sed si maximè, vt æquum postulat, ratio reip. habetur, delectus ex ijs faciendus, qui virtutis laude excellunt vt populi commodum non minus, quam priuatum spectetur.

Sigon. de Occid. Imp. lib. 16.

74 Saturninus ad eos qui ipsum ad imperij dignitatem euehebant, dicebat: Nescitis amici quid mali sit imperare, gladij, & tela nostris ceruicibus impendent: imminent hastæ vndique, & spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quòd omnis ætas in imperio reprehenditur. senex est quispiam, inhabilis videtur: si iuuenis, inest furor. Dignitates, quæ suffragijs acquiruntur, multos habent obseruatores: & ambitiosi homines, qui repulsam passi sunt, sibi quemquam præferri indignantur, ideo rebus plerumque nouis student. Præterea is, qui ad magistratum euectus est, si quæ habuit vitia dum priuatus erat, paucis cognita, publicantur, & ex inuidia augentur. At vir bonus, pietatis & iustitiæ amans, hæc omnia facile con-

Spartian⁹.

A lè contemnet, animo reuoluens, potestatem à deo dari & administrari: & quod sui muneris est, nullo affectu aut cupiditate præditus faciet: nec vanos populi rumores curabit, qui etiam honestis officijs demulceri solet. Sed superbi, & crudeles numquam sine metu, aut periculo erunt.

75 Theodoricus Gotthorum rex, Italos, qui constanter in fide Odoacris manserant, cum ad summos honorum gradus euexisset, dicebat eos dignos quibus administratio rerum cōcederetur, qui fideles erga dominos se præstiterant, vt ad senatum Romanum de Liberio scripsit: Liberius sic Odoacris in-B tegerrimis parebat obsequijs, vt nostra pòst fieret electione dignissimus, contra quos multa fecisse videbatur inimicus. non enim ad nos vilissima transfugæ conditione migrauit, nec proprij Domini finxit odium, vt alterius sibi procuraret affectum. Expectauit integer diuina iudicia, vnde sic factum est, vt ei libenter daremus præmium, qui nostrum fideliter iuuit inimicum. Rectè Isocrates, Elige eum amicum, qui rectè prioribus amicis vsus est: apparet enim in amicitia constantem fore. Qui de prioribus amicis malè dicit, inconstantiæ & leuitatis se arguit, aut quòd non benè elegit, aut non rectè v-C sus est: nec qui in bello infensissimum se præbuit, conciliata pace auersandus est. nam (vt Thucydides inquit) Qui dum hostis est vehementer nocuit, is si amicus fit, satis est profuturus. quod rectè est ab Alexandro Magno obseruatum qui Porum prælio cum eo confligere ausum, & captiuum & saucium ad se adductum, magni fecit, & inter amicos retinuit.

Sigon. de Occid. Imp. lib. 16.

76 Quum Gilimer Vandalorum rex bello fractus, & à Belisario captus in triumpho duceretur cum preciosis auri & gemmarum manubijs, admodum tristis & mœstus visus est, donec in conspectum Imperatoris Iustiniani venit. ibi cùm il-D lum in solio sedentem iussus fuit adorare, in solutiorem risum repentè effusus, hæc verba protulit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Multi existimabant, hominem ingenti animi mœrore in phrenitidem lapsum, quòd loco & tempore tam alieno ita risisset: sed Imperatoris iussu interrogatus, cur tamdiu antea mœstus, in cachinnum inexpectatò erupisset: Respondit, se ridere fortunæ humanæ vicissitudines. vt qui modò rex fuerat, mox seruiret. Admonebat captiuus victorem, fortunæ nimis indulgenti non fidendum esse, quæ regna & o-

Pom. Læt. Ph. Mel. lib. 3.

pes cita dat & abripit manu: & triumphi ſplendorem, ſi calamitas acceſſerit, maiorem indignationem, & vindictæ cupidinem acriorem hoſtibus allaturum. A

77 Cabadi in expugnatione Amidæ adequitanti, ſuis cædes promiſcuè virorum ac mulierum edentibus, quidam ſacerdos ſenex occurrens, ait: O quàm regium, captos interficere? Cabades iratus reſpondit, Cur mihi reſiſtere audetis? Quoniam (inquit ſenex) Deus non noſtra voluntate, ſed tua virtute Amidam tibi tradere voluit. quo reſponſo Cabades delectatus cædi modum impoſuit. Cùm victores in expugnatione vrbis alicuius cædes & ſtrages imperant, malè ſuæ gloriæ conſulere videntur: nam cùm laudem clementiæ cum fortitudinis fama coniungere poſſent, vtramque reſpuunt. Nam non reſiſtentes & vitam deprecantes trucidare, non magnanimi hominis eſt, ſed feri & crudelis. Nec cum ratione victores, dum cædes iubent, ſpretam authoritatem cauſantur: nam victoria magis illuſtrat potentiam, quàm voluntaria ſubiectio. B

Agathias.

78 Baiazetes, eius nominis primus, Turcarum Imperator, ſuos milites longa oratione contra Tamerlanem Tartarum cohortatus, donatiuum militibus, quamuis Baſſæ id poſtularent, dare noluit. Ibi tum vnus è ducibus, Deaurandi tibi ſunt milites, inquit, non orandi: ſed quantum video, pecunia tua Tamerlanis effigie inſignita eſt. Quamuis militaris facundia in principe, laude non careat, & milites ad dimicandum promptiores reddat: tamen niſi munificentia neruos addiderit, elumbis & iners apparebit. nam plerique omnes ſpe lucri in militiam proficiſcuntur. Nec profuit vnquam principi in bello tenacitas: vt Perſeus Macedo, Mauricius Cæſar & Calyphas Babylonius exemplo ſunt. contrà, liberalitas magnos duces conciliauit militibus, charoſque reddidit, vt in Alexandro Magno & Iulio Cæſare perſpicitur. C D

Chalcond. lib. 3.

79 Caualis Venetus, quòd Chalcidi à Turcis obſeſſæ opem non tuliſſet, relegatus, cùm à Sabellico hiſtorico interrogaretur, Qua potiſſimum ratione patriæ deſiderium leuaret? Duplici, reſpondit: Venatoria, & literaria. Magnitudo animi in aduerſis cognoſcitur, & magis in calamitatibus perferendis, quàm in deuincendis hoſtibus. Venatio verò ſuo exercitio corpus alacrius reddit, & animum ab alijs curis abducit. Literarum ſtudium multis rationibus, & exemplis de

Sabellicus.

A instabilitate & incertitudine rerum humanarum nos admonet, & ea, quæ cæca hominum libido pertinaciter ambit, facta iusta æstimatione contemnenda proponit.

80 Iacobus de Sirck, Episcopus Treuirensis, cùm Fridericum Cæsarem apud Nouam-ciuitatem adijsset, & alia atque alia petens impetrasset, pluraque adhuc petendo instaret: Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego certè negandi finem facilè inueniam. Innuebat importunos flagitatores potius esse dimittendos, quàm vllo responso dignos: & principum munificentiam splendidiorem videri, cùm non prouocatur, sed sponte emicat. *Nauclerus.*

B

81 Victis in Hungaria Guinziensibus à Germanis, Friderici II. auspicijs: Magnum, inquit Imperator, actum est opus: nunc maius restat, vt vincamus nos ipsos, atque auaritiæ & vlciscendi cupiditati finem imponamus. Nullum difficiliorem ad vincendum hostem inuenit homo, quàm seipsum. nam effrenes appetitus alliciunt homines, ac transuersos agunt, maximè in victoria, quæ libidinis & insolentiæ semper plena est. Et rectè Imperator decori & laudi prouidebat, & commodo suo. Nam vt laudabilius est, superatis hostibus benignè & clementer parcere, quàm arma tenentes debellare: ita ad vtilitatem victoris cedit, victorum bona insolentiæ militum non patere. nam quicquid post victoriam diripitur, non de hostium, sed de victoris commodo decedit, vt Crœsus Cyro in Sardis direptione dicebat. *Aen. Syluius.*

C

82 Attilus Sueonum Rex, Roluonem filium è Dania reducem splendido conuiuio excepit: in quo cùm varius de multis rebus sermo incidisset, rogatus rex, Quæ virtus regiam dignitatem magis ornaret: respondit, Liberalitatem regibus & principibus summum præstare ornamentum. Deinde iussus Roluo dicere, Quæ virtus milites magis decoraret: affirmauit, Militares homines nulla virtute plus quàm patientia commendari. In bello, non quò fert furoris impetus semper eundum, sed rei benè gerendæ expectanda occasio est. ideo milites imperio ducum maximè intentos esse decet, & conuicijs, & prouocatione hostium non commoueri. & cum in obsidionibus potissimum multa perferenda sint incommoda, milites inediæ, algoris, frigoris patientes esse debent, aliàs hostibus manus dare cogentur. *Id. Magn. lib. 2.*

D

83 Arlotus Plebanus Florentinus conuiciatori in se debacchanti, & hoc vnum, vt responderet, vrgenti: Vti tu (inquit) linguae tuae seruus es: ita ego aurium mearum dominus sum. Falsò vulgo putatur, ad libertatem, & ingenui hominis mores pertinere, quiduis temerè effutire, cũ sit cupiditatum dura seruitus, quae hominem ad se impotenter rapiunt: nec laude caret conuiciantibus non respondere. Nam, vt inquit Plutarchus, in maledicendo qui inferior est, victor euadit: quia seipsum & aduersarium patientia superauit.

Æn. Sylu.

84 Alphonsus Neapolis & Siciliae rex, oblatrantibus canibus offulam esse obijciendam dictabat, id est, maleuolos homines beneficijs & liberalitate alliciendos. In eo apparet victoria, quòd beneficijs mali permulsi bene dicere de ijs coguntur, de quibus antea malè dicebant, ita se leuitatis & iniquitatis arguunt.

Pont. de liberal.

85 Bertrandus Guesclinas à Carolo quinto Comesstabilis institutus, antequam à rege gladium accipere vellet, ipsum rogauit, vt quod primum petiturus esset, non abnueret: eiusmodi esse, quod dignitati regiae nullo modo officeret. rege annuente, Peto (inquit) quia inuidia & aemulatio in aulis principũ plerunque regnare solent, & obtrectationibus locus datur, vt nemini de me loquenti aures praebeas, nisi coram me id cuius me insimulat asseuerare ausit. Virtutis comes est inuidia, sed prudentiâ retinetur, & magnitudine animi retunditur, quod Guesclinas suo exemplo ostendit, qui in tempore maledicentium artes regi patefecit, & sua virtute fretus, eos prorsus contemnere, modò apertè agerent, declarauit. Regem etiam sui officij admonuit, eiúsque quieti & tranquillitati consuluit. Æquissimum enim est, in iudicio ambas partes audire. nam quis erit innocens si accusasse sufficiat. quòd si principes delatoribus, & alienam famam sugillantibus aures non praeberent: in ipsorum aulis susurrorũ numerus perexiguus esset, & inuidorum instinctu, de ijs qui sibi fidi sunt, malam opinionem non induerent, quod illis summam animi quietem adferret.

Lib. de vit. ips.

86 Cùm Nicolao V. pontifici maximo renunciatum esset, quosdam esse Romae, qui bonos versus facerent, negauit bonos esse. Cur enim, inquit, ad me non veniunt, qui poetis etiam malis pateo? Molestè tulit homo sapiens, in vrbe sua esse, qui

Her. Barb.

A qui literas ſcirent, & neſcirentur, voluitque & honore, & honorario ingenioſos viros ad ſtudia ornanda & promouenda allicere: & optimè intellexit, in quos potiſsimùm vſus liberalitas principum eſt exercenda, vt laus in authores, commoditas ad omnes redeat. Non ſolent enim ingrati eſſe muſarum alumni, ſed ſuorum mæcenatum & benefactorum publicant laudes, ipſorúmque virtutis famam perennem & vulgatam reddere cupiunt, & cùm omnibus ſuos labores & vigilias maximè prodeſſe velint, liberalitas, qua aluntur, ad multos populos & multa ſecula extenditur.

B 87 Alphonſum Neapolis regem vſqueadeò *Liuianæ* lectioni deditum veteri memoriæ proditum eſt, vt cùm à Coſmo Medice Florentino principe viro diſsideret, eſſentqúe ab illo Liuij commentaria quàm ornatiſsima dono data, quòd rex eius lectione oblectari diceretur, ſuadentibus ipſi medicis, vt à lectione abſtineret, ne quid in libro veneni eſſet, quod officeret, quum præcipuè ab ingenio Florentino timendum eſſet: ipſe tamen ſimul ac librum ſumpſit, legit ac euoluit diligenter: pòſt ijs, qui ne legeret diſſuadebant, hæc verba reſpondit: Deſinite ineptire: nam regis animus nullo priuati hominis C regitur arbitrio. Præclari heroes, & magnanimi reges licet ſapientum conſilio vti ſoleant, eóſque in conſultationem de magnis & arduis rebus adhibeant: tamen peculiari ingenio ad iter gloriæ duci certum eſt, vel renitentibus amicis, qui cautiori aliquando conſilio ipſorum ſaluti prouidere conantur, vt videmus Parmenionem nihil profeciſſe, cùm oblatas à Dario pacis conditiones recipere ſuaderet, nec Cyneam, qui Pyrrhum ad quietiorem & tutiorem vitam hortabatur.

Seb. Foxius.

88 Cùm admiranda fortitudinis facta Scanderbechi audiret Mahometes Turcarum Imperator, gladium, quo in præ- D lijs vtebatur, videre concupiuit: impetrauitque, vt ſibi Byzantium mitteretur. Cùm verò Turcæ talia, quæ Scanderbechum facientem viderant, eo gladio efficere non poſſent, atque ob id Mahometes ſe deluſum à Scanderbecho, & gladium ipſum, quo vti in prælijs ſolebat non fuiſſe miſſum putaret: Scanderbechus ſibi id renunciantibus reſpondit, Se gladium quidem miſiſſe, quo in periculoſis conflictibus vti ſolebat, ſed non dextram, quæ illum regebat. Lepidè, ac venuſtè irriſit eorum inſaniam, qui hominis fortitudi-

nem in armis, non in virtute corporis & animi sitam putant. A non enim arma Achillis, aut Primiadis acres & inuictos eos reddiderunt, qui post ipsorum fata illa in prælijs gestarunt.

89 Cùm accusassent purpurati quidam apud Sigismundum Imperatorem maledicentiam Germanicæ plebis, quæ de suo principe passim obloqueretur: subridens Imperator inquit: An vobis graue videtur illos malè loqui, cùm malè agamus. Indicauit, in nobis esse situm vt bene vel male audiamus: nam falsus rumor citò obsolescit. Et lepidè aulicorum adulationem retudit, eorumque corruptos mores carpsit, quorum gratia principes apud plebem malè audiunt. B

90 Vgnecio Faghiolanus, Pisis & Luca, vbi imperârat, pulsus, cùm apud Canem Scaligerum exul viueret, & semel in conuiuio Canis de edacibus illato sermone loqueretur, atque Vgnecio se iuniorem quaternos altiles capos, & totidem perdices, assos item hædi clunes, & elixum vitulæ infarctum pectus præter salsamenta recta, in cœna exedere solitum narraret: Petrus Nanus è conuiuio vir salsus: Non est (inquit) Vgnecio cur hæc à te iuuene comesta multùm admiremur, postquã senex, nec planè dentibus instructus, duas vrbes integras vno prandio absumpseris. Erat enim fama, Vgnecionem, si ab inchoato prandio temperasset, satis in tempore ad sedanda nascentis tumultus initia Pisas regredi, & vtramque vrbem sibi incolumem seruare potuisse. Meritò irridentur, qui de re ingloria gloriantur, & intempestiuè dicacitatis laudem captant, quorum errata in recenti memoria sunt. C

Aen. Syl. Naucler.

Iou. elog. 1.

91 Cùm Francorum regnum dissidijs inter Burgũdiæ & Aureliarum duces excitatis grauiter diuexaretur, omnibus in alterutram factionem abeuntib. prætor Parisiensis aliquot ciuitatis decurionibus secum assumptis ad Bituricensem ducem regis patruum, Lutetiæ tunc commorantem, accessit, & graui composita oratione admonuit, principes illos prius reconciliandos, quàm aliquid tentandum, quod in rem totius regni verti posset. Petebat enim Bituricensis regis nomine subsidium pecuniarium. Respondit Dux: Intenti estote in rectè gubernanda vestra ciuitate, & de Principum rixis & dissidijs ne sitis admodum solliciti: quandoquidem nos Principes pro leuissimis causis, cùm lubet, irascimur: deinde cùm volumus redimus in gratiam. Ita vsu venit, vt in defendenda Principum D

A pum inter se rixantium causa, quisque se immiscere velit, & maximo beneficio se affectum putat, si factionis vnius propugnator existat: vel non intellecta causæ æquitate, pro qua res suas & vitam in discrimen sæpius adducit: & quod suo periculo & graui damno defensum est, eo inconsulto & irremunerato transigitur. Ita inconsultæ temeritatis videtur, cum priuati ambitiosius & curiosius principū negotijs se immiscent.

92 Theodorus Gaza, quum nobilissimas lucubrationes in membranis accuratè descriptas Xysto Pontifici detulisset, nec pecunia vel ipsius librarij premio digna redderetur, indignatus B subagreste iudicium: Effugere hinc libet, inquit, postquam optimæ segetes in olfactu præpinguibus asinis sordescunt. Indignum Gaza honore æstimauit, qui suam dignitatem illustrare conantes negligit, nec principis officio satisfacere, qui literarum studia fouere non curat: nec rectè suæ famæ consulere princeps videtur, qui literatos, & doctos abominatur. Est enim, vt Politianus inquit, bonorum principum cum viris doctis & eruditis tanta quædam ac naturalis societas, vt alteri ab alteris illustrētur, ac dum sibi mutuò suffragantur, & gloria principibus, & doctis literatisqúe authoritas conciliatur.

Iou. elog. doct.

C 93 Cum ad famam primi Balduini defuncti, Eustathius eius frater, Comes Bononiensis, vt in regnum Hierosolymorum fratri succederet, iter ingressus Brundusium iam peruenisset, inde in Orientem soluturus: vbi Rhemensem, virum fortissimum, in defuncti propinqui locum suffectum accepit: authoribus amicis, vt ire pergeret (illum enim neque viribus, neque causa parem futurum) Deus, inquit, meliorem mortem mihi det, quàm, vt regnum cruore meorum Christo redditum, per me domesticis bellis, antequàm coalescat euertatur. Cùm regna populorum administrationes sint, in ijs pu- D blica salus in primis spectanda. præterea cum reip. gubernatio molestiarum & laborum plena sit, non ex ambitu nec per vim adeunda: ita tutior & securior erit. Qui aliter faciunt, pericula & labores auxiè quærunt.

Aemyl. lib. 5.

94 Cum Angli ad Forminianum, vicum Normanniæ, prælio victi, de retinenda Normannia desperantes, agminatim Cæsaroburgum se reciperent, vt inde in Angliam traijcerent, plebs ad illos videndos passim effusa, quòd de ipsorum discessu maximè lætaretur, insultando petebat, quando essent

reuersuri? quidam inter eos respondit, Quando peccata vestra grauiora nostris erunt. Rectè ille: nam bella propter peccata populorum immittuntur à Deo, & ab illo victoria datur, & nulla est tam bellicosa natio, quæ imperij limites proferre, & de hostibus triumphare aduersante numine possit.

Annales Franciæ. Chron. Norm.

95 Laurentius Medices dicere solitus erat, nullum ex toto humanæ vitæ negotio opulentius, atque præstantius patrimonium liberis relinqui, quàm virtutis & gloriæ. Harum alterum diligenti educatione, liberaliquê disciplina, & domesticis maximè exemplis facilè comparari: alterum veluti ab his certissimis seminibus procreatum, enasci sua sponte, & coalescere in immensum. Qui honestæ educationis liberorum curam habent, magis in futurum prouidere videntur, quàm qui ingentes opes cumulant. hæ enim facilè dilabuntur, & in rebus aduersis plerumque officiunt: illa diuturnum habet vsum, & in vtraque fortuna possessorem non deserit: & cùm acquirendis, conseruandisque opibus maximè inseruiat, earum desiderium & defectum forti animo ferre docet, & virtutis possessionem chariorem habet, quæ gloriam, & laudem parit. Domestica verò exempla ad virtutem comparandam plurimum valere, his potissimum rationibus intelligitur: quòd generosæ indolis adolescentes maiorum gloriæ se hæredes esse sciant, quam negligere & abs se abiicere perinde est, ac amplissimam hæreditatem non velle adire. Est etiam illis acrius, quàm alijs, ad virtutem incitamentum: quia cùm ex obscuris parentibus ortis vitio non detur, si ad præclarum decus non adspirant; qui in illustri familia nati sunt, sibi infamiæ notam inurunt, si à laudatis parentibus degeneres fuerint.

Iou. in vit. Leonis.

96 Cùm Consaluus cognomento Magnus, Cordubæ, parto insigni virtute Neapolitano regno, ad quæstorum mensam tanquam ad tribunal vocaretur, vt sumptuum bellicorum & vectigalium rationes in aduersarijs codicibus ærarij & fisci annotatas agnosceret, quoniam expensi acceptiquê summæ inter se comparatæ magno excessu dispares supputationi minimè congruissent: tam seuerè quàm lepidè respondit, se priuatas tabulas publicis fideliores continuò prolaturum, quibus multò plus impendisse quàm accepisse præclarè ostenderet. Protulit autem sequenti die libellum, grauissimo titulo: Ante omnia Deo maximo, diuis, deabusquê omnibus ad pa-

A randam victoriam propitiandis erogata, scilicet in egentes, cucullatos, piósque sacerdotes & sacratas virgines, qui perpetuis supplicationibus vacarent, aureorum nummûm ducenta millia supra septingentos & triginta sex, & regales argenteos nouem expensa ad iudicis caput apposuit. Secundo autem loco subiecit sexcenta millia supra quadringentos & nonaginta quatuor, secreta manu speculatoribus data, quorum beneficio exploratis hostium consilijs multas victorias, & denique liberam tanti regni possessionem esset consecutus. Consaluus, vt magnanimum & prudentem virum decuit, obtrecta- B torum & inuidorum insidias securè contempsit, & facetè elusit, & Regis Domini ingratum animum ac illiberalem argutè taxauit. Nam cùm Rex peculiari Consalui opera vicinis & hostibus formidandus euasisset, eum potius calumnijs onerari, quàm pro meritis honorari passus est. Ostendit etiam, sorices aulicos, ex aliorum laboribus commoda captantes, & insignium virorum gloriam obscurantes, principum famæ multùm obesse.

Iou. in vit. Consf. lib. 3.

97 Leo X. Pont. in minore fama, ioci causa, vt conuiuium exhilararet, Marianum cucullatum, salsum & ridiculum ho- C minem, memorabili impostura decepit. namque funem instar lampetræ incoctum, multoquè ac exquisito iurulento immersum grandi in patina apposuit, vt notam omnibus edacitatem gulamquè eluderet: qui iam magna pultarij parte absumpta, pseudolampetram aggressus, diu multumquè cum ea maxillis, ac dentibus inhærente colluctatus, cachinnum cunctis tollentibus, facetissimè respondit: Vtinam sic mihi illudatis, nam in hoc condimento non modò funes, sed & ipsas cathenas, quibus insani vobis similes vinciuntur, & cum voluptate quidem absumerem. Magnates ad fallendum tem- D pus moriones apud se retinere solent, à quibus persæpè audiunt, quæ à prudentibus & sanæ mentis hominibus audire non sustinerent. Ita qui sapientum monita oderunt, à stultis veritatem audire coguntur.

Iou. in vit. Leonis.

98 Solymannus Turcarum Imperator, cùm Ioannem Sepusium Budæ regem constitutum, beneficiariumquè & amicum ex diplomate & solemnibus codicillis appellatum, hortaretur ac rogaret, vt Paulo Strigoniensi, & Petro Pereno clementer parceret, & in pristinum gratiæ locum recipere vellet; ad id clementiæ munus quum durio-

rem se ostenderet Ioannes, atque prædiceret, eos propter ingenij leuitatem præclara malignitate cumulatam nequaquam in fide permansuros, rursusque qua deficerent occasionem priore turpiorem inuenturos: An tibi (inquit) in hac vita melius atque honestius quicquam euenire posse putas, quàm si ex tua clementia, qui tui sunt hostes, ingrati apud mortales euadunt? Vt ingratitudo maximum vitium est, & maximè detestandum: ita lenitas in magnis præcipuè viris summopere laudanda, quibus in vindicta sumenda satis esse debet, si acceptas iniurias vindicare posse ostenderint: nec alicui vitio dari potest, quòd inimicis pluries pepercerit. nam vt offendentium culpa eò maior conspicitur, quò sepius iteratur, ita clementia frequentiori vsu celebrior redditur.

Iou. hist. lib. 28.

99 Ferdinandus Sotus Hispanus, cùm in florida aurum quęrens, & non inueniens, ira & dolore accensus multa crudelitatis facinora æderet, vnus ex principibus eius prouinciæ ad eum venit, munera, psittacos duos, & cristas pennatas afferens, qui sciscitatus ex eo, Quis esset, vnde domo, quidúe quærens venisset in eas terras, tot ac tam nefanda facinora perpetrans: Sotus per interpretem respondet, se Christianum esse, filium Dei, Creatoris Cœli & Terræ: venisse eò vt diuinæ ipsius legis notitia eas gentes imbueret. Ad hæc regulus: Si Deus tuus (inquit) iubet, vt alienas terras latrocinando, vrendo, trucidando, nec vllum sceleris genus prætermittendo nostras terras perambules: tibi maturè denunciamus, fieri non posse, vt illi vel ipsius legi credamus. Armis fidem persuadere, & latrocinijs, & cædibus alijsque belli cladibus Euangelij doctrinam promulgare, vt à Christi instituto alienum est: ita talia conantiū irritos labores conspicimus. Christiani .n. est de omnibus hominibus benè mereri, iniuriam propter Deū tolerare, nō inferre, damna sustinere nō dare: & pudorē nobis iniicere debet, hominē naturali tātū luce instructū, Christianū docuisse.

Benzo. lib. 2.

100 Carolus V. Imperator, rari artificij horologium habebat, quod in frequenti turba aulicorum à quodam surreptum fuit: verùm horologium ipsum suo tinnitu furem prodidit. Is cùm ad Cæsaris pedes metu exanimatus procidisset, incolumem dimisit, hoc monens, in posterum cogitaret timorem spe longe vehementiorem affectum esse. Ostendit Imperator, animum ignominiæ metu gra- [illegible] cuius

A uíus torqueri, quàm ſpe lucri alicuius recreari poſsit: proinde vtilitatem nunquam ex turpi cauſa quærendam, vt fama integra & illibata ſeruetur.

QVINQVAGENARIA PRIMA.

DE REGIONIBVS ORBIS.

B *CVM præclara quæque diligenti conſideratione digna cenſeantur, naturalia maximè. In ijs enim & dignitas opificis, ac pulchritudo, & perfectio operis cum vtilitate coniuncta, in admirationem & amorem nos rapiunt. Cùm verò tellus omnis aliquid ſingulare producat, multas regiones animo perluſtrare, & quæ illis natura priuilegio quodam largita eſt, diligenter contemplari, ingenti fructu non caret: nam ſi parum, aut nihil proderunt, quia longinqua: non mediocriter oblectabunt, quia naturalia.*

C

EVROPA propter ſummam temperiem paſsim habitabilis & pulcherrima, tametſi cæterarum pars ſit minima. Ab Oriente Helleſponto, à meridie Interno mari, ab occidente Oceano, à ſeptentrione Scythico clauditur. Pars Orbis altera longè maior, Africa eſt, Nilum habet ab Oriente, atque mare rubrum; à meridie Æthiopicum, ab occaſu Atlanticum, à ſeptentrione Lybicum. Aſia, tertia Orbis terrarum pars, priores duas, mari intermedio accedente, ſua magnitudine facilè vincit: quæ Eoo mari ab ortu, Indico à meridie, rubro mari ab occaſu, Scythico ab occidente cingitur.

Orbis regiones. *Strabo. Volater.*

D

2 Inſignior Europæ fluuius Danubius ſexaginta nauigalibus fluuijs auctus, ſeptem magnis oſtijs in Ponticum mare ſupra Conſtantinopolim ſe exonerat. In Alemannicis campis exoriens, per mille & ducenta paſſuum millia iter facit. Volga fluuius, Rha antiquitùs appellatus, curſus rapiditate & multitudine aquarum poſt Danubium ampliſsimus, diductus in ſeptem cornua, in mare Caſpium turbidus & leuis ir-

Europa. *Munſter.*

Iou. elog. 2.

rumpit Diuidua, fluuiorum totius Septentrionis longè amplißimus, ſtatis & Niloticis ſimilibus incrementis, nec incertis anni temporibus circumiectos inundat campos, pinguique alluuie algentis cœli iniurijs, ſæuiſque Aquilonis flatibus mirificè reſiſtit, quum niuibus, imbribúsque auctus inflatur. Adeò lato alueo in Oceanum per incognitas gentes in ſpeciem ingentis pelagi defertur, vt expedita vnius diei remigatione tranſiri nequeat. Vbi verò aquæ mox reſederunt, vaſtæ paßim inſulæ fertilitate nobiles relinquuntur. Frumentum namque terræ traditum nullo aratri beneficio prouenit, admirabilique celeritate naturæ feſtinantis, ac nouam ſuperbi amnis iniuriam timentis, oritur ſimul & adoleſcit, atque in ariſtas educitur.

Iou. in deſcrip. Moſc.

Plinius.

Munſter.

Montes totius Europæ altißimi & maximi, Alpes ſunt, qui in longitudine trium millium ſtadiorum patent.

Africa.

3 Præcipuus Africæ fluuius Nilus, qui in monte inferioris Mauritaniæ naſcitur, non longè ab Oceano, ſtagnante ibi lacu, quem vocant Nilidem: deinde condit ſe itinere aliquot dierum, rurſusquè erumpit alio lacu maiore in Mauritania Cæſarienſi, iterumquè arenis receptus per deſerta viginti dierum ſpacio fertur ad proximos Æthiopas, & denuò proſilit fonte, qui Niger dicitur, inde Africam ab Æthiopia diſterminans: denique multis oſtijs fertur in mare Ægyptium. Abyßini pro conſtanti perſuaſum habent, ex eliquatis niuib. quotannis augeri; & pro ratione frigoris & caloris, prout natura indulſit ac imperauit, in varias exundationes excreſcere. Nullus tamen eius incrementi, quo Ægyptum inundare ſolet, certam cauſam aßignare audet, quòd nondum inter doctos de illius vera cauſa conſtet. Nullus in eum illabitur fluuius, nullas auras expirat. Ab Æthyopiæ montibus vſque ad mare Ægyptium, in quod deuoluitur, duodecim ſtadiorum millia conficit.

Pom. Mel.

Iou. hiſt. 17

Atlas mons totius Africæ altißimus, à mari Atlantico vſque ad fines Ægypti pertingit, continens plus quàm mille & ducenta milliaria. In medio duobus quaſi cornibus ſeptentrionem verſus inſurgens vertex eius adeò celſus, vt cerni nequeat. ferè è medio monte nubes incipiunt, hyeme & æſtate perpetuæ niues ibi viſuntur.

Plinius.

Solinus.

Aſia.

4 Ganges fluuiorum Aſiæ altißimus & latißimus, citeriorem

A rem Indiam ab vlteriore disterminat, & duobus ostijs inter se trecentis passuum millibus distantibus in Indicum Oceanum suas vndas effundit. Quidam incertis fontibus, alij in Scythicis montibus nasci dixerunt. Per scopulosa & abrupta loca deiectus, vbi primùm planities contingit, in quodam lacu hospitatur, vnde lenis fluit. Minima eius latitudo per octo millia passuum, maxima per viginti patet. Altitudo nusquam minor passuum viginti. Reperiuntur in eo anguillæ tricenum pedum longitudine. Triginta amnes in eum influunt. Indus, à quo India nomen accepit, maximus etiam atque amplissimus fluuius est, Gange tamen minor. In iugo montis Caucasi, quod vocatur Paropamissus, oritur. Duo sunt eius ostia, eáque vadosa, quemadmodum & quina Danubij, Deltáque cursu suo efficit, Ægyptio simile. Quà est angustior, ad quadraginta stadia extenditur: quà latior, fermè ad centum. Nouendecim amnes in se recipit. In America fluuius est profunditatis triginta cubitorum, latitudinis viginti octo Leucarum.

Plin. lib. 6
Osor. lib. 1.
Arr. libr. 5.
Angl. dec. 1. lib. 1.

Maximus Asiæ mons Taurus est, qui continenti quodam iugo cohærens, & ab occasu proximè Ægeum mare incipiens, atque ad orientalem Oceanum desinens, Asiam totam in duas partes secat. Multos permagnos montes continet, qui pro varietate gentium, à quibus incoluntur, nomina variant.

Cæl. Cur. Sara. hist. libro 2.

Insulæ.

5 Insulæ fermè omnes humidiores & tepidiores sunt continente. Quatuor totius Orbis maximæ recensentur, Zofula, Meroe, Taprobana, Britannia. Zofula, quæ & sancti Laurentij insula nominatur, patet in longitudinem mille & ducentis milliaribus, in latitudinem verò quadringentis octoginta.

Osor. lib. 3.

6 Meroe maxima omnium Nili insularum, quæ septingentæ numerantur. Forma eius scuto persimilis. Patet longitudine tribus stadiorum millibus, latitudine mille. Montes frequentes habet, & nemora amplissima. Effodiuntur in ea aurũ, argentum, æs, ferrum. ebenum præterea fert, & lapidum multiplex genus. Tres in ea reges distinctis finibus dominantur. Eorum maximus Mahometanus, secundus idolorum cultui deditus, tertius religionis Christianæ cultor.

Diod. lib. 1.
Strab. l. 17.
Iou. hist. 18.

7 Taprobana, quæ & Zamatia dicitur, maxima omnium in India insularum, patet in longitudinem milliaribus nongentis & sexaginta: latitudo non supra ducenta & quadraginta passuum millia dilatatur. Abundat ea insula plurimùm auro,

cuius gratia in eam mercatores vndique commeant. Nulla in A nauigando ſyderum obſeruatio. Ibi ſeptentriones nequaquã aſpiciuntur: homines corporum magnitudine alios antecellunt, cœruleis oculis, atroci viſu, terrifico ſono vocis. Viuunt vltra annos centum. In ea ſunt duæ æſtates.

8 Britannia, quæ prius Albion, ab albis rupibus, quæ ad littora nauigantibus primò apparent. Tellus frugifera, abundãs pecore, auro, argento, ferro, plumbo, pellibus. Gignebat olim margaritas ſubfuſcas & liuentes. Viuaria animalium ibi ſunt ad tria millia, damis & cuniculis maxima ex parte referta, pro B mœnibus palis ligneis circumſepta. Regio omnis diſtincta aruis, nobilitata paſcuis, irrigata fluminibus, non in aſperſos montes attollitur, ſed frequentibus collibus leniter intumeſcit. Toti Britanniæ mira cœli clementia, miráque ſalubritas: nulla vſquam niſi in Vualliæ montibus prææltæ niues, nulla horribilior glacies, nulla denſior pruina conſpicitur. Thameſis nobilis in ea fluuius, ſtatis horis Oceani æſtibus ſuperbus & tumidus, onerarijs nauibus ab oſtio per ſexaginta millia paſſuum, ad vrbem negotiatorum appulſu celeberrimam Londinum, tutò ſemper, & præalto alueo nauigabilis. Ripas C vndique peramœnæ villæ, prędijs atque nemoribus diſtinctæ, paſsim exornant. Nullis imbribus augetur, quum vnis tantũ æſtibus intumeſcat. Olores agminatim (dicuntur ad quatuor millia ibi verſari) læto occurſu, & feſtiuis cantibus ſubeuntes claſſes excipiunt, ac vndique retia ſiluris atque ſalmonibus expanduntur. Ibi non timentur naufragia, quia fluuius mobiles & vagas harenas, vt multi alij Europæ non trahit. Britannia plumbi candidi vbertate & præſtantia nullis cedit terris.

Volate. li. 3. Polydo. li. 1. Iou. in deſcrip. Brit. Agric. de veterib. et nometal. li. 2.

9 Vectis inſula, ad meridionalem ripam Angliæ, populo D frequens, & cuniculis maximè abundans. Vectiani immunes & liberi, hoc vno, vti cæteris beatiores, facetiſsimè gloriantur, quòd cucullatis ſacerdotibus, cauſidicis, lupis ac vulpibus omnino careant.

Iou. in deſcrip. Brit.

10 Hybernia, inter occidentem ſolem & ſeptentrionem, dimidio maior quàm Britannia, cui vel vbertate agri, vel pecoris fœcunditate par eſt: tepore ſoli, cœli clementia, atque aeris ſerenitate nobilior. Quatuor ventorum cardines totidẽ promontorijs aſpicit. Miraculo quodam ſerpentibus caret, neque vllum

A vllum noxium animal, ea terra patitur præter lupum. Cætera vti apud alias gentes cernuntur, præter asinos, quos vel importatos haud dubiè non alit.

Iou. in descrip. Hyb.

11 Thule, insula Oceani, inter septentrionalem & occidentalem plagam, vltra Britanniam & Orchadas: in qua circa extremam æstatem ad quadragesimum plurimùm diem Sol in Occasum non vergit. Circa etiam hyemem extremam per dies etiam quadraginta Sol non apparet. In ea Ichthyophagi, omnium rerum, & brumali præsertim tempore, cœlestis lucis inopes degunt. Nunc Islandia vocatur. nonnulli multò maiorem Britannia asserunt.

Solinus. Procop. de reb. gest. Goth.

B

12 Hebraides insulæ inter Scotiam ac Hyberniam, extrorsus in Septentrionem per Oceanum sparguntur, numero quadraginta tres: quarum maxima Leuissa. quædam, vt Hyla, Cunibra, & Mula metalliferæ sunt, sed exercendis fornacibus lignorum inopia damnatæ. Extrema vocatur Hirtha, ab hircis ingentibus quibus abundat, vti ferunt, appellata. Ij enim proceritate eximia asinos antecedunt. Reliquæ prorsus ignobiles, quòd aliæ cœli & terræ malignitate sint incultæ, aut asperæ saxis: aliæ arbustis & virenti cespite nudæ: nonnullæ etiam, vti perpetuis cinctæ cautibus, penitùs inaccessæ, atque ita formidabiles, vt à piscatoribus tantùm adeantur.

Iou. in descrip. Orc.

C

13 Orchades ab oriente sole in Noruegiam obuertuntur, numero ad triginta. Pomonia cæteris omnibus maior atque fertilior, segete omni, præsertimqúe hordeo, plurimùm abundat: triticum tamen ad generosam frugem non prouehit, quum nec maiores & fructiferas arbores ferat. Sed in ea sunt frequētia maioris, minorisque pecoris armenta, leporúmque & cuniculorum admirabilis multitudo. Olores, gruésque visuntur innumeri. Subest & opima piscatio, ita vt hac insigni tantarū rerum copia desideratæ frugis incommoda facilè sarciantur. Cæteræ insulæ sunt in ditione Pomoniensis antistitis, sed Scotiæ regum imperijs reguntur. Quæ ad Noruegiam propiùs accedunt, vitæ duritie & moribus multò agrestiores existimantur.

Iou. in descrip. Orc.

D

14 Scethlandiæ insulæ vltra Orchadas sitæ sunt. Earum incolæ seminudi atque inopes, ouis auium, & solis propè piscibus sese alunt. Iustitia & pace gaudent: & quum diuitiarum atque luxuriæ nomina nunquā audierint, in summáque ege-

ſtate, & in perpetuis brumæ tenebris viuant ferè omnes, incredibili naturæ felicitate ad ſummam ſenectutem perueniunt. Vltra Scethlandias ad dextram aliæ quoque paruæ, & ob id innumerabiles inſulæ immanium ſcopulorum effigie toto eo Oceano ſe diffundunt, quo horrentia gelu & tenebris Noruegiæ littora quatiuntur. A

Iou. in deſcrip. Orc.

15 In Arctoa parte inſulæ Scandiæ, in media æſtate, quadraginta diebus & noctibus lucem continuam habent. itemqúe brumali tempore, eodem dierum noctiumqúe numero, alternante mœrore cum gaudio, lucem non habent. In Carelia, ipſius inſulæ regione, antrum eſt, quod Viburgenſe vocatur, in quod ſi animal deijcitur, erumpit ſonus intolerabilis magno cum flatu. B

Abb. Vrſp. Agric. de ijs quæ efflu. è ter. lib. 4.

16 Iuxta Germaniam & Scythiam, non longè ab oſtio Viſtulæ fluminis, ſunt inſulæ, ad quas ſi congelato mari ob nimium frigus lupi tranſierint, luminibus dicuntur priuari: nō ſolum hominibus inhoſpitales, ſed & beſtijs.

Abb. Vrſp.

17 Non longè à Cazanenſibus Tartaris, in quadam inſula ſemen quoddam inuenitur, non abſimile melonum ſemini, paulò tamen maius & rotundius. Ex eo in terram condito quiddam agno ſimillimum enaſcitur, quinque palmarum altitudine. Nam & caput, & oculos, aures, cæteraqúe omnia in formam agni recens editi, pellemqúe ſubtiliſsimā habet. Materia, quæ intus reconditur, eſui apta, cancrorum carni perſimilis. vngulas, non vt agni, corneas, ſed pilis quibuſdā ad cornu ſimilitudinem veſtitas. Mira eius ſuauitas, quę lupos, & cætera rapacia animantia ad eam deuorandam inuitat. C

Surius in comm.

18 Sub Thracio Boſphoro Cyaneæ inſulæ ſunt, quæ ſpeciem habent inter ſe concurſitantium, quæ naues, ſi accedant, fluctibus immergunt, ob aduerſos in ſe ventos, qui ibi tanquā turbines flare ſolent. A complodendo Symplegades etiam ſunt appellatæ. Et aliquando inter ſe pugnantium more concurrerunt. D

Agric. de ijs quæ efflu. è ter. lib. 4.

19 In littore maris Oceani prope prouinciam Mangi, ſunt inſulæ 7448. in quibus omnibus ſunt arbores odoriferæ, atque virgulta ſpirantia odorem.

M. P. Ven. lib. 3.

20 In partibus Indiæ ſunt duodecim millia inſularum, & eo amplius, vt quidam nautæ referunt; ſeptingentæ, quæ partim habitantur, partim non.

M. P. Ven. lib. 3.

21 Mo-

A 21 Moluccæ insulæ sub æquinoctiali linea sitæ, aromatum preciosorum fertilitate celebratæ, quinque sunt, Tarante, Mathil, Theodori, Mare, & Mathien. *Maximil. Transsyl.*

22 In archipelago iuxta Calechut innatant insulæ propè decies quater mille. *Cadamist.*

23 In insula Gorgona, quæ est in India septentrionali, octo continuos anni menses, inter tonitruum fragores & coruscationes fulgurum adeò effusi decidunt imbres, vt elementa ipsa inter se certare ac misceri videantur. *Benzo hist. nou. or. li. 3. Iou. hist. 34.*

24 Iuxta oram Maghe regionis Brasiliæ tres insulæ sunt B nullis incolis habitatæ, in quibus tanta est auium copia, vt solum earum ouis coopertum esse videatur. Illæ hominum conspectum nullo modo fugiũt, sed se manibus capi, fustibúsque cædi permittunt. *Lerius in hist. Brasil.*

25 Inter Peruanam regionem & Canarias insulas repertæ amœnissimæ quidem insulæ, sed alioqui desertæ, in quib. arbores, plantæ, aues, pecudes multæ: sed homo nullus, hominum vestigia nulla. *Colum. na. Angl. dec. 1. lib. 2.*

26 Canariæ insulæ sunt septem, Lanzelota, Fortis ventura, Canaria magna, Palmaria, Tenerife, Gomeria, Ferrea. In Te- C nerife mons est in tantam altitudinem æditus, vt quindecim fermè leucas ab imo ad summum verticem contineat, & ab ducentarum quinquaginta Hispanicarum leucarum interuallo eminus conspiciatur. In Ferrea nulla alia potabilis aqua, præterquam ea, quæ ex arbore vnica in supremo insulæ dorso stillat assiduè, & in lacunam manu factam cadit. *Angl. dec. 1 lib. 1. Cadamist. Dinedus. Benzo li. 3.*

27 Atlanticæ insulæ, quæ Beatæ vocantur, duæ sunt, paruo inter se diuisæ mari, decem millibus stadiorum à Libya. Imbres illic rari, & quidem mediocres: venti plurimùm suaues ac roriferi. Solum verò pingue ex se absque vllo humano D labore fructum producit. aer sincerus & temperatus. Qui à terra perflant venti, Boreas & Aquilo, deficiunt, priusquam ad eas insulas peruenerint. Qui à mari perflant, raros, & temperatos imbres ex pelago afferunt. Plurima per humiditatem aeris cum summa facilitate nutriunt, vt etiam apud barbaros increbuerit fides, ibi Elysios campos esse, & beatorum domicilia. *Plinius. Strabo.*

28 Sicilia, Trinacria ex tribus promontorijs dicta, Peloro Italiam, Lilybeo Græciã, & Pachyno Africã respicientibus: Italię

pars quædam fuit, terræ motibus diuiſa. Cauernoſa tota, ſulphurea, ſubterraneiſque meatibus ventis penetrabilis. Ex quo miracula ardentis Ætnæ, Scyllæque & Charybdis, cæteráque monſtra, quæ ob eam cauſam finguntur, quòd nauigantes ad pelagus, propter anguſtias eius, vndarum exſurgentium ſonitus quaſi latratus & voraginem expaueſcunt. Ibi lacus Agrigentinus, qui ſuſtinet ea, quę in aquis natare non ſolent: lignorum enim modo innatant. Cyclopum & Læſtrigonum patria olim fuit.

A

Strabo. Solinus. Agric. de ijs quæ efflu. è ter. lib. 2.

29 Creta habet in longitudinem ducenta ſeptuaginta millia paſſuum, in latitudine quinquaginta millia. Ambitus eius quingentorum octoginta nouem millia paſſuum complectitur. Centum vrbium famâ olim clara fuit. In ea nihil venenatorum animalium viuit, non ſolùm ibi nutritum, ſed nec aliunde aſportatum: ſiquidem ſi eò translatum fuerit, extemplò perit. Noctuarum etiam genus ibi non eſt, quinetiam ſi qua inuecta ſit, emoritur.

B

Plin. lib. 3. Strabo. Volater. Agriç. de ijs quæ efflu.

30 Cyclades inſulæ in Ionio mari, quibus ab ortu Solis Ægeum mare eſt, ab occaſu Myrtilum. Occupant ad ſeptuaginta millia paſſuum. dictæ Cyclades, quòd longo ordine eas circuire neceſſe ſit propter promontoria. Sunt numero quinquaginta tres. Motu terræ enatæ dicuntur. Cùm cæteræ olim mouerentur, Delos ſola ſtabilitate donata eſt. Ex ijs Niſyros tota molari lapide conſtat. in ea mures lethali morſu eſſe dicuntur, tam aſperis & duris dentibus, vt ferrum rodant: arborem ſi attigerint, aridam reddunt. In Scyro fons eſt, cuius aqua vino non miſcetur.

C

Strabo. Volat. li. 9.

31 Pharus, inſula Ægypti, oblonga paruáque, contra Nili oſtia, nunc Continenti coniuncta. In ea turris ingens in petra poſita, quæ mari circumluitur, albo lapide. Octingentis talentis à Ptolomæo Philadelpho rege poſita fuit ob ſalutem nauigantium, quæ nomen ab inſula accepit. Ab hac Pharo turri machinæ in portubus ad prælucendi miniſterium fabricatæ, phari vocatæ ſunt. In inſula Alexander nouam vrbem condere ſtatuerat, ſed cùm magnæ ſedis capax non eſſet, ex illius aduerſo Alexandriam condidit.

D

Strab. li. 17 Solinus.

32 Lesbus inſula in mari Ægeo, Æolicarum vrbium metropolis, & vniuerſæ Troadis imperium obtinuit. Terræ motu ab Ida fuit auulſa. Ambitus eius ſtadiorū centum ſupra mille.

à Bo-

A à Borea in Auſtrum protenſa quingenta & ſexaginta ſtadia longitudinis habens: feraci agro, & multa materia ad naues fabricandas idonea. Dicta Lesbos, ab vrbis nomine, quæ in ea potentiſsima fuit. nunc Mitylene in ea potens, à qua etiam inſula denominationem habet. Ex hac Pittacus vnus ex ſeptem ſapientibus, Alcæus, Sappho, Theophraſtus philoſophus, & alij viri clariſsimi ortum habuere. Maxima inter Aſiaticas inſulas poſt Cyprum.

Strabo. lib. 15.
Agric. de ijs quæ effl. lib. 4.

33 Rhodus inſula omnium, quæ in Ionio & Ægeo mari ſunt, pulcherrima, terræ motu enata. noningentorum ac viginti ſtadiorum ambitu patet: prius Ophiuſa dicta. Olim tribus vrbibus inſignis fuit, Camyro, Lyndo, Ialyſo: nunc verò Rhodo. Ea portubus olim, & vijs, & mœnibus, & reliquis ornamentis tantopere cæteras ſuperauit, vt nulla putaretur æqualis. Legum præſtantia & naualis rei peritia adeò valuit, vt annis multis maris imperio potiretur, & piratarum latrocinia ſuſtulerit. Fuere ibi ſupra ſeptingenta tria millia ſignorum, & Coloſsi centum, inter quos vnus fuit admirandæ magnitudinis, ſeptuaginta nempe cubitorum altus, à quo poſtea à nonnullis Rhodij appellati ſunt Coloſſenſes.

Solinus.
Naucler9.
Zonar. an. 3.
Agric. de ortu ſubter. lib. 3.

C 34 Cyprus inſula inter Ciliciam & Syriam, diues olim, & luxui dedita. Vrbes illius præclaræ, Paphos, Palepaphos, Cythræa, & Salamina: nūc Nicoſia, & Famaguſta. Ambitus inſulæ trium milliū & quadringentorum viginti ſtadiorū. Metallorum & gemmarum prouentu nobilis: laudatiſsima enim & præſtantiſsima habuit æris metalla. Creſcunt ibi varij generis gemmæ, vt adamantes, opali, ſmaragdi, achates, & geodes lapis, qui ibi inuenitur dum torrentes ex magnis & aſsiduis imbribus orti terram eluunt: magnitudo illius, mali Armeniaci, vel Perſici.

Strabo.
Agr. de nat. foſſ. 5. & de nou. & veter metall. lib. 2.

D 35 Moſchouia, campeſtris magna ex parte eſt, & pabuli quidem ferax, ſed æſtate pluribus in locis admodum paluſtris. Nam ea omnis terra magnis frequentibúſque amnibus irrigatur, qui vbi niuibus hybernis multo ſolis vapore colliquatis, & reſoluta vbique glacie contumeſcunt, campi paſsim in paludes abeunt, cunctaqúe itinera continentibus aquis, & cœnoſa illuuie defœdantur, donec nouæ hyemis beneficio reſtagnantia flumina, ipſæqúe paludes iterum cogantur. Terra Moſchouia in vniuerſum neque vitem, neque oleam, neque

paulo suauioris pomi frugiferam arborem, præter cerasum, A producit, quum teneriora quæque gelidissimis Boreæ flatibus exurantur. Campi tamen tritici, siliginis, milij, paniciq́ue, & omnis generis leguminum segetes ferunt. Sed certissima messis in cera, & melle consistit: regio enim tota fœcundissimis apibus plena est, quæ non in manufactis agrestium aluearibus, sed in ipsis arborum cauis probatissima mella conficiunt. Hinc per syluas & opacissimos saltus frequentia ac nobilia apum examina, ramis arborum pendentia, videre est, quę nullo æris crepitu colligere sit necesse. Reperiuntur sæpe fauorum ingentes massæ arboribus conditæ, veteraq́ue mella B deserta ab apibus, quum singulas arbores in vastis nemoribus rari agrestes minimè perscrutentur, ita vt in admirandę crassitudinis arborum stipitibus permagnos mellis lacus aliquando reperiant. Nulla auri argentiúe, vel ignobilioris metalli, ferro excepto, apud eos vena secturaúe reperitur. Tanta in hyeme ibi est frigoris asperitas, vt aqua in aerem effusa prius congeletur, quàm terram contingat, & interdum arborum rami, pecora, & homines frigore pereant. Nonogradia perpetuâ quasi hyeme, & tenebris longissimarū noctium premitur, & solstitij æstiui tempore propter exiguas & propè nullas noctes conti- C nuatis ferè solis ardoribus ęstuare perhibetur: tunc enim post occasum solis vsque ad eius ortum lux Cœli apparet.

Iou. in descript. Mosch. Mechoni de vtraque Sarmatia. Surius in comm.

36 Mare Balthicum ita hyeme gelu induratur, vt exercitus pedestres, & equestres ex continenti in insulas facile traiiciantur. æstus itidem aliquando adeo magnus & asper, vt non solum fructus terræ comburat, sed etiam ædes & pagos.

Cromerus.

37 In extremo oceani littore, vbi Noruegia, atque Suetia amplissima regna adhærēt, Lapones sunt, gens agrestis, suspiciosa, & ad omnis externi hominis vestigium, nauigijq́ue conspectum maximè sagax. ea neque fruges, neque poma, neque D vllam omnino vel terræ, vel cœli benignitatem nouit. Sola sagittandi peritia cibum parat, varijsq́ue ferarum tergoribus vestitur. Gentis cubilia cauernulæ siccatis repletæ folijs, cauiq́ue arborum stipites, quos vel intromissa flamma, vel ipsa vetustas inducta carie fabricauit.

Iou. in descript. Mosch.

38 In citeriori Germania iuxta Danubium vites maxima parte anni sub niuibus humo tectæ, liquatis niuibus æstate anni ingruente & calore cœli mirificè germinant, & frondes emittunt, inter quas nonnullæ clauiculos, & plerumque candicantia folia ex puro auro germinant.

Alex. ab Alex. lib. 4.

A 39 In Carysto Eubœæ oppido lapis olim nascebatur, ex quo telæ igni impenetrabiles conficiebantur. Tēpore Plinij rarus admodum, & magnum naturæ miraculum æstimabatur. nunc in metallis Norici inuenitur, in Belgico ad Namurum, in Scythia, in India, in Ægypto. Amiantus ille lapis nominatus est, quòd ignis adeo non inquinet ipsius splendorem, vt etiam si in eum iniiciatur sordidus: nitidus, & splendescens extrahatur. Lapis ille lauatur, pectitur, netur, texitur, conficiunturque ex eo mappæ, & mantilia.

Plin. lib. 17 Viues. Agric. de nat. foss. 5.

40 In Syria angues circa Euphratis maximè ripas dormien B tes Syros non attingunt, præterea si calcati momorderint, non sentiuntur maleficia: alijs cuiuscumque generis hominibus infesti, quos cum cruciatu necant. quamobrem Syri, quòd illis tanquam præsidio sint, non necant eos. In Latmo autem Cariæ monte à scorpionibus hospites non læduntur, indigenæ interimuntur.

Plin. lib. 8.

41 Ea est terræ natura in Cyzicena regione, vt terra qualibet magnitudine excisa, & demersa in mare lapidea extrahatur. Ab Oropo etiam Aulidem vsque quicquid terræ attingitur, mari mutatur in saxa.

Pli. lib. 35.

C 42 In Scythia, vbi minium effoditur, visuntur rubeæ niues.

Alex. ab Alex. lib. 4

43 Portę Caspię, siue Caucasię, ita dictę, quòd præruptis quaqua versus montibus vnum tantum, & eum angustum exitum præbeant, ad quas ex Iberia peruenitur. Adeò autem angustus transitus est, vt vix singula meent plaustra. Longitudine octo milliū passuū toto opere manu facto. Dextra, lęuáque ambustis similes impendent scopuli, sitiente tractu per triginta octo passuū millia. Angustias impedit corriuatus salis liquor è cautib. præterea serpentiū multitudo nisi hyeme transitū non sinit.

Plin. lib. 6.

44 Mysia siue Mœonia regio in Asia longa stadiorum quin- D gentorum, lata quinquaginta, quæ tota nullam habet arborem præter vitem, exustum vinum ferentem, ita elegans, & suaue, vt nulli quantumuis celebri & laudato cedat. Summa camporum cutis cineribus plena est, montana, petrosa, & nigra, vt quæ adusta sit.

Agric. de ijs quæ efflu. è terr. lib. 4.

45 India reliquæ Asiæ æqualis esse censetur. longitudo eius supra viginti millia stadiorum continet, latitudo sedecim millium stadiorum est. In India nubes non excedunt montium cacumina. In Silia Indiæ regione aeres adeò tenues sunt,

vt nul-

vt nulla in eis volatilia vehi possint. Iuxta flumen Indum A duo sunt montes, alteri natura est vt teneat omne ferrum, alteri vt respuat: ita vt in calceamentis si claui ferrei fuerint, vestigia in vno auelli non possunt, in altero sisti non possunt.

Attria. lib. 6. & 8. Strabo. lib. 15. Plinius

46 Ægyptus ab oriente rubro mari, Assyriæque coniungitur, ab occasu Cyrenem habet, à meridie vsque in Æthiopiam protenditur, à septentrione habet mare Ægyptium. longitudo extenditur per quindecim diætas, latitudo per tres. Tot in ea fuere præfecturæ quot aulas labyrinthus habebat. Præfecturæ in toparchias diuidebantur, toparchiæ in alias diuisiones: minimæ portiones arua erant. Mures ibi segetes ita vastare dicuntur B vt votis & litationibus tanquam diuinitus inflicto malo resistatur. Apud Ægyptios gallinæ sua oua non incubant, sed ea in clibanis tepore sensim adhibito ita fouentur, vt mirabili arte compendióque pulli intra paucos dies progignantur, simul & educentur.

Strabo lib. 17. Volater. lib. 25. Iou. hist. 18.

47 Æthiopia supra dimidiam totius Africæ partem continet. Regio partim fertilis, & multis frugibus, & armentis abundat, ac quàm plurimis fluminibus alluitur: partim deserta, & inculta, & rerum omnium asperitate vastata. Reperiuntur ibi multæ auri & argenti venæ. In ea parte, quæ est vltra C promontorium Bonæ spei, quæ Benomotapa nominatur, ibi aurum è fluuijs & lacubus eruitur.

Osor. lib. 4.

48 Apud Asanegos gentem Africæ non pluit nisi tribus mensibus, Augusto, Septembri, & Octobri. pessimè olere apud eos virtus & honos ducitur.

Cadamistus.

49 In ora maritima Guaiaquil in India occidentali à Tumbes austrum versus adeo rari sunt imbres, vt vix triennij quadriennijue spacio paucæ pluuiæ guttæ cœlo decidant, sed nocturni rores copiosè cadunt. In montibus contrà octo anni mensibus pluit. Nõnulli etiam obsiti niuibus, & perpetuo ri- D gentes gelu conspiciuntur.

Benzo. Hist. nou. orb. lib. 3.

50 In Perurana prouincia inter Guaiaquil, & Quinton mons est Chimbou vocatus, in altitudinem quadraginta millium passuum assurgens, omni prorsus humano cultu vacuus.

Idem ibidē.

QVA-

A

QVINQVAGENARIA SECVNDA, DE ANIMALIBVS.

Quibuslibet terræ nascentibus quædam illustria vestigia conspiciuntur, per quæ manu ducimur ad factoris venerationem, sed animalibus maximè. Nam quia motum, & vitam habent & ratione prorsus non carent, proximè ad naturam hominis accedere videntur, & cum eo non difficulter se consociant. Sed in ijs præcipuè vnum est, quo hominem vincunt ac superant, quod à natura sua non degenerent, & cum hominum ope facilè carere possint, ijs multas vtilitates commonstrent, vti rectè est à Plutarcho annotatum: Natura (inquit) retinet, & conseruat melius in beluis, quod illis proprium, simplex, & integrum sine corruptione, aut alteratione vlla est: quæ res miseranda, quòd cogamur à bestijs de maximis, & valde necessarijs rebus exemplum capere.

B

C

1 Phœnix magnitudine aquilæ dicitur esse, auri fulgore circa collum, cætera purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem, caputque plumeo apice honestum habet. Cæteræ aues ei tanquam regi suo deferunt honorem. Viuit sexcentis sexaginta annis. Senescens, casia, thurisque surculis construit nidum ac odoribus replet, ac super emoritur, ex cinere nascitur ceu vermiculus, vnde fit pullus. Viuit in Arabia, quamuis Tyberij tempore in Ægypto sit visus.

Plin. lib. 10.
Lact. in phœnic.
Zonar. To. 2.

D

2 Gryphs quadrupes, aligerum, viribus potens, recuruis vnguibus, dorso nigrum, priori parte purpureum, alis albicantibus, ore aquilino, igneis oculis: nidificat in altis montibus, ac cuiuis animalium in pugna congreditur, præterquam Leoni & Elephanto. fodit aurum apud Bactrios populos Indis vicinos, in desertis locis, propeque accedentes arcet, ex eoque

Vadian. in Melam.

nidos nectit, ad quod surripiendum sæpe venit mille, aut duûm millium hominum exercitus magno cum periculo, tum etiam quæstu. Tertio aut quarto redeunt anno.

Plin. lib. 10. & 33. Volaterr. lib. 25.

3 Porphyrio, auis domestica, quæ sola morsu bibit, cuius crura prælonga rubent, & rostrũ. Cum alitib. quibuscunque viuit, maximè cum gallinaceis. si fortè socio sit orbatus, non prius cibum sumere solet, quàm locum aliquẽ sibi idoneũ deambulans inuenerit, in quo se puluere abluens, postea cibum sumit. Mulieres, quæ sub viri imperio sunt, diligenter obseruat eiusmodi. Habet sensum adulterium admittentis. Vbi hoc cognouit, domino significat, sibi vitam suffocatione finiens. In Lybia inuenitur & India.

Plin. lib. 10. Athen. lib. 9. Volaterr. lib. 25.

4 Nesar, maxima Africæ volucrum, corpore gruem excedit: rostro tamen cruribusquè breuior. Volando adeo in sublime fertur, vt à nullo conspici queat. Longissimam ducit vitam, & propter senium implumis redditur. quare pennis decidentibus ad nidum redit, & à iunioribus alitur.

Leo Afer in descript. Afric. lib. 9.

5 Cataractæ, siue Diomedeæ aues, dentes habent & oculos igneo colore, cæterum corpus candidum. Agminatim volant, duasque semper habent duces, quarum altera ducit agmen, altera cogit. Visuntur tantum in insula Diomedis tumulo nobili, atque delubro, iuxta Apuliæ oram, non longè à Gargano.

Plin. lib. 10. Viues.

6 Ibis, nigra auis, cruribus gruinis, rostro maximè adunco, corneo, & procero. Cum serpentibus pugnat, eosquè interimit, maximéque Ægypto inseruit, cùm volucres angues ex vastitate Libyę vẽto Africo inuectas interficit atque cõsumit, ob id Ægyptijs maximè chara, quã inuocãt cõtra illorũ aduentũ.

Herod. lib. 2. Cic. de nat. lib. 2. Plin. lib. 10

7 Rhyntaces, parua auis in Perside, cui vacuum nihil est, sed tota intus sumine atque adipe plena, vento atque rore nutriri putatur.

Plut. in Artox.

8 Apud Caspium montem auis est magnitudine galli gallinacei, alis versicoloribus, catuli voce perstrepens, quæ resupinata volat, paulùm supra terram se attollens.

Volater. 25

9 Otus, magnitudine est galli magni, coloremquè habet coturnicis, caput oblongum, rostrum acutum, collum tenue, magnos oculos, linguamquè osseam. Ruminare dicitur, equoquè gaudere. Quare si quis equi pellem sibi circùm imponat, quotquot voluerit accipiet. In finitima Libyæ regione visitur. Quicquid hominem facere videt, id conatur imitari:

A imitari: ideo venatores è regione ſtantes, conſpiciente illo, oculos pharmaco inungunt, aliaqúe pharmaca tenacia & glutinoſa parant, quæ non longè ab ipſo in exiguis vaſculis deponunt. Cùm aſpexerit Otus hos ſe vngentes, pharmacum ex vaſculis & ipſe capit, oculos eo inungens, quare cito capitur. Aliquando etiam cum ſaltantibus venatoribus & ipſe tripudians comprehenditur. Ex hoc effectum eſt, vt qui facilè decipiuntur, Comici Otos vocauerint.

Ariſtot. de Hiſt. anim. Athen. lib. 9.

10 Iuxta promontorium ſancti Blaſij in quadam inſula viſæ ſunt aues pares anſeribus magnitudine, quæ plumis minime veſtiuntur. Alas habent ſimiles alis veſpertilionum. Volare non poſſunt, ſed explicatis alarum membranis curſum celeritate ſumma conficiunt. Sotilicarios incolæ vocant.

B *Oſor. lib. 1.*

11 Alcyone non multò amplior paſſere, colore cùm cœruleo, tum viridi, tum etiam leuiter purpureo, variè toto corpore refulgens. roſtro longo & tenui. Viuit piſcibus. Parit oua quinque, in cuius partu, qui circa Tropicum hyemalem eſſe ſolet, dies ſereni quatuordecim, nauigantibus auſpicatiſsimi, Alcyonij dies vocati.

Ariſt. Hiſt. anim.

12 Eſt quædam auis iuxta Moluccas, magnitudine gallinæ, quæ nunquam viſitur niſi mortua: & quia pedibus caret, exiſtimatur in ſuprema aeris regione viuere. ideo auis Dei vocatur, velut in cœleſtibus manſionibus habitans.

C *Maximil. Tranſſylu.*

13 Meleagris auis, magnitudine gallinæ, habens caput exiguum pro corporis ratione, illúdque glabrum, criſtam carnoſam in capite, & aſperam, quæ rotundum quippiam, velut paxillum prominentem habet. Longam carnem apud maxillas pro barba, quæ incipit à corpore, eámque gallinis magis rubicundam. Roſtrum item habet maius, quàm gallina, & acutius. Collum eſt nigrum, craſsius etiam, ac breuius gallinis. Corpus totum variegatum. Atque cum totus color ſit niger, maculæ ſunt albæ, quibus frequentibus diſtinguitur. Color alarum albus, & ſerratis quibuſdam figuris inſignitur. Lamentabilem vocem ædit. In pullorum amorem nullo modo propenſa: Iuniores enim non alit, ſed prorſus negligit.

D *Plin. lib. 10. Athen. lib. 14.*

14 Aratus, auis pulcherrima, habet plumas alarum & caudæ, quæ bicubitalis longitudinis eſt, bicolores. Media enim pars ſecundum longitudinẽ intercedente cauliculo rubra eſt,

Lerius in Hist. Brasiliensi.

altera cærulea, reliquum corpus cæruleum est. dum in sole est, recipientibus insignem splendorem plumis, spectantes in summa admiratione & oblectatione detinet. A

Idem ibidē.

15 Guanambuchus auis in Brasilia plumis albicantibus & lucentibus, corpore non maiore quàm crabro, aut ceruus volans: adeò canoram, & claram vocem habet, vt cum luscinia certare possit.

Plin. lib. 10. Varo de re. Rust. 3. Lerius. in Hist. brasili.

16. Psittacus auis ex India, quæ vocem humanam peritissimè imitatur: discit statim pullus vsque ad duos ætatis suæ annos, senex autem, captus & indocilis est, & obliuiosus. ad discendum humanum sermonem facilior est, cuius in pedibus quinque digituli numerantur, non .n. omnibus id insigne est, sed illud omnibus proprium, quod eis lingua latior, quam cæteris auibus. Sublime, & gregatim volant, ita tamen, vt binæ semper iunctæ sint. sic communem societatem, & coniugium seruare, in eoque sibi placere videntur, non minus quàm turtures apud nos. B

Ael. lib. 10. Pli. lib. 10.

17 Luscinia sola auium somni expers est, seduloque in vigilijs indefessa versatur: vere sylua frondescente, dies continuos quindecim insomnis durat perpetuo cantu, æstate vox minus modulata. C

Pli. lib. 10. Ael. lib. 10. Theophra. Volater.

18 Perdix annos quindecim viuit, fœmina etiam plures, parit oua quindecim. Ouis incubat, ac nutrit pullos sicut gallina. Oua mares deperdunt, ne cura incubatus venerem impediat. ideò fœmina sese subducens, & clanculum diffugiens parit humi. Nidulantur mares & fœminæ intra terram, singuli domicilium eligentes. Si contrà mares steterint fœminæ, aura ab his flante prægnantes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntque superuolantium afflatu, sæpè voce tantum audita mariti: Auis plena fraudis & fallaciæ est, quæ decipiendi venatores vias callet, atque artes nouit, vt eos à pullis auertat suis. D Si insistere aduerterit, tandiu illudit, quamdiu soboli fugiendi signum tribuat, & potestatem, quàm vbi euasisse senserit, tunc se & ipsa subtrahit. Perdicum pulli, simul ac pedes exeruerunt de integumento, velocissimi sunt ad currendum: In Paphlagonia bina corda habere dicuntur.

19 Pano annos viginti quinque viuit. Colores in trimatu incipit.

A cipit fundere. Non gloriosum tantùm animal, sed inuidum & maleuolum. Fimum suum resorbet, inuidens hominum vtilitati. A trimatu parit, primo anno vnum aut alterum ouum, sequenti quaterna quináue, cæteris duodena, nõ amplius. Mares ea frangunt desiderio incubantium: quapropter noctu & in latebris pariunt, aut in excelso cubantes. Mares singuli quinis sufficiunt coniugibus, cùm singulæ aut binæ fuêre. Corrumpitur salacitate fœcunditas. Partus excluditur diebus ter nouenis. Caro pauonis mortui etiamsi post annum seruetur, non corrumpitur. Id se expertum fuisse apud Carthaginem B dicit Augustinus.

Plin. li. 10.
Aug. de ciuit. 21.

20 Aquilarum cùm sex genera numerentur, illud magis generosum, quod pullos suos probat ad Solem, cuius radios si minimè sustineant, vt degeneres abijcit. Pugnat Aquila cum magnis animalibus, etiam cum Ceruo, eius cornibus insidens, puluerulentas alas excutit, vt sic ille impeditus, cursuqúe incitatus, in præceps ruina feratur, mortuusqúe præda fiat. Cùm senuerit, grauantur pennæ & oculi, quærit fontem, in eumqúe se ter immergit, & sic oculi eius sanantur. Ex aquilinis pullis alter à patre degenerat, & fit ex Aquila Halyetus. ex hoc non C Halyeti gignuntur, sed Phænæ: ex Phænis Milui: nec Milui aues sui generis procreant, sed diuersi. Atque hîc demum sistitur degenerandi modus. hæ enim aues steriles & absque vlla prole consenescunt & intereunt.

Arist. de histor. anim.
Plin. li. 10.

21 Elephanti inest docile ingenium, humanísque sensibus propinquum, vt patrij sermonis intellectum habeat, officiorumqúe memoriam retineat, fideli obsequio declarans. Vsque adeò ab homine domari se patitur, vt aratrum trahere, & necessaria quæque ex rure domum vehere non recuset. Cùm omnes feræ ignem fugiant, Elephas ei resistit, animo percipiens D illum syluas deuastare, in quibus quietem carpere solet. Naturale odium illi est cum Rhinocerote, quem maximè timet. Cùm in certamen cõtra eum descendit, si, antequam cornu impetatur, proboscidem in collum inijcere potest, superior euadit: ocyssimè enim eum strangulat. Est etiam illi cum Draconibus perpetua discordia, qui, cùm magis arte quàm viribus pugnent, cùm Elephantem deuicerint, ab ipso corruentis pondere eliduntur. Circumfusis pueris, qui ad eum spectandum, si cicur factus est, confluunt, blandiri solet, naturæ simplicitate.

delectatus. Musicam amat, ita vt tibiarum modulos temperato passu iucundissimè lasciuiat. Vinum si biberit, inebriatur. Ex animalibus maximè exhorret hircum, ceraften, & porcum. Odit etiam murem, & si pabulum in præsepio à mure attingi viderit, fastidit. Tanta clementia & benignitate est, vt viatores in desertis errantes in viam reducat, & minus valida animalia, vt in grege pecudum sibi occurrentia leniter manu dimoueat, ne obterantur. Nulli nisi lacessitus nocet. Viuit ad minus annos centum: nam quidam ad trecentos vsque & vltra perueniunt.

Plin. li 18. Strab. li. 17 Iou. elog. 4.

A

22 Rhinoceros paulò humilior elephante, si spectetur altitudo, sed longitudine propè par. bubali formam referens: nam vngulas habet bisulcas. Tergore est buxei coloris, eoqúe ab impenetrabili duritie duplicato, tanquam perpetuo thorace protegitur, armaturqúe pedali osseo cornu supra nares eminente, quo ferire sub vtero atque transfodere elephantem, peculiarem suum & internecinum hostem, solet, quam partem suis ictibus peruiam esse nouit. Prælium initurus, cornu prius exacuit ad petram. In congressu perpetuæ simultati, aut parta victoria, aut decora morte satisfacit: nunquam enim victus ab hoste fugit.

Plin. lib. 8. Iou. elog. 4

B

23 Monoceros animal, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert, quod leuore candoreqúe eburneo, & pallidis distinctam spiris ad obtundenda hebetandâque venena mirificam habet potestatem. Cornu enim immisso, & per lymphas circumducto, fontes expiat, vt salubriter bibat, si inde virosæ bestiæ præpotarint. Id viuo animali non detrahitur, quum vllis insidijs intercipi nequeat. Cornu tamen spontè decisum in desertis reperitur. Regijs mensis impositum, toxica, si qua sunt epulis indita, emisso statim admirabili sudore conuiuis prodit.

Ælianus. hu. hist. 18

C

D

24 Camelus, animal blandum, ac domesticum, frequens in Africa inuenitur, præsertim in desertis Libyæ, Numidiæ & Barbariæ, ex quibus Arabes suas diuitias & possessiones existimant. Africi cameli Asiaticis præstabiliores sunt. inediam enim quadraginta vel quinquaginta diebus perferentes, pabulum serotino tempore non attingunt, verùm exonerati in proximis campis herbam, vepretes, vel arborum frondes pabulan-

A bulantur. Camelorum tres sunt species. Primi crassi sunt, ac proceri, clitellisque gerendis aptissimi, verùm ante quartum ætatis annum inutiles: quo exacto tempore mediocris quisque eius speciei camelus mille pondo oneris facilè gestat. Altera camelorum species duos habet gibbos, oneribus gestandis & equitationi pariter accommodos. Tertium genus sarcinis gestandis non perinde valet, est enim gracile, exiguæque staturæ, sed pernicitate & currendi promptitudine longè superat, adeò, vt vnius diei spacio eius generis cameli amplius centum millia conficiant, modico etiam viatico ad dies octo vel decem per deserta perpetuantes. Bellum aduersus equos naturale gerunt. Sitim quatriduo tolerant; bibunt obturbata prius pedibus aqua.

Volat.li.25 Leo Afer in descri. Afri. lib.9.

B

25 Mantichoa animal magnitudine leonis, pelle villosa ac purpurea, vultu ferè & auribus humanis, triplici dentium serie superius, totidemque inferius, iisque acutis, & aliquanto quàm canis maioribus, oculis villosis noctuæ similibus, vnguibus leoninis, cauda bifida vtrinque aculeis cuspidata, quos in certaminibus eminus pro telis iaculatur, aliis renascentibus. Cursu pernix est, in India crescit.

Volat.li. 25

C 26 Gorgon animal, quod in Libya visitur, agrestibus ouibus persimile. Talem habet respirationem, vt omnia animantia, quæ sibi obuia fuerint, interimat.

Athen.li.5

27 Stambucus, animal colore & magnitudine vel procerum asinum æquat, oblonga & falcata in humeros cornua demittens, quibus admirabili naturæ subsidio morte se eripit, quum à venatoribus in extremam rupium oram compellitur: contractis siquidem pedibus, insertàque pectori ceruice in orbem se conuoluit, atque ita cornuum aspide protectus, nobili decreto præceps, rotæ modo, illæsus per derupta

Iou. in descript. Larij lacus.

D prouoluitur.

28 Tigris animal velocitatis horrendæ & truculentæ, quod ex hoc præcipuè deprehenditur. Cùm eius fœtus, qui semper ei numerosus est, ab insidiante venatore capitur: equo quàm maximè pernici, atque in recentem subinde transfertur: at vbi vacuum cubile reperit fœmina, fertur præceps, odore vestigans. Raptor appropinquante fremitu abiicit vnum ex catulis in olla: illa morsu corripit, & pondere etiam ocyor acta remeat; iterum consequitur, & subinde, donec in nauem

ingresso irrita feritas sæuit in littore. Tres ordines dentium secundùm alteram genā habet: præterea aculeos in cauda, quos veluti sagittas iacit. Crescit in Hircania & India. Apud Prasios Indiæ populos reperitur duplo maior quàm leo, tanta virium firmitudine, vt vnus è mansuefactis à quatuor hominibus ductus, si mulum posteriore pede apprehendat, ad se trahat. A

Volat.li.25

29 Ignanna animal quadrupes, Lacerto forma haud absimile, paleam quandam è mento velut barbam pendentem habet, vertice capitis cristam instar gallinaceæ insignem, in dorso eminentes pinnas serratas, caudam prælongam, in tenuitatem desinentem, & implicantem se viperinis orbibus: oua quadragena aut quinquagena singulis fœtibus ædit, rotunda, & nucis crassitudine, luteo alboque varia, qualia sunt gallinarum, eaque edulia. Commune terræ & aquis animal: nō enim mergit in fluuijs tantùm, sed etiam in arbores repit. Horribile visu, sed adeò mite, tractabile, ac tacitum, vt nec stridēs, nec ingemiscens, nec strepitum vllum, aut clamorem edens, dum captum est, dies viginti sine vllo cibo permaneat. B

Dined.hist. natur. Indiæ li.13. Benzo li.2

30 Sagoinus, genus simiæ, magnitudine sciuræ, & colore: facie leonina, ex iracundia & molestia mortem sibi consciscit, adeò bilis in eo exundat atque superbia. C

Lerius hist. brass.

31 Prodigiosum animal in America visitur, cuius ventri Natura alium ventrem affinxit. Quoties ex aliquo demigrat loco, catulos in eum locum recondit, & ad alium locum gestat. corpus, & rostrum vulpis, manus & pedes cercopitheci, aures vespertilionis habet.

Angle. dec. 1.& 2.li.9.

32 Apri in Brassilia quamuis sint corpore & forma nostratibus admodum similes, grunnitu & clamore dissimiles sunt, & terribiliores: habent præterea in dorso meatum, per quem spirant & respirant. In Perurana prouincia sunt porci, qui in spina dorsi vmbilicum habent. D

Lerius in hist. brasi.

33 Peruranæ oues instar camelorum sunt, quæ magnis oneribus ferendis aptissimæ sunt: duodecim aut quindecim milliarium spacio hominem gestant. Itinere fatigatæ, prosternunt se humi, ac tum fodiendo aut feriendo frustra impuleris, nunquam nisi onere leuatæ assurgunt. Carnes sapidissimas habent, & vellera tenuissima atque optima. In Arabia sunt oues quæ habent caudas trium cubitorum longitudine: aliæ, quæ

Aug. Zara. hist. Peru. lib.3. Herod.li.3. Leo Afer in descri. Afri. lib.9.

cau-

A caudas habent cubitalis latitudinis. Leo Afer narrat se vidisse in Asiota, ciuitate Ægypti, vnam, cuius cauda octuaginta libras pendebat.

34 Apud Dardas populos montanos Indiæ formicæ visuntur magnitudine canum, quæ maiores sunt: vulpium magnitudine, quæ minores. Collis ibi est trium millium stadiorum ambitu, & sub eo aurifodinæ, quas formicæ custodiunt, mira celeritate victum venatione comparantes. Terram auriferam fodiunt, vnáque ad ostium cumulant, quam mercatores clam surripiunt, relictis in itinere carnibus, in quibus depascendis B formicæ morantur, si fortè animaduerterint. Si vna earum capta comburatur, abigētur cæteræ. Fugantur etiam ex origano & sulphure illito arboribus, & ex combustione styracis & cochlearum testa.

Herod. li. 3. Plin li. 8. Volater. 26

35 Canum cùm multa sint genera, præcipui recensentur Laconici, ex vulpibus & canibus nati: Arcades, ex canibus & leonibus: Cyrenaici, ex lupis & canibus: & Indici, qui ex tygride nati putantur, inuictæ virtutis & immensi roboris. Petenti Indiam Alexandro rex Albaniæ dono dederat inusitatæ C magnitudinis vnum, cuius specie delectatus iussit vrsos, mox apros, deinde damas emitti: sed contemptis illis, nihil se commouit. Illam animi generositatem segnitiem atque inertiam interpretatus Alexander, eaqúe grauiter offensus, canem interimi iussit. Nunciauit hoc fama regi. itaque alterum mittens, addidit mandata, ne in paruis animalibus Alexander experiretur, sed in leone, elephantóue. duos habuisse: hoc interempto, præterea nullum fore. Non distulit Alexander eius vires & generosos spiritus experiri, priusqúe leonem in certamen protulit, quem protinus fractum vidit. Postea elephantum iussit adduci, haud alio vnquam magis spectaculo D lætatus. Siquidem horrentibus per totum corpus villis, ingenti primum latratu intonans classicum dedit. deiņ cum belua congressus ita artifici dimicatione nunc assultās, nunc eludēs fatigauit, vt assidua rotarū vertigine afflicta procubuerit: ad casum eius tellure concussa, & spectante multitudine, rei miraculo attonita. Æthiopia etiam alit canes eximia magnitudine, quibus ne leones quidem pares sunt viribus. Signa autem probi canis hæc ferè sunt: Si torosus, magnus, venosa fronte ac lata, oculis nigris flammeisqúe, auribus tenuibus ac

Plin. lib.7 Sabel. en. 10. lib.7. Volat. 25. Arist. de histor. anim. lib.5.

prælongis, collo item prælongo, pectore carnoso, spatulæ ab humeris paulò recedentes, cruribus altis, lateribus extantibus, coxis teretibus inter se distantibus villo tenui ac denso, colore non omnino vno, sed mixto. A

36 In Cypro insula in ærarijs fornacibus, vbi Chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ nascuntur pennatæ, magnis muscis grandiores, quæ in igne vitã degunt.

Plinius. Mela. Viues.

37 Contra Gorgonas insulas in ipsa Continente Catoblebæ sunt, haud grandes feræ, sed grande malum. Cæteris membris inertes, prægrandibus capitibus, quæ ægrè sustinent, idcirco semper in terram ore conuerso sunt, vnde illis nomen. Nec impetu sæuiunt, nec morsu, sed intuitu. Earum enim oculos tantùm vidisse, mortiferum. Eadem vis est Basilisci serpentis, contra quem ferunt armari homines speculis, vt serpens ipse se videat. B

38 Delphinus nobilis piscis parit catulos decimo mense, interdum binos. Nutrit eos vberibus sicut balæna, & decem annis ad summam magnitudinem peruenit. Lingua est illi contra naturam aquatilium mobilis, suillæ similis. Pro voce gemitus humano similis. Homini amicissimum animal, & prudentissimum, & gratias pro beneficio referre nouit. Pro ætate distincti vnà natant, more castrensi, & primo quidem infirmiores præcedunt, adulti iam & perfecti subsequuntur. Parentes ab latere comitantur, agminiqúe inuigilant. Agilitate tanta, vt sæpe naues supersiliant. Si è duobus, quos mater peperit, alter capiatur, illa vsque consequitur, atque è piscatorum manibus ore appetendo conatur auellere, eo tandem erepto, ad alterum adcurrit, ore, afflatu, cauda, ac quibus potest modis ad fugam instituit. Ipsa postremò capto suppetias ferre cupiẽs, commori prius eligit. Nec solùm erga sobolem, sed & erga socios signa charitatis ostendit. si quis enim eorum captus in scapha iam fuerit, cæteri adnatant, supplicantium specie socium repetentes, solentqúe interdum piscatores pro portento concedere. Inimicitias gerit cũ pompilo & crocodilo. C D

Athe. li.13. Ælianus. Volat. li.25

39 Crocodilus, quadrupes animal est, in terra & aqua viuẽs, in Nilo frequentissimus. Hic præ omnibus ex minimo fit maximus. ex ouo enim ad viginti duos cubitos excrescit. Sola bestiarum non habet linguam. Mandibulam superiorem contra omnium animantium naturam mouet. Ventre, dorso, cau-

dáque

A dáque prælongus, ſquamis præduris oſtrearum modo totus obductus. Timidus alioquin ac veterator, vt qui perſequentes fugiat, fugientes perſequatur. Sexagenarius numerus ei quodam naturæ arcano proprius. Siquidem ſexagenis diebus oua ſexagena parit, totidemque diebus fouet. Annos præterea ſexaginta viuit, & dentes totidem numero habet. Deniq. totidem diebus in ſeceſſu quieſcit quotannis ſine cibo. Vnguibus armatus ad inuadendum contra ictus: cute inuicta. Dies in terrâ agit, noctes in aqua. Hebetes oculos habet in aqua. extra aquam eſt acerrimi viſus. Pugna eſt illi cũ ichneumone, & cum B delphino. Ichneumon per fauces apertas ingreſſus, erodit aluum. Delphinus conſpecto crocodilo velut territus ſe immergit: pòſt ſub aqua aluum petens ſecat ſpina.

Plin. lib. 8.
Volater. 25

40 Polypus piſcis ex molliũ genere à multis pedib. appellatus, animal tanta ſalacitate, vt effœto corpore nulla ſit ei aut adnatandi aut prædam affectandi facultas. Nec vltra annũ vita: fœminæ etiam breuior, quę facilius capitur. Plurimũ roboris habet in ventre, & quiduis obuium ſine negotio deuorat. Proinde neque à ſuo genere quidem abſtinet, imò ne à ſeipſo: nimia enim fame preſſus, ſeipſum deuorat. Inſidias piſcib. fa- C ciens, ſub ſcopulis latitans ſedet, & eorum colorem induit, ſic vt idem cum ſcopulis eſſe videatur. Cùm piſces tanquã ad ſcopulos adnatant, illi ſuis cirris tanquam retibus implicãt. Cùm ob timorem aufugit, colorem mutat, ijsque locis ſimillimum refert in quib. latet. Carabum ex omnib. piſcib. expaueſcit, adeò vt coniectus in retia, vbi ille fuerit quandoque captus, ſtatim exanimetur. Æſtatis tempore in agros mari vicinos exire ſolet, arborésque fructuum auiditate ſcandere. Oleis maximè delectatur, ita vt cùm oleæ ramus in mare demittitur, vbi ſunt polypodes, plurimi circa ramum impliciti nullo labore ex- D trahuntur.

Plin. lib. 9
Ael. libr. 1.

41 Teſtudines marinæ partum in terra edunt, enixæ verò cõtinuò defoſſis intra terrã ouis reuertuntur, & ſuo more natant. Tantum autem habent rationis, vt 40. dies numerare poſſint, quorum ſpatio fœtus completus euadit: tunc redeuntes ad ipſum locum vbi repoſuerant ſobolem, effodiunt terram quã iniecerant, & illam iam ſequi valentem, ſecũ abducũt. Pariunt oua auium ouis ſimilia, ad ducẽta nnmero. Omnes teſtudines magnoperè ſalaces eſſe experientia compertum eſt.

Plin. lib. 9
Ael. libr. 1.

Plin. lib. 9
Athen. li 7
Iou. de pisc. Rom.

42 Scarus piscium solus dicitur ruminare, herbisque vesci. Dentes humanis similes habet, & ad ruminandas maris herbas plurimum idoneos. Mari Carpathio plurimùm frequens. Inter auratas à nonnullis numeratur, solusque ex piscibus dormire dicitur. quare nunquam noctu capitur.

A

Plin. lib. 9.
Athen. li. 8

43 Exocetus inter saxatiles pisces numeratur, degitque in locis saxosis. Vbi est tranquillitas, ex vnda exiens multū tempus in sicco quiescit supra saxa, seque ipsum sæpius ad Solem conuertit. Cùm verò satis quieuerit, in aquam deuoluitur, donec vnda rursus eum recipiens cum refluxu deferat in mare. Cum in sicco vigilat, diligenter aues sibi insidiantes obseruat, quas vbi in se venientes perspicit, saltans ac palpitans fugit, donec in vndam se immergat.

B

Athen. li. 7

44 Anthias piscis, quo in loco est, nullam ibi beluam esse concessum: quo indicio securi spongiatores vrinantur, & sacrum piscem idcirco eum nominant.

Athen. li. 7

45 Torpedo, cartilaginea est, paritque animal, non ouum. Limo mersa se occultat, & pisces suprà natantes torpentes facit: postquam verò obtorpuere, deuorat. Manum attrectantis in vola obstupefacit.

C

Iou. de pisc. Rom.

46 Dux & magister percarum Melanurus, qui alio nomine Oculata, à magnitudine oculi dicitur. Piscium timidissimus, idem & cautissimus est. nam ex ipsa maris tranquillitate piscatorum aduentum præcognoscit, mergitque se profundissimo mari. si verò in summas aquas fuerit enatandum, agit circa scopulos, & mira sagacitate in spumis latitat, quas infracti scopulis fluctus continuè excitant.

Idem ibid.

47 Xiphij pisces tanta esse docilitate dicuntur, vt Græcanicum sermonem, quo Magnæ Græciæ tractus vtitur (visuntur in illa frequentes) ab Italico distinguere videantur: idque admirandis argumentis deprehendi, quum Græcas voces minimè reformident, ad Italicarum verò sonum repentè diffugiant, quod complures Brutij testati sunt.

D

Angler. dec. 3. lib. 8.

48 Manatus piscis, ab Hispanis sic nuncupatus, quòd pinnas ad caput & veluti binas manus habet. Lutræ propè formam refert. Vigintiquinque pedes longus, duodecim crassus est. capite & cauda bouē refert. Exiguis oculis, pelle dura & pilosa, coloris veneti. Pedes duos elephantinis similes habet. fœminę eius generis, vt vaccæ, catulos pariunt, eosque geminis vbe-

ribe-

A ribus alunt. Animal id amphibion, in terra & aquis vitam agens, & amicum homini. *Benzo. nou.orb. 2.*

49 In mari Brasilienſi inuenitur piſcis vituli vnius anni magnitudine, naſum habens quinque pedum longum, ſeſquipedali latitudine, vtrinque dentibus acutis, & inſtar ſerræ diſcindentibus. cuius caro adeo dura, vt in viginti quatuor horarũ ſpacio vel luculento igne bulliens percoqui nequeat. *Lerius in hiſt. Braſ.*

50 In mari ſub torrida zona piſces turmatim volantes inſtar alaudarum, aut ſturnorum, halecibus paulò longiores conſpiciuntur, magiſque teretes. Alas habent inſtar veſpertilio-
B num, longitudinis ferè cum corpore æqualis. Sunt autem illi piſces in continuo vitæ periculo: quandoquidem ſi in aqua ſe contineant, à magnis piſcibus infeſtantur. In aere volantes fiunt præda auibus. *Idem ibidē.*

QVINQVAGENARIA TERTIA,

C DE GEMMIS.

CVM Aſtrologi, Phyſici & Theologi, gemmarum naturam curioſè indagantes, arcanas, & mirificas vires eis ineſſe, quas ſuſcipere, & admirari potius, quàm rectè expendere liceat, conſtanter aſſeuerent, excellens Dei donum, & egregium naturæ opus ab omnibus ſunt æſtimandæ. Ipſarum verò præſtantia & dignitas hinc maximè perſpicitur, quòd qui eas contemplantur, vel nulla vtilitate perſpecta ament & admiren-
D tur: pluris proculdubio æſtimaturi, ſi earum vires aliqua ex parte cognoſcerent. Vt igitur res tam præcellentes pro merito æſtimentur, quarumdam & præcipuarum virtutes ex variorum authorum obſeruatione hîc ſpectandæ proponuntur.

1 IN gemmis, tanquam in arctum coacta rerum maieſtas, inſignis præſtantia notatur. Excellens quidem naturæ opus, & non exiguum miraculum, ſi earum natura & vis ſpectetur, materiæ tem

ramentũ, & quædam lucis cum elementari craſsitie copulatio: A eóque præcellentius iudicandum, quò durabilius. & ſi in tam paruo corpore forma cum viribus diligenter conſideretur, res tam admiranda iudicabitur, vt ipſa natura totam vim ſuam in earum opificium collegiſſe ac effudiſſe videatur. Maximè etiam facit ad illarum dignitatem & præcellentiam præ cæteris rebus æſtimandam, quòd valor quarundam & precium omnem taxationem hominum & æſtimationem exceſſerit. Nec vano hominum rumore aut incerta philoſophantium opinione nos deceptos eſſe putandum, cùm ſacræ ſcripturæ probatiſsima authoritas, & diuinorum ora- B culorum maieſtas ſuffragetur. In Biblijs varijs in locis præclara fit gemmarum mentio: Geneſis 2. onychis: Iobi 28. ſardonychis, ſapphyri & topazij Indiæ & Æthyopiæ: Eſaiæ quinquageſimo quarto, margaritarum, ſapphirorum, iaſpidum, carbuunculorum. Apocalypſeos vigeſimo primo iaſpidis, ſapphyri, calcedonij, ſmaragdi, ſardonicis, ſardij, chryſolithi, berilli, topazij, chryſopraſij, hyacinthi, amethyſti & margaritarum. Id autem facit Ioannes, dum ciuitatis ſanctæ Hieruſalem de cœlo deſcendentis ac Dei claritate illuſtris ſtructuram & magnificentiam admirandam deſcribit. Nec cœli C beatorum domicilij muros per gemmas diuinus vates deſignaſſet, niſi vires admirandas & ſingularem præſtantiam haberent: quia cœleſtem manſionem, omni æſtimatione maiorem, gemmarum collatione oſtendere voluit. Per duodecim gemmas, quas in pectore inſutas pontifex apud populum Iudaicum geſtabat, in bello victoriam prænũciare Deus ſolebat. Nam prius, quàm exercitus ſe moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innoteſceret, adeſſe Deum, opemque, & auxilium inuocantibus eſſe allaturum. Sardoniches etiam, quos pontifex in humeris geſtabat, mirè D ſplendebant. Is qui dextrum humerum occupabat, quoties litatum eſſet, tanquam fulgore emiſſo, vt procul etiam intuentibus conſpiceretur, idque præter naturam, & conſuetudinem.

Ioſeph. antiquit. 3.

2 Gemmis vires ab influentia peculiari planetarum, & ſymmetria elementorum, ex materia ſubtiliore & puriore obueniunt: cœlum enim pro variorum aſpectuum ratione, & materie multiiuga præparatione diuerſas vires transfundere creditur

ditur

A ditur. Hermes Trismegistus occultas proprietates gemmis cœlum transfundere hoc præcipuè argumento demonstrat, quòd magnos parua mole, mirificósque promant effectus. Nec mirum videri debet, cœlum gemmis occultas profundere potentias, quum similes potestates in obscurioris substantiæ herbis illum insinuare pro comperto habeatur. Et cùm ostreis, & conchylijs contingat, vt cum Luna pariter crescant & decrescant, & maris æstum contingit in nouilunio & plenilunio fieri. Reconditarum autem facultatum causæ humano sensu nequeunt comprehendi, sed frequenti experi-
B mento ipsarum potestas cognoscitur. Cœlici autem influxus impediuntur vel minuuntur propter ineptitudinem materierum, in quas suas exercent potentias, prout Plato dicit, Secundùm merita materiæ infunduntur vires cœlestes. Materiæ apparatum rebus gignendis ac perficiendis non obscuri momenti esse certum est, qua ratione videre est indiuidua eiusdem speciei aliàs alijs clariora, vel viribus ignobiliora, pro videlicet symmetria, puritate, ac confusione eorum substantiæ. Gemmæ autem ex pura planaqúe materia constant, per defluxum, aut destillationem quandam secreta, ac
C seu per calorem vt murrinum seu per frigus, vt crystallus, concreta: & quo quæquæ planiores & splendidiores sunt, eò maiorem in distillatione purgationem demonstrant. Habet omnis gemma matricem è lapide quodam formatam, in qua succo destillante, velut infans, materno sanguine nutritur. Smaragdus prasio innascitur, & iaspidi quandoque, silici iaspis, carbunculus balasio, Sarda onychi, crystallus marmori, & adamas crystallo.

Rueus. lib. 1.

3. Quæ perspicuæ non sunt, ex terrea crassioreqúe substantia, humido tenaci perfusa, generationis materiam cepisse
D creduntur: quæ verò pellucidæ visuntur, ex aqua præsertim consistunt, cui subtilis quædam terrea, nec obscura materies est immixta, vt in crystallo & beryllo, glaciei speciem planè referentibus, videre est. Hac de causa gemmarij nitidum & pellucidum gēmæ splendorem pulchram aquā vocant. Quę non gignuntur ex puris succis, claris, & translucidis, sed vel ex impuris & non perspicuis, vel ex nigris, tantummodo nitent. Gemmæ autem non perspicuæ nitent propter insignem

Volaterr. lib. 27.

Pictorius.

leuorem, quem iam inde à suo ortu habent, aut æqualiter lima & arte perpolitę consequuntur. Ad perfectionem ducere solius naturæ est opus: secare, tundere, polire, molle reddere, artis. Omnes autem gemmæ mellis decoctu nitescunt. A

Rueus lib.1 4 Obseruandum autem est, gemmas non æqualiter vires suas in quosuis exercere sed pro sympathia & simili temperamento: quemadmodum in plantis, & succis, qui in medicina præbent vsum, videre est: quę in maiore vel minore dosi corporibus secundùm temperamentum prosunt. Et aliquando propter antipathiam nihil sumentes iuuant. Et vt pro ratione loci validiores aut infirmiores vires habent plantæ, ita gemmæ excellentiores habentur pro ratione loci, in quo crescunt: vt Orientales cæteris pręferuntur. Vires eas habere non leues, extra controuersiam est: sed pleræque adhuc incognitæ & inexploratæ sunt: & reperiuntur admodum fortunatæ, sed paucæ. Narrat Rueus se vidisse vnam torchoidem, quæ Domino mortuo amiserat omnem splendorem, & contraxerat velut rimam quandam: in licitatione vili precio à quodam empta ad pristinum splendorem rediјt, quasi sensu quodam percipiens nouum dominum inuenisse. B

Pictorius. *Rueus lib.1*

5 Ad cor confirmandum fiunt medicamenta ex gemmis preciosioribus, scilicet smaragdo, carbunculo, sapphyro, hyacintho, chrysolitho, granato, & margaritis. Et ferè omnes gemmæ medicinæ præbent vsum, præterquam adamas. Delectus autem faciendus non solùm ex loco, in quo crescunt: vt Indicæ, & Æthyopicæ maioris præstantiæ sunt: ex perspicuitate, & magnitudine: sed etiam ex ætate. quandoquidem virtutem elementarem propter senium amittunt, quod in lapide Herculeo deprehendere facile est, qui annosus ferrum non attrahit. Aliæ etiam gemmæ senium non obscurè indicant, dum pallescere, obfuscari, cariémque pati videntur. Id enim indicium est, vel senium, vel morbum contraxisse, & multum de viribus suis deperisse. C D

Rueus lib.1

6 Gemmæ inueniuntur multis modis. vel enim sua sponte nobis occurrunt, vel eximuntur ex arenis lotis, vel effodiuntur è montibus. quo tandem verò modo inuentæ fuerint, antequam poliantur, minus pellucent nitentque. Vires à natura sola proueniunt: species & pulchritudo arte adiuuatur.

7 Theophrastus autor est, reperiri lapides qui pariant, nimirum

A mirum quòd virtus illa cœlestis, tenaci materiæ semel transfusa, contumaciùs & firmiùs cohæret substantiæ: quæ videlicet, quò vehementius cœli actionē experta est, eò pertinaciùs hanc retinere intelligitur. Rueus scribit, tales apud dominam Heuerensem asseruari, qui hæreditate obuenêre. Sunt autem duo adamantes, qui alios crebrò producunt.

Rueus.li.1.

8 Fluores metallici, qui primo aspectu videntur esse gemmæ, potissimùm carbunculos & amethystos repræsentantes, quàmprimùm ignem senserint, diffluunt. Hac ratione à gemmis certissimè dignoscuntur, quia gemmæ igni nō liquescunt.

Agri. de natur. foss. li. 1

B 9 Gemmæ adulterantur multis modis. primò vitrum tingitur varijs coloribus, imitatúrq. smaragdum, callaida, amethystum, hyacinthum, cyanum, chrysolithum, topazium. secundò, ex crystallo tinguntur gemmæ translucentes. tertiò, ex veris gemmis, sed vilioribus, fiunt preciosæ: vt ex amethysto, carbunculi amethystizontes: ex cyanis fœminis, ex beryllis sapphirisúe fiunt adamantes.

Agri. fos. 1.

10 Factitiæ gemmæ à veris multis modis internoscuntur, lima scilicet, tactu, & pondere. Vitreæ & factitiæ, quia molles & fragiles, limam sentiunt: veræ, quia duræ, ei resistunt, excepta C topazio & smaragdo, quæ tamen si fuerit Scythica aut Ægyptia, ne ipsa quidem vulnus accipit. Tactus deprehenditur tepidior in vitreis, in veris frigidior. Pondus minus in vitreis, maius in veris. Sed oculi præterea deprehendūt in vitreis pustulas, quæ in profundo apparentes, aliquando instar argenti relucent. Fulgor, qui in veris emicat, constans permanet, atque implet oculos: qui in vitreis conspicitur, priusquam ad oculos perueniat, desinit & euanescit, quod in ipsis euidens est, cùm interdiu matutino tempore, & noctu ad lumen lucernæ admotas spectamus. Vitreis præterea plerunque est scaD britia in cute.

Ibidem.

11 Gemmarum quædam sentiunt limam, vt topazius: quædā non sentiunt, vt carbunculus, amethystus, & sapphyrus: quædam ad scalpendum faciles, vt sarda, onyx, sardonyx, amethystus, iaspis, molochytes, morion: quædā scalpturæ contumaciter resistunt, vt adamas Indicus, smaragdus Scythicus & Ægyptius, sapphyrus, cyanus, carbunculus. Smiridis autem puluere omnes scalpi possunt, excepto adamante, qui non nisi proprijs fragmentis potest scalpi.

Agri. fos. l. 1

12 Gemmæ, potiſsimùm perſpicuæ, varijs vitiis infeſtantur: A quorum quædam ſunt coloris, ſicut fumus, vmbra, nubecula: quædam corporis, vt ſcabritia, capillamentum, ſal, punctum, ſcobes, plumbago, ferrugo, rubigo, occulta vomica. Punctum non ſemper pro vitio accipitur: nam laudantur aurea ſapphiri puncta, quibus collucet. Laudantur aureæ guttæ, quæ intus in ſandaſtro fulgent. Vitia corporis ſi fuerint in ſuperficie, litura occultari, aut ſcalptura detrahi poſſunt: ſed intus in corpore nec obtegi nec auferri poſſunt. Quare gemmæ talibus vitijs obnoxiæ non ſcalpuntur, ne magis detegantur, niſi quod berylli perforantur, vt medulla candoris exempta gratiores fiant. B

Agr. foß. 6.

13 Figura diuerſa illis eſt: nam & cauæ, rotundæ, extuberantes, æquales, planæ, & anguloſæ inueniuntur. Quadrata, & præſertim oblonga, maximè probatur: deinde quæ vocatur lenticula: poſtea rotunda. Anguloſæ minima gratia. Cauæ & extuberantes viliores habeantur æqualibus.

Plin. 37. Volaterr. lib. 27.

14 Gemma inſigniter dura, aut pellucet, ſicut adamas & ſmaragdus: aut valde venuſto varioque colore ornata, mirificè nitet, vt pleræque ſpecies iaſpidis. Sed pellucens, & eximia coloris pulchritudine, ſplendore & precio multum præſtat nitenti. Omnis gemma durior teneriorem ſecat, adeò etiam vt cryſtallus durior vitrum ſecet, ſi præacutus ſit. Vitrum autem ab omnibus celari gemmis manifeſtum: facilimè tamen ab adamante, pòſt à ſapphiro. C

Agr. foß. 6.

15 Adamas duriſsima eſt, pòſt ſapphirus, dein chryſolithus, & orientalis carbunculus, pòſt granatus. inde onyx orientalis, achates & praſius. poſt praſium ſmaragdus, inde amethyſtus, topacius, hyacinthus, cryſtallus omnium gemmarum tenerrima. D

16 Sunt etiam differentiæ gemmarum à nitore & colore. Nitoris quinque differentiæ ſunt: rutilans, vt adamas; nitens, vt ſapphirus: languidus, vt carneolus, ſarda: inæqualis, vt iaſpides: obſcurus, vt lapides fulminei.

17 Gemmæ omnes aut colore vno ſunt præditæ, aut duobus pluribusúe. Multis eſt vnus, ſicut cryſtallo, adamanti, ſmaragdo. Duo colores ſunt miſti, vel ſeparati: non paucis miſti, vt aphrodiſiacæ, quæ ex candido rufeſcit; xantho, quæ ex ful-

Agr. foſſ. 6.

A uo candicat. Separati autem apſycto, quã nigram diſtinguunt rubentes venæ: naſomonitæ, quam ſanguineam nigræ: heliotropio, quam porraceam ſanguineæ. Tres etiam colores miſtos habet opalus, igneum ſcilicet, purpureum, viridem: ſeparatos ægyptilla. quatuor colores miſti ſunt cuidam pæderoti, candidus, æreus, purpureus, aureus: ſeparati cupetalo.

18 Colorum differentiæ principales ſeptem. Eſt enim in eis color candidus, flauus, ruber, viridis, cœruleus, vinoſus, & niger. Candidus in cryſtallo, flauus in chryſolitho, ruber in carbũculo, viridis in ſmaragdo, cœruleus in ſapphiro, vinoſus in B amethyſto, niger in achatis ſpecie.

19 Gemmæ candidæ, cryſtallus, aſterius, pangonios, margarita, chalazia, adamas. Cryſtallus reperitur in venis tam metallicis quàm proprijs, & aliquando ex marmorum ſaxorúmque canalibus effoditur. Cryſtallus optima, cui color candidus, quæ inſtar aquæ limpidæ pellucet. Interdum ineſt cryſtallo argentum rude, plumbaginis colore, aut rufum, quod illi in laudem, non in vitium vertitur: pluris enim ob id æſtimatur. Naturâ caloris eſt impatiens. Si in calices ex ea fa-C ctos liquor frigidus fuerit infuſus, eum continẽt: ſin calidus, rumpuntur. Ignis ex omni cryſtallo radijs ſolaribus oppoſita, elidi poteſt. Adamantem aliquando affabrè refert. his notis tamen diſcernitur: adamas nitorem habet viuaciorem & robuſtiorem, ſic vt non ſolùm ſplendeat, ſed rutilet quoque & emicet: impermutabilis ad ignem, ferrum, vetuſtatem, & vſum: quæ omnia cryſtallum celerrimè lædunt. Feſtucas item trahit adamas, ſi incaleſcat vt electrum, vbi cryſtallus nihil agit. In tenuiſsimum puluerem trita, & in vino auſtero pota, auxiliatur dyſentericis: cum melle in potu ſumpta, lac D nutricibus auget. Plinius dicit, frigore congelari, quòd non creſcat, niſi in frigidiſsimis locis: cuius ſententiam ferè omnes ſequuntur. Diodorus dicit, à calore Solis condenſari, ſiccitate comprimi, ſplendore illuminari.

Diodo.li.3. *Plin.li.37.* *Agri.foſ.6.* *Marbod.*

20 Aſterius, quæ & Solis gemma dicitur, quòd contraria Soli regerat candicantes radios: Aſtrios, quòd aſtris oppoſita fulgorẽ rapiat ac regerat. Lucem transfundit cũ inclinatione, velut intus ambulantẽ, ex alio atq. alio reddẽs, nõ diſsimiliter ac carbunculus. Gemma admodũ dura eſt. figurã habet ſcalpta

Plin. li. 37. Agri. fos. 6. Marbodæus plerunque dimidiati globuli. Somnum conciliare, & somnia A terrifica abigere dicitur.

21 Pangonios reperitur in ijsdem locis, in quibus crystallus, & ei simillima esse solet, colore, facilitate translucida, leuore. Si in proprijs locis reperiatur, plerunque obscura, & vndiq. paruis cauernis quasi faueolis plena. Id nomen sortita à multitudine angulorum, quòd in plures, quàm sex angulos formatur. *Plin. li. 37. Agri. fos. 6.* Quia perrarò inuenitur, in precio est. Nonnunquam longior digito reperitur: sæpius breuior. Naturam crystalli retinet.

22 Chalazia colorem & figuram grandinis refert, tanta duritie, vt omnib. ictibus inuicta resistat: tantæ frigiditatis, vt ab B igne nunquam calefieri possit. Iracundis & biliosis valde prodest: nam animos nimium ira calentes extinguit. *Marbodæus Pictorius.*

22 Margaritæ pro concharum ætate & magnitudine maiores, pro roris concepti puritate vel obscuritate generosiores vel ignobiliores nascuntur. Quidã tradunt, vt in apibus, ita in concharum agminibus singulas magnitudine & vetustate præcipuas esse veluti duces. Miræ ad cauendum solertiæ. Has vrinantium cura peti: illis captis, facilè cæteras palantes retibus includi. Earum corpus solidum esse, manifestum ex hoc, quòd nullo lapsu frangantur. Flauescunt igne, atque etiam se- C necta & incuria, leuoremque sensim deponunt. Gratia, quæ in eis per genesim desideratur, per columbas resarcitur, quæ scilicet deuoratas puriores tandem eas reddunt cum fecibus. *Plin. lib. 9 & 37. Rueus li. 2.* Præferuntur, quæ candidissimæ, lucidissimæ, rotundissimæ. Læuissimæ & minimi ponderis sunt, maximè autem, si naturâ perforatæ sint. Præcipua illis laus est, quòd siccitate innata corporis redundantias absumant, vt vel hinc vires, spiritus, & cor, principesque corporis partes recreent. Ideò contra Cardiacos & Melancholicos affectus plurimùm celebrantur. A vulgaribus, pestiferisque morbis defendunt, & diarrheis D magnoperè conferunt, hac tamen ratione, vt in polline vel alio modo insumantur. Oculorum præterea abundantem humorem finiunt, ideoque visui prosunt, oculis scilicet quàm tenuissimo earum puluere immisso. Haustæ vocem clariorem reddunt.

24 Adamas nitore & duritie omnes gemmas vincit: ita dictus, quòd non possit domari nec ferro, nec igni. Tanta est ei durities, vt si super incudem positus acerrimè malleo percutiatur,

A tiatur, antè malleus & incus vulneribus acceptis dissiliant, quàm ipse frangatur, cōminuatúrue. Igni adeò resistit, vt eius ardore nunquā incalescat, tantum abest vt liquefieri possit. Adeò non fœdatur, vt purior fiat. Illa autē inuicta vis, duarum violentissimæ naturæ rerum, ferri, ignisqúe, contemptrix calido hirci leonisue cruore ita mollescit, vt rumpi possit. Liquido plumbo in ardentibus fornacibus ita incalescit, vt dissoluatur. Nec omnis adamas tanta duritie deprehēditur: nam Cyprius, & siderites, malleorum ictibus franguntur, & alio adamante perforantur. Dissidet cū magnete vsque adeò, vt iuxta ferrum positus, id magnetem ad se trahere non sinat, & si iam traxerit, ab illo abripiat. Confricatus, paleas trahit instar electri: venena deprehendit, coram illis madens: insaniam, metus vanos, ac terrentia intersomnia arcet: melancholiam sistit: gestantem reddit intrepidum: hostilem demulcet iracundiam, & viri cum vxore necessitudinem fouet.

Pli. li. vlt. Agr. foss. 6. Cardan. li. de gem. Marbod. Rueus.

25 Fului coloris sunt chrysolithus & selenites. Chrysolithus ab auro nomen habet, propter similem colorem. Perspicua est & prædura. Refrigerat adeò manifestè, vt sub lingua detenta sitim febricitantibus extinguat. partibus respirationis, ideóq. asthmaticis confert. Aduersus pusillanimitatem & melancholicos metus vtilis est. Quindecim grana huius pota melancholicis auxilio sunt. Sanguinem è vulnere fluentem superalligatus sistit. Lunarios animi affectus mitigat. Gratiam principum præstat, & diuitias auget.

Plin. 37. Cardanus. Marbod. Pictorius. Rueus.

26 Selenites ex candido translucet, melleo fulgore, imaginem lunæ continens, quam reddit in singulos crescentis minuentisque numeros. Prodest ijs, qui pulmonis vlceratione laborant, quos phtisicos vocant. Ad amorem conciliandum efficax est.

Plin. 37. Marbod. Pictor.

D 27 Rubri coloris sunt carbunculus, sarda, sandrasus, carneolus. Carbunculus, quòd in sole expositus flagret colore carbonibus ardentibus simili, nominatus. In omni carbunculorum genere mares fœminis acrius fulgent. Quibus color egregiè ruber est, itemqúe fulgor, si parui fuerint, spinellæ vocantur: si maiores, rubini, vel pyropi. Qui ad amethystos violaceo colore accedunt, amethystizontes nominantur: à quibus ita differunt, quòd amethysti purpureum colorem fundunt, leuiter blandum. Carbunculi eum in oculos vibrant. Quibus color

ruber eſt, dilutus, atque etiam fulgor, Balaſij vocantur: qui A nigrioris ſunt aſpectus, granati ſiue carchedonij. His etiam nigriores ſunt almandini. Minus cæteris gemmis carbunculus vitia ſentit. Rubinus animis gaudium ingenerat. Venenis reſiſtit hoc ipſo, quòd vitalem ſpiritum confirmat. Peſtilentiæ etiam reſiſtit, maximè epotus. Incolume corpus ſeruat. Malas aufert cogitationes, & contra terrentia ſomnia valet. Balaſio ſimiles tribuuntur facultates, ſed imbecilliores. Iecoris morbis præterea conferre creditur, epotus, geſtatusqúe. Granatus melancholiæ aduerſatur, & cor reficere creditur.

Plin. 37. Agri. foſ. 4 Cardanus. Marbod. Pictorius. Rueus.

28 Sarda, ſiue Sardius, laudatiſsima, quæ multum rubet, & B perſpicua eſt. Cui rubor obſcurus, aut dilutus, Carneolus nominatur. Huius gemmæ vſus ſemper fuit frequens, & quia facilè ſcalpi poteſt, & quia ad ſignandum vtilis eſt, & quia tardiùs cæteris perſpicuis humore ſuffuſo hebetatur. In puluerem trita, cum vino auſtero pota, ſiſtit menſes & ſanguinis per ora venarum profuſionem. Vim habet medendi ad tumores, ac vulnera ferro inflicta. Gaudium accendit, audaciã præſtat, à beneficijs liberat, expellit timorem, acuit memoriã. Carneolus ſanguinem propalam cohibet. Liuentes dentes ſuo polline emendat, omnem ab eis detergens ſordem. Iracundum C animum placare creditur.

Plin. li. 37. Epiphan. Agri. foſ. 6. Pictorius. Rueus.

29 Sundraſtus colorem in aureo rufum habet. In corpore fulgent aureæ guttæ, veluti in translucido ſtellantes, quæ, quò plures fuerint, eò precioſior gemma. Non læſa ex incendiorum ruinis eruitur.

Plin. li. 37. Agri. foſ. 4.

30 Virides ſunt, ſmaragdus, berillus, praſius, topazius, chryſopraſus. Smaragdus à ſplendendo nomen habet. Color optimus ſmaragdi eſt ſpiſsè & acriter viridis. Corpus non modò ſplendens, ſed etiam è liquido translucidum. & cùm res virentes, vt herbas & frondes, auidè ſpectemus, ſmaragdos tantò D lubentius, quoniam nihil omnino viridius inuenitur. Sola gemmarum contuitu oculos implet: nec ſatiat, quin ab intentione alia obſcurata oculorum acies aſpectu ſmaragdi recreatur. E longinquo ſeſe efferunt ſmaragdi, quòd vicinum circũfusúmue aerem ſuo inficiunt tinctu. Qui non vſque adeò virent, vino & oleo abluti emendantur. Vires maximas aduerſus venena habere compertum, ita vt octo granorum hordei pondere in polline deuorata à morte vindicent, qui venena hau-

A hauserit. Serpentis oculi diffluũt, si optimam smaragdum diutius intueantur. Motus obscœnæ voluptatis smaragdo valde perniciosus: siue enim mas, siue fœmina, dum commiscẽt corpora, sic eam gestet, vt contingat cutem, disrumpitur. Cum comitiali morbo vel à collo pendula, vel annulo gestata, ita pugnat, vt vincat vim morbi minorem, vel à maiore vincatur. illo modo manet integer, hoc in aliquot frangitur partes. Hemitritem febrem sanat, visum recreat, memoriam fouet & confirmat, sedat animi affectus, amorem erga studia adauget, inanes timores discutit, seruare opes facit.

Plin. li. 37. Agri. fos. 6. Cardanus. Marbod. Pictorius. Rueus.

B 31 Beryllus similis smaragdo, sed cum pallore. Semper sexangula figura artificum ingenijs poliuntur, quoniam hebescunt, nisi color repercussu angulorum excitetur. Probatissima, quæ limpidi maris virorem refert. Oculis humentibus, ructibus, suspirijs, iocineris quoque malis dilutum ex illius aqua non mediocriter auxiliatur. Aduersus hostium iniurias, & contra segnitiem pollet, ingenio prodest, & coniugatos inuicem conciliat. Si sphærica berillus fiat, & radijs Solis opponatur, ignẽ emittit vt specula concaua & crystalli.

Plin. 37. Epiphan. Agric. Marbodæ.

32 Prasius colore similis succo porri, ex quo nomen inuenit. C mater & palatium smaragdo. Confortat visum, & cum iaspide & smaragdo virtutes multas habet communes.

Plin. 37. Agric. 6. Pictor.

33 Topazius colorem habet ad succum porri inclinantẽ. non translucet modò, sed mirificè fulget, exitq́ue eius fulgor in colorem auro similẽ: idcirco inter nobiles gemmas ponitur. Cũ vulneri apponitur, sanguinem è vestigio compescit. Vires pro lunæ augmento aut decremento euariat, & hinc Lunaticos iuuare perhibetur. Tam gestatus quàm epotus, sapientiæ & prudentię prodest. Nocturnos depellit timores, & honores auget. Prodest etiam ebibitus asthmaticis. Magnitudine cæteras preD ciosas præcellit. Mollis est, ideo sola nobilium & vsu atteritur, & limam sentit, cùm cæteræ saxo & cote poliantur.

Plin. li. 37. Agric. 6. Pictor. Rueus.

34 Chrysoprasus ex auro & porri succo nomen habet, porri viriditate ad aurum inclinans. Optima, quæ aureis guttis conspergitur. visum clarificat, cordis vires reficit, auri sitim propellit, & ad cuncta bona perseuerantiam tribuit.

Agr. fos. 6. Pictorius. Rueus.

35 Cærulei coloris sunt sapphirus & cyanus, siue eranos. Sapphirus gemmarum omnium pulcherrima, serenissimi verniq. cœli colorẽ repræsentans. Durissima etiam est præter adaman-

tem. Carbunculis, cæterisqúe calidis abſceſsibus vtiliter imponitur. Excreſcentias oculorum & puſtulas inhibet. Lippitudini medetur, ſi oculi crebrius ea fuerint contacti. Trita, & lacti permixta, plagis, quæ fiunt ex puſtulis albis, & tuberculis maximè conducit, ſi illis illinatur. Febricitantes, cordis venis pulſantibus admota, non mediocriter iuuat. Sudorem arcet. Sanguinem continet, ſi è narib. erumpere incœperit. Apoſtematum inflaturas, ſi à principio inflationis fuerit adpoſita, ſudores reprimit, omnibus cutis morbis vtilis. Atræ bili aduerſatur. Aduerſus ſcorpionū ictus & inteſtinas exulcerationes valet, ſi trita bibatur. Contra iracundiam, inuidiam, fraudes & triſtitiam efficax eſt. A B

Plin. li. 37. Epiphan. Agr. foſs. 6. Cardanus. Marbod. Pictor. Rueus.

36 Cyanus, ſiue eranos, quam turchinam, vel torchoidē vocant, duplex eſt: altera nigrior, altera candidior: illam marem, hanc fœminam dicunt: quæ interdum adeò parum habet cœrulei, vt penè cryſtallus, attamen obſcura, videri poſsit: Mas quantò nigrior, tantò precioſior: quocirca multum lucere ei laudi datur, pellucere penè vitio. Color proprius & probatus ex herbaceo, cyaneo quodam nitore. Purgat melancholiam, confert viſui, & ſimiliter exhilarat geſtantem: abigit lymphationes, pellitqúe formidines. Finditur, vel omnino maculam quandam effert appetente periculo, vt pro domino pœnas luere videatur. Teritur, qui minus eſt inſignis, pro picturis æternis: nam nec imbribus, nec ſole, nec ventis (quæ ſunt tres picturarum calamitates) damnum ſentit. C

Plin. li. 37. Agri. foſ. 6. Cardanus. Rueus.

37 Purpurei coloris gemmæ, amethyſtus, & hyacinthus. Fulgor purpuræ in amethyſto emicat, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens, vt ſit leuiter roſeus nitor. Ita Amethyſti omnes ad vini ruborem accedunt: verùm eo non adepto, in violaceum finiuntur. Amethyſtus, ſi vmbilico adponatur, vini vaporem primum ad ſe trahit, deinde eum diſcutit. Reddit geſtantem ſedatum, vigilantemqúe, acuit ingeniū, & ſomnum minuit, malámque aufert cogitationem. D

Agr. foſs. 6. Cardanus. Rueus.

38 Hyacinthus ab amethyſto in hoc differt colore, quòd quæ in hoc emicat viola, in illo dilutior conſpicitur, & quàm proximè florem ſui nominis repræſentat. Si in ignis carbones ardentes conijciatur, ipſos extinguit. Conducit mulieribus parituris, vt facilius pariant: fugat triſtitiam: hominem tutum reddit à fulminibus, peſtéque, & ſomnum conciliat. Honores

A nores auget, tum etiam diuitias, atque prudentiam. Temporum constitutionibus affici videtur: cœlo enim placido pellucet: turbulento, tanquam eius iniurias ægreferens, tristi aspectu apparet. *Plin li 37. Agri. foss. 6. Epiphan. Cardanus.*

39 Nigri coloris gemmæ, gagates & tecolithos. Gagates planus est, pumicosus, non multum à ligno differens, leuis, fragilis, odore si teratur grauis. Cùm vritur, odorem sulfureum reddit. Accenditur aqua: oleo restinguitur. Tritu calefactus res minutas & leues, si siccæ fuerint, ad se allicit: sin oleo alióue liquore madida, eas non trahit. Nec siccas res trahit, si allij succo B fuerit oblitus. Diuturnos genuum tumores cum cæteris medicamentis, quæ ad hunc vsum seruiunt, mixtus discutit. Cruenta vulnera glutinat: recreat vuluæ strangulationes. Ex vino decoctus dentibus medetur, strumisque, ceræ permixtus. Si bibatur cum aqua, tritus, ad deprehendendam puellarum virginitatem mirificus: meiere enim vitiatas statim cogit. Gestatus prodest intercute tumidis. Dilutus aqua, dentes vacillantes firmat. Per suffitum prouocat menstrua, & serpentes fugat. *Marbod. Rueus. Plin. li. 37. Agr. foss. 6. Cardanus. Marbod. Rueus. Ion.*

40 Tecolithos colore similis oliuæ nucleo. Solutus aquis, C & cum vino potus, renibus calculo laborantibus auxiliatur. Frangit enim & dissipat calculum. Purgat etiam harenas, quibus vesica infestatur. *Agr. foss. 4. Marbod.*

41 Multæ gemmæ varij sunt coloris, vt iaspis, achates, aetites, quæ vno nomine ob varietatem colorum diuersas gemmarum species videntur complecti. Iaspis aut viret, smaragdique imitatur colorem, aut glauco pingui est similis, aut in viridi pallet: calaidi similis, aut vt cœlum serenum, cœrulea est, aut cœrulea lacte suffusa, aut purpurea, aut ex purpura cœrulea, aut in rubro nigri coloris, aliásque etiam differentias sor- D titur. Mirificè lucet, & sæpius non translucet. Atque in hoc differt à gemmis perspicuis, quarum speciem gerit. Noxia phantasmata expellit. suo adhæsu stomachum firmat. Mulieribus menses cohibet, drachmæ pondere deuorata: sanguinem sudoremque compescit: hydropem & febres arcet: venereorum petulantem appetentiam retundit: sanguinem vndequaque fluentem, collo appensa cohibet: pellit inanes cogitationes, quæ ex sanguinis impetu procedunt. *Plin. 37. Agr. foss. 6. Rueus.*

47 Achates varia est, non solùm coloribus, sed etiam rerum

imaginibus, quas repræsentat ab ipsa quidem natura formatas: ita enim discurrunt venæ & maculæ, vt modò plumbum exprimant, modò cornu, modò arbusculam vnam, duas, pluresúe, vt interdum nemus appareat, nunc verò flumina, esseda, equorum ornamenta, species etiam volucrum reddunt, iumentorum & hominum. Color autem achatæ est aut niger, aut fuscus, aut cinereus, aut similis corallio, pelli hienæ, pelli leonis, pelli pantheræ. Contra araneorum & scorpionum ictus valet Sicula, Cretica, Cypria, Indica, Ægyptia. Phrygia verò vires non habet. Visum fouet: cor recreat: sedat sitim: sobrium, continentem, cautum, & solicitum gestantem reddit: ideò ad diuitias conducit. Si teratur cum aqua, & illinatur morsui venenato, auertit venenum, præsertim scorpij, viperarum, & huiusmodi venenatarum bestiarum. Tertianis item & quartanis febribus vtilis.

Plin. li. 37. Epiphan. Agri. fos. 6. Cardanus. Rueus.

43 Aetites dictus vel à colore aquilæ candicante cauda, vel quòd in aquilæ nidis reperiatur. Est verò vel candidus, vel galæ colore, vel subrutilus, vel in rutilo niger. Quantitas aetitis magis varia est. Etenim alijs est magnitudo mali Armeniaci, alijs Persici, alijs Punici, alijs melonis. In concaua parte tanquam in aluo continet aut terram, aut arenam, aut lapidem. Omnis aetites exiccat, quidam etiam adstringit. Qui lapillum in aluo continet alligatus sinistro grauidæ mulieris brachio, fœtum, ne vuluæ lubricæ excidat, continet: sinistro parturientis femori, ita adiuuat eam, vt sine doloribus pariat.

Plin. li. 37. Agri. fos. 4. Rueus.

44 Alectorius lapis in ventriculo capi reperitur, obscuro crystallo similis & colore, & substantia, nisi quòd paulò crassior apparet. Non excedit fabæ magnitudinem. Sitim ac cordis æstum arcet, ore inclusus. Honores acquirit & conseruat, & facundiam præstat, & robur inuictum. Mulieribus virorum gratiam conciliat.

Pictorius. Rueus.

45 Chelidonius in ventriculis hirundinum iuuencularum inuenitur, si mense Augusto ante plenilunium aperiatur. Ei figura est globi ferè dimidiati, semperque intus caui. In eminentia plerunque rauo, sed diluto colore: in caua purpureo, nigris interdum interpellantibus maculis. Atque ob id duæ species videntur esse. Additur ad oculorum collyria. De collo puerorum si suspendatur, ad comitiales morbos auertendos

Agri. fos. 6. Marbod. Rueus.

vtilis

A vtilis. Febres extinguit, compescit humores & furores, & negotijs susceptis prosperum dat successum. Probatissima, quæ aureis guttis insignitur.

46 Sardonix, quòd sardę & onychis refert colores, ab illis nomen accepit. Huius superficies colore multùm variat: aut enim egregiè rubet, aut obscurè & dilutè, aut mellea est, aut feculenta. Substratum etiam variat. est enim vel vngui humano simile, vel corneum, vel cereum, vel albis circulis ornatum, vel zonis diuersicoloribus, vt aliquam similitudinem habeat ad arcum cœlestem. Quæ autem sardoniches translucent, cæteris præstant: quæ non translucent, viliores sunt. At omnibus translucidis antecellit ea, cuius superficies egregiè rubra, radix candida. Sigillis est aptissima, sicut sardius, & carneolus: quia ceram conuellere nescit. Aduersus venerea pollet, & animi fastum.

Plin. li. 37. Agri. fos. 6. Pictor. Rueus.

B

47 Opalus præstantissimos quoscunque colores gemmarum reddit, idque eximiè & cum præcellentia. Nam carbunculum flamma vincit, amethystum purpura, & smaragdum gramineo virore. Est in ea, inquit Plinius, carbunculi tenuior ignis, & amethysti fulgens purpura, & smaragdi virens mare, atque cuncta pariter incredibili mixtura & splendore. Magnitudine nucem auellanam non excedit. Tanto autem in precio & æstimatione olim fuit, vt Nonius senator maluerit solum vertere, & dignitate senatoria priuari, quàm insignem vnam, quam habebat quinquaginta aureorum millibus æstimatam, petenti M. Antonio tradere. Visui maximè vtilis deprehenditur.

Plin. li. 37. Pictor. Cardanus.

C

48 Magnes, qui & siderites, atque Heraclius lapis dicitur, ferri impoliti speciem præ se fert. Differentes tamen colores habet: aut enim niger est; aut in nigro cœruleus, aut in nigro rufus, aut contrà in rufo niger. Optimus, cuius color inclinat ad cœruleū, qui spissus est, nec valde grauis. Differunt spissitudine & raritate. Nam alij toti densi sunt, & similes smiridi: alij aliqua parte rari, & velut exesi, pumiciq. similes. Differunt viribus: etenim quidam validè ad se attrahunt ferrum, & eius aciem, quos mares nominant: aliqui parum validè, quos fœminas. Optimus magnes non modò ad se trahit & tenet ferrum, sed etiam vim suam in id ita transfundit, vt possit aliud ferrum, quod appositum fuerit, apprehendere & tenere.

D

Itaque & ipse plures annulos sparsim locatos ad se allicit; atque ita tenet vt de eius corpore pendeant omnes: & cùm vnũ aliquem ad se traxerit, cum eo sic communicat vim suam, vt alium iuxtà positum tenere possit, atque is rursus alium, quo modo annulum annulo necti videmus, & quandam quasi cathenam ex eis fieri. Sed magnes non attrahit ferrum, si fuerit rubiginosum, aut impurum, aut oblitum allij cæparumúe succo. Nec verò minus adamas eius viribus resistit: si enim iuxta ferrum ponitur, non potest magnes id ad se allicere, aut si iam traxit, quamprimum adamas verus & efficax fuerit appositus, ipsum dimittit. Quinetiam magnes, si diu ferro, aut eius vena careat, aliquam virium suarum iacturam facit: quod ne fiat, squama ferri est obruendus, eaqúe fricandus. Postremò pars pura magnetis validius, quàm impura trahit ferrum. Naturaliter etiam ad Arcton se vertit. Præbet vsum omnibus, qui necesse habent considerare horas diei, nautis, qui partes mundi, metallicis, qui easdem, cùm de venis, quorsum tendant, solliciti sunt. Magnetis vsus ad nauigationes Amalphi adinuentus fuisse perhibetur. Theamedes vim magneti cõtrariam habet, abigit enim à se ferrum. Magnes potus trioboli pondere in succo fœniculi, hydropicis aquam detrahit: item ferro intoxicato vulneratis præsenti remedio subuenit. Oculorum medicamentis vtiliter imponiur.

Aug. de ciuit. 21.
Plin. li. 37.
Agri. fos. 6.
Rueus li. 2.
Iou. hist. 25.

49. Corallus siue corallium, qui & litodendros dicitur, partim quòd in lapidem conuertatur, partim quòd arbuscula sit, frutex est sub aqua marina, viridis & mollis, baccas habens similes coruis natiuis specie & magnitudine, molles etiam atque candidas. At resectus statim in aere duratur. quoniam cũ primùm in aerem profertur, solet lapidescere, Gorgonia nominatur: sicut Plinius inquit, Gorgonia nihil aliud est, quàm corallium, quòd in duritiem lapidis mutetur. Corallio non vnus color: inuenitur enim rubrum, subrubrum, candidum, nigrum subuiride. attamen priusquam retibus fuerit euulsum, aut ferro præcisum, viride videtur omne. Quod ad saporem attinet, modicè adstringit: quod ad odorem, ferè alg̨e instar olet. Multas differentias sortitur: aliud enim molle, aliud durũ, aliud solidum, aliud fistulosum, aliud politum, aliud scabrũ. Quoddam plures habet ramos, quoddam paucos. In medicina exiccat & adstringit, atq. refrigerat. Cum aqua potum, sanguinem

A guinem excreantibus medetur, & torminum malis. Medici eligũt rubrum, quod algæ instar olet, quod facilè teritur, quod æquabiliter concreuit, quod ramosum. Rubrum, si sanus homo gestat, colorem retinet: sin ægrotus, mutat: sed is redit, globulis pane madefacto lauatis. Gestatum sic, imminentes morbos præmonstrat. Cor, ventriculum, & iecur confirmat, sanguinem æquat, & eo pacto hilarem hominem efficit. Epotum auxiliatur renum calculosis affectibus. sanguinem sistit. gingiuarum & dentium medicamen præstans. Eius puluis ab initio datus infanti, pondere granorum decem, illum à comi-

B tiali morbo tutum reddit. Cinis eius si misceatur oculorum medicamentis, refrigerat. Vlcera caua explet, cicatrices extenuat. Probatissimum, quammaximè rubens, & quàm ramosissimum, non scabrosum, nec lapideum, nec rursus inane aut concauum.

Plin. li. 37. *Agri. fos. 4.* *Cardanus.* *Marbodæ.* *Pictorius.*

50 Succinum ab antiquis electrum, procedit ex nobilissimo terræ succo, viribus haud absimili balsamo, odorem suauem & fragrantissimum spiranti. Tria potissimùm colorum genera, candidum, pellucidum, obscurum, seu confusum ac mixtũ ex varijs coloribus. Candidum cæteris præfertur, quia abso-

C lutius & efficacius, atque odoris præstantioris. Singularis etiam dulcedo ei inest: reliquis vel exigua, vel nulla prorsus. Omne autem genus in candidum verti potest, si iustam in mari trahat moram: vetustate enim albedinem & consummationẽ acquirit. Eius ramenta in suffitus pro thure assumuntur, vt fœtidum & pestilentem aerem corrigant. In medicina calefaciendi, siccandi, & glutinandi vim obtinet. Lymphationibus prodesse, ac lotij difficultatibus, in polline exhibitũ: albos menses, stomachi fluxiones, ventrisque profluuia sistere, crebro experimento cognitum. Cor & cerebrum vel odoris præstantia

D propalàm recreat. Ex melle teritur ad oculorum humiditates consumendas. Pestem, & omnia venenorum genera arcet. Stridere dicitur, quando venenum ei superfunditur. Tremori cordis insigniter medetur. sistit sanguinem vndecunque profluentem. sistit ventriculi vomitum, aluiquè fluores atque fluxiones, quibus vlcera infestantur. Sistit præterea capitis destillationes, atque ita tonsillis & faucium vitijs resistit. Quin verò roborat viscera, & cæteras corporis partes, si humoribus non redundauerint. Cum vino potum, hominem tuetur à morbo

comitiali, & à neruorum resolutione, conuulsione, distensione. stomachi dolores sedat. calculosis, & dysuria laborantibus, & difficulter parientibus prodest. doloribus dentium medetur. vuluę procidentiam suffitu in locum suum restituit. ictericis etiam prodest & in suffitu, & in potu, si tritum in vino exhibeatur, præsertim quando ex obstructione causatur icterus. attritum & calefactum, festucas, quisquilias, & leuissima quæque allicit & attrahit, præter ocymi surculos, & quæ oleo perfusa fuerint. Coram toxico madet perinde ac adamas. Eius oleum vetustate inspissatur, & crassius redditur, posteaquam tenues & igneæ partes exhalarunt. Ætate etiam lentescit, vt ad bituminis liquidioris consistentiam redire videatur. Est autem duplex succini oleum, nigrum, ruffescens, album: hoc inter omnia tenuissimum & præstantissimum, ad omnis generis obstructiones aperiendas peridoneum, ad epilepsiam, paralysim, vertiginem, calculum tam vesicæ quàm renum accomodatum. Odore restituit syncope, vertigine, vel epilepsia correptos.

Plin. 37. Agri. fos. 4 Cardanus. Gœbelius de succino. Rueus.

QVINQVAGENARIA *QVARTA,*

DE LVXV ET GVLA, AC potorijs certaminibus.

Blandum malum Luxuria, & cibi potusq́ intemperies. Gratiosa pernicies deprehenditur, quas accusare aliquanto facilius est, quàm vitare, quòd hominum cupiditatibus effusè blandiantur & suauiter obrepant animis: sed cum his vitijs & virtus atteratur, parta gloria in infamiam conuertatur, animi & corporis vires eneruentur, leges honestatis expugnentur: nihil nec fœdius, nec damnosius inueniri potest, & vt Valerius habet, planè nescias, ab hostibúsne, an ab illis capi, perniciosius habendum sit.

Persa-

A PERSARVM luxus maximus fuit, præcipuè in aulis regum. Insignia enim, quæ capiti imponebãt reges, ex myrrha & labyzo, multò preciosiore myrrha, confecta erant. Cùm de curru descendebant, neque desiliebant, neque manibus hominum fulciebantur, sed aurea sedes semper substernebatur, in quam pedem ponebant. Mulieres trecentæ eos obseruabant, quæ die quidem dormiebant, nocte lychnis accensis canebant, & citharam pulsabant. Ex aula exeuntes illi, per medios satellites super Sardiacis tenuibus tapetibus incedebant: vbi ad extremã B aulam peruenissent, ascendebant in currum aut equum. Quòd si ad portum exirent, aderant pellices circumstantes. Thronus, in quo ius dicere consueuerant, erat aureus, circa quem quatuor columnæ lapillis preciosis distinctæ, inter quas purpurea vestis variegata extendebatur. Supra caput regij lecti domicilium quinquecliniũ erat, in quo quinque millia talentûm auri semper iacebant, quod regium puluinar vocabatur. Pedes lecti aliud domicilium habebant, vbi tria millia talentûm argenti erant posita, quod regium subsellium dicebatur. In cubiculo vitis erat aurea supra lectum lapillis preciosis ornata, quæ *Athen. li. 4* C racemos ex lapillis æstimatissimis pensiles habuit. In Perside septuaginta fontes erant, ex quibus nulli licebat præterquam soli regi bibere, & seniori ex ipsius filijs. Cultu duodecim millium talentorum quandoque vsi sunt, quæ septem milliones & ducenta millia aureorum efficiunt.

2 Athenienses in conuiuijs solutioribus inuicem propinantes cyathos amicitiæ, & cyathos amoris, & cyathum Demetrij *Athen. li. 4* nominatim poscebant singulis potionibus, ita vt quaternos a- *Bud. de aß. 5.* micitiæ, ternos amoris, & cyathum preterea Demetrij vel Antigoni quisque ebibere deberet.

D 3 Lydi viridaria ob delitias parantes, eáque hortos efficien- *Athe. lib. 12* tes, in vmbra nutriebantur: maximè ad delitias spectare putantes, si radij Solis eos prorsus non attingerent.

4 Effœminatissimi Cyprij fuêre, qui reginas suas mulierum corporibus velut gradibus constructis, quo mollius vestigia *Volater. 9.* pedum ponerent, currus conscendere æquo animo sustinebãt. tam delicato imperio viros posse parêre, gentem luxu perditam & maximè inertem, ostendit.

5 Iones inertes, molles, & multis voluptatibus dediti fuêre.

Primi vnguenti,coronarumqúe, & secundæ mensæ consuetu- A dinem inuenêre. Lasciuam etiam musicam habuêre. Molliter incedere,sumptuosè vestiri,liguritionibus, temulentijs,cupedijs indulgere adeò soliti sunt, vt ob voluptatum exuperantiam in prouerbium abierint.

Plu.in uit. Athe.li.12.

6 Colophonij ita in absurdam voluptatem soluti sunt, vt eorum nonnulli neque orientem solem,neque occidentem vnquam conspexerint,legemqúe tulerint,vt cantatriculæ,ac tibicinæ, omniaqúe huiusmodi, quæ audiuntur à matutino tempore in meridiem, mercedem caperent, ac ad lucernarum tempus cessarent,ex quo reliquam noctis partem circa ebrietatem B versabantur. Capillis aureo ornamento incedebant. Mille viri ex eis stolas purpureas gestantes per ciuitatem deambulabant,cùm id vestimenti genus & apud reges rarissimum esset, & magnificum: nam purpura æqui ponderis argento, eodem emebatur precio. Cùm ob hanc vitæ rationem in tyrannide seditionibusqúe constitissent,cum patria ipsa perierunt.

Athe.lib.12.

7 Cyrenenses vsqueadeò luxu se inquinârunt, vt cùm Platonem accersissent,vt sibi leges poneret, ipse recusarit, propter consuetam & inde vsque ab initio durantem lasciuiam. Adeò sumptuosè vestiri solebant,vt contemptissimi & abiectissimi C apud eos decem mnarum baltheos habuerint.

Aelian. de var.hist. 12

8 Tarentini in tantum delitiarum deuenerunt, vt totam cutem leuem facerent,nuditatisqúe eius reliquias sacrificarent. Gestabant omnes texturam pellucidam vestium. Cùm vnam Iapygum ciuitatem Carbinam extorrē fecissent, ex ea pueros, virgines, mulieresqúe luculento corporis habitu congregantes,nudos per diem in sacris Carbinatarum septis conspiciendos præbuerunt. A summo manè poculis indulgere mos erat, & in medio plenoqúe hominum foro inebriari. Pyrrhus ab illis in defensionem suam vocatus, cùm eò venit,clausit gymnasia & deambulatoria, in quibus spaciantes verbis tantùm mi- D litabant.potus etiam & lasciuias intempestiuas inhibuit. Multi ex vrbe tunc migrarunt, seruitutem vocantes non viuere ad voluptatem.

Athen.li.4 Plut. in Pyrrh. Zonar. annal.2.

9 Sybaritæ,artes,quæ strepitum facerent,extra ciuitatem eiecerunt,veluti fabrorum, ærariorum,& lignariorum,horúmq. similium,vt quietè somnum capere possent. ob id etiam gallos in ciuitate nutrire nō licebat, quia cantu suo à somno plerumque

A rumque excitant dormientes. Qui inter eos opulentiores erant, cùm rus ibant, vnius diei iter per triduum perficiebant, quamuis vehiculis vterentur. Quidam vias, quæ in agros ducebant, coopertas habuêre, ne Solis æstu adurerentur. Faciebant complura frequentiáque conuiuia publica, & aureis coronis decorabant, qui splendidißimè parauerant, quos etiam per præcones in publicis sacrificijs celebrabant, & in certaminibus non beneuolentiam ingentem, sed sumptum in cœnas factum exponentes. in quibus etiam coquos bene cibos condientes, & epulas exquisitè parantes coronabant. Si quis ob-

B soniorum artifex, aut coquus edulium aliquod magnificum inueniſſet, nulli alij per annum id facere licebat, quò ille, qui primus reperiſſet, per id tempus quæstum ex eo faceret. Legem sanxerunt, vt mulieres ad festa vocarentur, atque eas, quæ inuitarentur ad sacrificia, oportebat per annum apparatum comparare, quo vestium aliusqúe mundi muliebris exquisitissimum ornatum facientes, magnificè in conuentus adducerentur. Equos in conuiuia introducebant, ita institutos, vt audito tibiæ cantu statim se attollerent, & pedibus anterioribus gestus quosdam chironomiæ, motusqúe ederent ad numerum

Athen. li. 33
Plut. in conuiu. sap.
Politia. in miscel.

C saltatorios.

10 Vsinei Tyrrhenorum antiquißimi in luxum & delitias adeò sunt delapsi, vt reipublicæ administrationem & bella gerenda seruis commiserint, eòque tandem illos euexerint, vt ipsi opibus atque animis elati, sese in libertatem assererent, & magistratus gererent, dominas suas vxores ducerent, dominis succederent, omnemqúe authoritatem in se transferrent. Illi rerum potiti iniurias à dominis acceptas maxima cum petulantia vindicarunt.

Zonar. annal. 2.

11 Antiqui Romani cùm hilariori conuiuio sese ad potus so-

D lutiores inuitabãt, tot cyathos haustibus singulis ebibere soliti sunt, quot erant literæ in nominibus amicarum. à quo more Epigramma Martialis emanauit:

Gellia sex cyathis, septem iustina bibatur,
Quinq; Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.

Sed post victorias de ferocißimis populis adeò Romæ exundauit luxus, vt lecti mulierum toti operirentur argento, & triclinia quædam: cuius rei author dicitur fuiſſe Pollio, eques Romanus. Idem & aureos fecit lectos. Lances centenis libris

argenti factæ ſunt. quæ omnia expiauit ciuile bellum Syllanum: paulò enim antè hæc facta ſunt. Tales autem lances tūc Romæ fuiſſe conſtat ſupra quingentas, & multi ob eas proſcripti ſunt dolo concupiſcentium. Temporibus Auguſti adeò luxuria creuit, vt gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam & libertatem ſuam venditarent, pleriqueex plebe Romana vino repleti in comitium venirent, & ebrij de reipub. ſalute conſultarēt. Tempore Traiani ſolitum fuit ſolidos apros inter fercula epularum apponere, etiam in quotidianis luxurioſorum epulis. Solitum etiam ficis aridis ſues ſaginare, & mulſum ijs obijcere. huiuſmodi verò ſues ex vinarijs petebantur. Imperatores Romani ante Theodoſium parum ſe lautos putabant, niſi hibernæ poculis innataſſent roſæ, niſi æſtiuā glaciem in capacibus gemmis falerna vina fregiſſent. Eorum gulæ anguſtus erat noſter orbis: namque appoſitas dapes non ſapore, ſed ſumptu iudicabant. Cuiuſdam etiam principis nō prandia, ſed fercula ſæpe ſeſtertiûm millies æſtimata: tum veſtis ſtragula, menſæqúe, ac citharæ eburneis pedibus inſidentes, inæſtimabili cenſu comparatæ, epulæqúe lautiores, & præter epulas pſaltriæ, ludiones, & alia conuiuijs oblectamenta inuenta ſunt. Hinc peregrina obſonia quæſita. Illis ſolus cibus placebat, quem extremus Oriens, aut famoſa naufragijs maria miſiſſent. Tanto etiā omnium ſtudio ludi theatrales æditi Romæ, vt triginta amplius dies ſepoſitis negotijs ijs impenderint Romani.

Plin. li. 33. Macrob. Satur. 3. Sigon. de occid. Imp. 16 Bud. de aſſ. 5.

12 Braſsilienſes cùm ſuos captiuos mactant, conuiuium inſtituunt, in quo per tres dies, totidemqúe noctes potationi vacant: nec exſorbere ceſſant, donec omnia vaſa euacuauerint. Inter bibendum autem nihil prorſus comedunt: nec minus ſingulis hauſtibus abſorbere ſolent, quàm tres ſextarios: & qui bibere vſque ad finem recuſarit, infamis & effœminatus habetur.

Lerius hiſt. Braſſ.

13 Aimarus Babyloniæ rex tanti luxus fuiſſe proditur, & tā profundæ gulæ, vt ſtola muliebri amictus, mero & vnguento madens, centum & quinquaginta pſaltrijs ſaltantibus & canentibus comitatus, magnis effuſionibus cœnitaret.

Volaterr.

14 Mortuo Calano Indo philoſopho, eius exequias cū celebraret Alexander Macedonum, meri certamen inſtituit inter alios ludos. In eo certamine primum præmium erat talentum,

ſecun-

A secundum minæ Atticæ triginta, tertium decem minæ. Ex ijs, qui vinum biberunt, triginta quinque continuò ob ingens obortum gelu interiêre, sex modico interposito interuallo in tentorijs inuenti sunt mortui. Qui plurimùm bibendo vicit, meri quatuor choas hausit, promachus ille dicebatur, qui triduo tantùm post egregiam illam victoriam superuixit.

Aelian. de var. hist. 2

15 Dionysius iunior, Siciliæ tyrãnus, choam bibenti in Choũ festo, auream coronã præmiũ posuit. Primus Xenocrates philosophus ebibit eam, ideo coronam tulit, quam Mercurio dicauit. Cùm ipse Dionysius ad Locrorũ vrbem accederet, quæ B maxima foret in ciuitate domus, hanc serpillis rosisquè sternebat, pòst Locrorum virgines accersebat, nudusquè cum nudis, nulla pudoris ratione habita, super stratis conuoluebatur. Ebrius aliquando fuit per dies 90. continuos. Eius socij, qui in omnibus suis factis illi adulabantur, se non cernere fingebant, ac manu duci à Dionysio petebant. Epulas etiam appositas & calices se non cernere mentiebantur.

Aris. in pol.

16 Mithridates in gratiam rediens cum Ariobarzane Cappadocum rege, conuiuium præbuit, in quo certum auri pondus proposuit ijs, qui bibacitate, vel edacitate, dicterijs, cantu, cæ- C terisq. solennib. ludicris vincerent. Cùm in certamine vicisset, præmium ei reliquit, qui post se iudicatus fuit primus.

App. in Mithrid.

17 Maxima cum ambitione Nicocles Cyprius, & Straton Sidonius rex contenderunt, vter suauiorem & pigriorem vitam ageret. nam cùm alter de alterius rebus ab ijs, qui adueniebãt, audiret, aut in domorum apparatu, aut sacrificiorum munificentia superare nitebatur. Cœnantibus adstabant multæ mulieres musices peritæ, tibicines, saltatrices, citharistriæ, & lupæ decora facie, quæ illos cupedijs intentos exhilarabant. Eas ex Peloponneso, ex Ionia atque vniuersa Græcia accersebant, D quarũ alias saltantibus amicis, alias canentibus præmium certaminis proponere solebant.

Athe. lib. 12
Aelia. li. 12.

18 Antiochus Epiphanes, cùm locuples ærarium ab antecessoribus regibus relictum haberet, ad comessationes ebrietatésque conuersus, multa absumpsit. reliquam pecuniam per diem lasciuiens inutiliter consumebat, aliquando verò in vijs publicis consistens dicere solebat, Cui fortuna dedit, accipiat. Tum pecuniam proijciens, abibat. Sæpius coronam ex rosis compactam habens in capite, aureóque textili in-

Ael. lib. 7.

dutus circumibat, lapides habens ſub ala, quibus ſuos ponè A ſequentes percutiebat. Lauabat in lauacris publicis, vnguentis perfuſus. Sæpe veſtem regiam abijciens, paludamentúmq. accipiens, abibat in forum. Cùm certamina in Antiochia conſtituiſſet, & omnes Græcos, & alios qui vellent, ad ſpectaculũ conuocaſſet, multisqúe ad exercitationem accedentibus, omnes aureis vaſis excepit, croceóq. vnguento, & ex cinamomo tum nardino, amaracinóque, & liliorum. Cumqúe eos ad conuiuium vocaret, aliquando mille triclinia, aliquando mille & quinquaginta, ſumptuoſiſsimo apparatu replebat, omníſque miniſterij conatus fiebat per ipſum. nam in ingreſſu conſiſtens, B alios introducebat, alios iubebat diſcumbere, ipſeqúe miniſtros introducebat, qui portabãt fercula. Tum locum circumiens alibi aſsidebat, alibi concidebat. Mox fruſtum panis deponens, nunc poculum, exiliebat, ſurgebat, ſympoſiumqúe circumibat, porrectas aliquando ab alijs propinationes excipiẽs: nunc verò cum recitatoribus ludebat, totusqúe velatus inferebatur à mimis, atque in terram deponebatur. Concinnitate deinde euocante rex exiliebat, tripudiabatqúe, & iocabatur cũ mimis, verſabatur cum viris popularibus nullo habito delectu, atque cum viliſsimis peregrinis bibere conſueuerat. Sæpe regia veſte depoſita, lacernâque aſſumpta, forum circumibat, populi gratiam aucupatus: atque hos quidem dextra apprehendens, illos autem complectens, vt ſibi ſuffragia donarent precabatur. Sæpius inſuper ædilis fiebat, ſæpius velut tribunus plebis.

Athen. li. 5. C

19 Philippus Macedonum rex, cùm eſſet bibax, & moribus intemperans, multos ſemper ſcurras circum ſe habebat, multóſque muſicos, ac ridicula dicentes. Semel Athenienſium legatos ad cœnam vocauit: cùm illi ſeceſsiſſent, ſtatim tibicinas, citharœdum & tubicinem, tum quoſdam alios ſolitos ſecum bibere aduocari iuſsit. Cùm verò totam noctem bibiſſet, plurimumqúe eſſet temulentus, ac pulſaſſet, omnes alios diſcedere iuſsit. Iam die aduentante, petulanter ſe geſsit erga Athenienſium legatos. Cùm ebrius fieri decreuiſſet, dicebat, Oportet bibere, ſatis eſt vt ſobrius ſit Antipater.

Athe. li. 10. D

20 Alcibiades adeò in delitijs & omni genere luxus ſibi placuit, vt cùm in Ionia eſſet, magis delicatus ipſis Ionibus videretur. Cùm pulcherrimus eſſet aſpectu, comam per plurimam æta-

A ætatis partem nutriuit. Calceos varios gestauit, qui ab ipso postea alcibiades dicti sunt. Vbi ludos edebat, cũ pompa purpuream vestem gestabat. vbi peregrinabatur, quatuor ex socijs ciuitatibus tanquam socijs vtebatur. Scenam Persicam illi faciebãt Ephesij, equis eius pabulum præbebant Coi, sacra ministrabant in sacrificia & carnium diuisiones Cyziceni, vinum Lesbij suppeditabant, cæteráque omnia quæ spectant ad victum quotidianum. Cùm exercitus dux esset, vt pulcher appareret studuit. Scutum habebat ex auro eboréque confectũ, in quo erat insigne, amor, qui fulmen flexerat. *Athe. lib. 12*

B 21 Straton, Sidonius rex, omnes homines voluptatis deliciarumqûe studio superasse dictus est. Conuentus cum tibicinis, saltatricibus, ac citharistis faciebat, multásque amicas ex Peloponneso accersebat, complurésq. cantatrices ex Ionia, atque ex vniuersa Græcia amicas puellas, quarum alias saltantibus, alias canentibus amicis præmium certaminis proponere solebat, quibus cum etiam coire sæpius delectabatur. Et hæc magis faciebat ob Nicoclis æmulationem. *Athe. li. 12,*

22 Demetrius Phalereus, cùm Athenis reipub. administrandæ præesset, & mille ac ducenta talenta quotannis in potestate C haberet, minimam partem ex ijs in stipendia militum & reliquas reip. necessitates insumebat. maximam verò partem luxuriosè dilapidabat, epulis quotidianis, lautis & opiparis quamplurimos conuiuas accipiens: cænationum pauimenta singulari artificio vermiculata, etiam vnguentis perfundi curabat: capillos capitis vnguentis fuluos faciebat, alijsqûe vnctionibus in facie vtebatur, quoniam maximè adpetebat, vt aspectu iucundus ac suauis obuijs haberetur. Tot erant fercula, tam varia ac sumptuosa, quæ parabantur in eius cœnis, vt coquus, cui reliquiæ donabantur, duobus annis ex ijs tres vi- D cos coemerit. *Athe. li. 12.*

23 Demylus gulosus & vorax fuisse perhibetur adeò, vt in hac re cæteris suæ ætatis anteferretur. Cùm ipsi & Cindoni glaucus piscis appositus fuisset, nihilq. præterea aliud, ac Cindon oculum arripuisset, Demylus in illius oculum iniecta manu vim intulit, inquiens, Dimitte, & ego dimittã. Cùm in cœna boni obsonij olla fuisset apposita, ac nesciret Demylus quo pacto solus posset comedere, in ipsum conspuit. *Athen. li. 8*

24 Gatys Syrorum regina ita fuit obsoniorum studiosa, vt per-

præconem fieri edictum iusserit, ne quis pisce sine Gatyde vesceretur. Et quia adeò cupidè pisces deuorabat, cùm à Mopso Lydo capta fuisset, in Ascalonis stagno immersa fuit per contumeliam, & à piscibus deuorata. A

Athe. li. 8. Volat. 32.

25 Chœrilus poeta, cùm minas quatuor singulis diebus ab Antiocho rege acciperet, has in obsonio absumebat.

26 Inter heroas plurimùm solebat bibere Nestor. vel magno bello ingruente non à potationibns abstinebat. Cuius etiam solius poculum inter heroas nomen habuit, sicut scutũ Achillis: nam militabat ille cum poculo, non aliter quàm cum clypeo ille. B

Athe. li. 10.

27 Philoxenus gulosus, & ventri deditus, cùm olla coqueretur in caupona, tantisper delectabatur, & seipsum odoris conuiuam præbebat: cùm verò magis magisqúe appetitus irritaretur, neq. deprauatæ naturę frenos inijcere posset, iussit filium ollam emere. qui cùm responderet, cauponem eam magno precio vendere: Eò suauior, inquit, & iucundior erit, quò maiori precio eam emero. Lotus alienas domos ingredi solebat, pueris illum sequentib. ferentibúsque oleum, vinum & acetum. quæ ibi cocta inueniebat, alijs exquisitiorib. condimentis apparabat, & decumbens comedebat. Ad ciborum fruitionem C gruis collum habere à dijs precabatur. Polypum duorum cubitorum, quem prius parauerat, totum comedit præter caput: vnde in lethalem incidit morbum.

Athe. lib. 10

28 Nyseus, prioris Dionysij filius, cùm factus esset Syracusanorum dominus, quadrigas parauit, vestémq. variam induit. obsoniorum voracitate ac ingluuie delectatus, cùm cognouisset se paucos menses victurum, noctes diésque ebrietati indulsit.

29 Anaxarchus adeò luxui & gulæ deditus fuit, vt puellam, quæ ad puberem ętatem accedebat, quæqúe aspectu pulcherrima erat, habere voluerit, vt nuda potum ministraret. Eius pistor dum farinam subigebat, chamum circa os habebat, & chirothceas in manibus, ne aut sudor decideret, aut in farinam subactam inspiraret. D

Athe. li. 12.

30 Aristippi vita in omnibus delitijs, vnguentorúmq. magnificentia ac luxu & vestium & mulierũ fuit occupata. Perditissimæ gulæ fuit, qui neque præteritarum fruitionũ rationem habebat, neque spem futurarum; sed in instanti tantùm

volu-

A voluptatem consistere aiebat. nam voluptatis recordationẽ, aut spem eius percipiendæ nihil ad se spectare, & nihil lucri adferre asserebat: quoniã illud haud esset amplius, hoc nondum esset, ac plerunque incerti euentus.

Athe. li. 12. Volat. li. 32

31 Smindrides Sybarites eò luxuriæ & intemperantiæ processit, vt cùm procus ambiret Clistenis filiam, Sicyonem profectus, mille coquos totidémq. aucupes, atque mille piscatores secum duceret.

Aelia. li. 12.

32 Duronius Romanus adeò luxui deditus fuit, vt legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam tribunus plebis abrogarit, tanta cum impudentia, vt rostra conscendens in hæc verba prorũpere ausus sit: Freni sunt vobis iniecti, Quirites, nullo modo perpetiendi: alligati & constricti estis amaro vinculo seruitutis: lex enim lata est, quæ vos esse frugi iubet: abrogemus igitur istud horrendæ vetustatis rubigine obsitũ imperium. Etenim quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet? Tam importuna & odiosa hæc vox Romanis auribus fuit, vt propter eam è senatu motus fuerit.

Valer. li. 2.

33 C. Sergius Orata pensilia balnea primùm facere instituit, ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet. peculiaria sibi maria excogitauit, æstuarijs intercipiendo fluctus, pisciúmque diuersos greges separatos molibus includendo, vt nulla tam sæua tempestas incideret, qua non Oratæ mensæ varietate ferculorum abundarent. Ædificijs etiam spaciosis & excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus presit, quo recentiore vsu conchyliarum frueretur.

Valer. li. 9.

34 Lucullus, reip. in fensus, cũ priuatæ vitæ se dedisset, ædib. & prætorijs extruẽdis, hortis & cœnationib. amœnissimis incredibili sumptu paratis, & quotidiano epularũ apparatu vsque ad vitæ exitũ insanijt. Ordinatas ita cœnationes habebat, vt taxata cœnarum summa vnicuique loco esset. Solebat autẽ cœnare in Apolline 50000. nummûm, quæ 1250. aureos valent. Sæpe ex improuiso mille hospites habuit, quos lautè ac magnificè, quasi cœnam indixissent, tractauit. Nunquam enim ei defuêre exquisitæ dapes. Turdos in æstate asseruabat. Piscinas ad mare habebat, in quas maritimum flumen, cũ vellet, & maris æstum quotidie ab ortu lunæ ad nonam proximam inducebat tali arte, vt non solùm introire, sed redire etiam in mare posset, & ita piscinas refrigerare.

Plut. in vi. Volat. li. 32 Bud. de ass. 2.

Pli. lib. 33. Plutarch. Sabell. Bud. de aß. 5.

35 Antonius triumuir aureis vſus eſt vaſis in omnibus obſcœnis deſiderijs: ita in contumeliam naturæ, vilitatem auro fecit. Anni vnius ſpacio ducenta talentorum millia Aſiæ tributis exacta conſumpſit. A

Suetonius. Plin. li. 14 Bud. de aß. 2. Iou de piſc. Rom.

36 Tiberius Imp. vini potum cibos præcedere edicto inſtituit. Tale autem vini deſiderium & amorem ab adoleſcentia habuit, vt in caſtris, dum tyro adhuc eſſet, pro Claudio Caldius, pro Tiberio Biberius, pro Nerone Mero appellaretur. Sæpiſsimè biduo integro potabat, & duas noctes. Ad imperium euectus, L. Piſonem ad vrbis Romæ gubernationem delegit, quòd biduo duabusqúe noctibus potationem continuaſſet. B

Athen. li. 1

37 Apicius Tiberij tempore vixit, qui Romæ ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſeculum infecit. Cùm ſeſtertiûm millies, id eſt, vicies quinquies centena millia coronatorum in culinam congeſsiſſet, cùm tot congiaria principum, & ingens Capitolij vectigal ſingulis comeſſationibus hauſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primùm coactus inſpexit, ſuperfuturum ſibi ſeſtertiûm centies computauit, & velut in vltima fame victurus in ſeſtertio centies, ne frugalius ſolito viuere cogeretur, veneno hauſto mortem ſibi conſciuit. C

Suetonius.

38 Conuiuia agitauit Claudius Cæſar & ampla, & aſsidua, & ferè in patentiſsimis locis, vt plerunque ſexcenti diſcumberent. Aleę ſtudioſiſsimus & callentiſsimus fuit, de cuius arte librum quoque euulgauit.

Tacit. libr. 15. & 17.

39 Indicebat Nero familiaribus cœnas, quarum vni mellita quadragies ſeſtertiûm conſtiterũt. In quatuordecim annis, quibus in Imperio fuit, bis & vicies millies, donationibus effudit, id eſt, quingenties & quinquagies centena millia aureorũ. Piſcatus eſt retibus aureis, purpura & cocco funibus nexis. Soleis mulorum argenteis vſus eſt. Quaſi offenſus deformitate ædificiorum, incendit vrbem, quam per ſex dies ardentem è turri proſpectans, lætari ſe ait flammæ pulchritudine. In ſtagno Agrippæ fabricatus eſt ratem, cui ſuperpoſitum cõuiuium aliorum tractu mouebatur. Naues auro & ebore diſtinctæ, remigesqúe exoleti per ætates & ſcientiam libidinum componebantur. Crepidinibus ſtagni lupanaria adſtabant, illuſtribus fœminis completa, & contrà ſcorta viſebantur nudis corporibus. D

40 Pop-

A 40 Poppea coniunx Neronis carrucas ex argento celatas habebat. delicatioribus iumentis suis soleas ex auro induere solebat. Asinas quingentas fœtas per omnia secum trahens, balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens. *Plin. lib. 11 & 33.*

41 Vitellius feliciter & beatè se vixisse ratus, si præsentibus frueretur: nec in longius consultans, nouies millies sestertiûm octo mensibus, quib. imperauit, interuertisse dicitur: quæ summa ducenties vicies quinquies centena millia coronatorum efficit. A fratre cœna illi data, in qua duo millia lectissimo-B rum piscium, septem millia auium apposita traduntur. *Taci. li. 17. Suetonius.*

42 Heliogabalo mos fuit, vt simul ad cœnam vocaret octo caluos, octo luscos, octo podagricos, octo surdos, octo nigros, octo prælongos, octóq. præpingues & obesos, delectatus prouerbio, ἄπαρ ὀκτῶ. Quaternos canes ad currum iunxit, eóque modo vectatus est. Aliquando iunctis quatuor ceruis in publicum processit. Leones etiã iunxit, se Cybelem appellans: iunxit & tygres, se Liberum patrem vocans: iunxit etiam quatuor mulieres, & nudus à nudis vehebatur. *Suetonius. Zonar. annal. 2.*

43 Archestratus vniuersam terram cunctáque maria pera-C grasse dictus, vt gulæ delitias & singula vbique edulia explorando gustandóque diligenter exquireret. In parandis obsonijs Dædalus à Græcis est appellatus, quòd eorum ingeniosissimus & peritissimus esset artifex. Non minori studio, vbi singula edulia nascuntur, exposuit, quàm ij, qui descriptionẽ orbis nauigationésque faciunt. Piscium omnium, & singularum partium qualitates cognouit, tum succos diligenter perscrutatus. *Athen. li. 6 Iou. de pisc. Rom.*

44 Æsopus ex Histrionica tantas opes sibi comparauit, vt ducenties sestertiûm filio reliquerit. Patinam fabricandam cu-D rauit sexcentis sestertijs taxatam, id est, quindecim aureorum millibus, in qua posuit aues, cantu aliquo aut humano sermone vocales, numûm sex millibus singulas coemptas, nulla alia suauitate inductus, nisi vt in ijs imitationem hominis manderet. Eius filius Clodius vt experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ, vniones magni precij aceto liquefactas in cœna sorpsit, & ne solus hoc sciret, singulis conuiuis ad sorbendum dedit. *Plin. li. 9. & 10.*

45 Alexander, Basilij Imperatoris filius, administratione ei

à patre relicta & fratri Leoni, cæteris rebus omissis, tantū venationi, equis, canibus, supellectilique lautæ ac luxui vacabat. Extinctus est sanguine è naribus erumpente ob saturitatem post cœnam. A

Volat. li.32

46 Matthæus, Cracouiensis episcopus, gulæ ventrique deditus, Boleslai Crispi nuncium, subsidium in sumptus belli postulantem, ad latrinam duxit, & spurcè & inuerecundè ibi facultates suas reconditas esse dictitauit.

Crom.li.6.

47 Cæsar Borgia, Alexandri pontificis filius, quotidianis epulis ducentos aureos dicauit, parasitis quandoq. vestes duorum millium donauit. B

Volat.32.

48 Petrus, Cardinalis ordinis minorum, duobus annis, quibus sub Sixto pontifice in potentia & authoritate vixit, trecenta aureorum millia in luxu nugisque consumpsit. Secundis familiæ tricliniјs argentea vasa, ac epulas principales quotidie adhibitas voluit.

Volat.li.32

49 Duorum Cardinalium luxu superbiaqúe certantium obsonatores aliquando centum argenteorum nummûm vni lampretæ precium fecerunt, quum in foro piscario ambitiosius contendendo eum piscem pertinaci atque insana profusione veluti ad hastam licitarentur. C

Platin.in vit.Pont. Iou. de pisc. Roman.

50 Tamisius gulæ adeò prostitutæ fuit, vt infamis haberetur. Is quum per seruum, qui in foro piscario in eam curam intentus excubare solebat, ingentis vmbræ caput Triumuiris delatum esse cognouisset, in Capitolium protinus ascendit, vt simulato apud magistratum negotio, sermonéque de industria protracto, prandium captaret. Verùm illud Triumuiri iam Riario Cardinali donandum decreuerant. Ita quum limine curiæ efferri ingenti coronatáque patina caput illud nobile conspexisset, primò deceptus consilio, subsequutus est, præmisso seruo, qui vestigiјs deferentium ministrorum insisteret. D Nec multò pòst cùm audiuit, quòd Riarinis ædibus inferretur, Bene habet, salua res est, inquit Tamisius, opiparè excipiemur. erat enim in primis mensæ Riarinæ, quæ longè omnium semper lautissima fuit, familiaris. At Riarius, vt erat naturâ munificus: Maximum, inquit, hoc triumuirale caput maximo debetur Cardinali. statimqúe Federico Sanseuerino, proceritatis admirandæ cardinali, transmittitur. Colligit extemplò togam Tamisius, Riarium intempestiuę munificētiæ incusans,

in

A in mulamque resilit, & munus ad Sanseuerianam domum consequitur. Idem pari liberalitate facit Federicus, capútq. ipsum splendidis exornatum verbis, aurataque illatum patina, Ghisio publicano ditissimo deferri iubet, quòd ei multo ære alieno grauibusque vsuris obstrictus erat. Volitat tertia iam spe, auidam frustratus gulam æstuans Tamisius, festinabundúsque incalescente iam die in Transtyberinos hortos, quos ipse Ghisius magnificentissimos extruebat, contendit: ibique fessus admodum, & multo sudore madidus, quòd grauis esset abdominis, quartò à fortuna decipitur: quippe qui Ghisium, caput illud recentibus floribus redimitum, adamato scorto vt extemplò deferretur, curantem reperit. Flectit itaque habenas indignabundus retrò, nec tamen subiratus gulæ, quæ Herculeos labores attulerat, & ad scortum adequitat. Ad extremum anhelantis gulæ ea vis atque libido fuit, vt qui per totam vrbem fuerat raptatus, idem & togatus & senex, cum scorto, admirante noui hominis aduentum, nullo pudore discubuerit.

Iou. de pisc. Rom.

QVINQVAGENARIA *QVINTA*,

DE VARIA STVLTITIA.

CVM nihil sapientia præstabilius, nihil diuinius homini à Deo dari poßit: perpetuis votis ab omnibus expeti, summa diligentia perquiri & retineri debet, ac maximo in precio haberi. Cùm verò ipsius præcellentia perfectè intelligi non poßit, si nudè ex se consideretur, ex sibi opposita stultitia commodiùs agnoscetur. neque enim fatuitas spectanda proponitur, nisi vt illius fuga diligentius sapientia quæratur.

A

Insani & irriti conatus.

MARIS spacium, quod Italiam à Macedonia dirimit, quinque & quinquaginta passuum millia habet. Vtramque autem ripam pontibus coniungere Pyrrhus rex cogitasse dicitur. pòst etiam M. Varro, qui Pompeij classibus præerat. sed vterque alijs distractus curis, tam memorabile & insanum opus intactum reliquit, feliciori fato impeditum, quàm sano consilio excogitatum. Nam idem prorsus accidisset, quod Xerxi, qui Hellespontum longè breuioris interualli fretum ponte strauit, qui vi ventorum dissipatus est.

Sab.en.10. lib.7.

B

2 Traianus Parthis deuictis, voluit fossa Euphratem in Tigrim deriuare: sed ab incœpto destitit, vbi Euphratis alueum excelsiorem Tigri esse comperit, veritus, quod accidere propè necesse erat, ne conuerso in decliuiorem partem fluxu, nimis extenuaretur Euphrates, & nauigationis facultas eriperetur.

Dion Cass. Cuspin.

3 Vetus, Romanorum dux, imperante Nerone, Mosellam atque Ararim, facta inter vtrumque fluuium fossa, conuertere parauit; vt copiæ per mare, dein Rhodano & Arari subuectæ per eam fossam, mox fluuio Mosella in Rhenum, exin ad Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficultatibus nauigabilia inter se occidentis septentrionisque littora fierent. Deterruit Gracilis Belgicæ legatus, ne legiones alienæ prouinciæ inferret, studiáque Gallorum affectare diceretur, formidolosum id Imperatori dictitans, quo plerunque prohibentur conatus honesti. Refert Ioannes Marius, propter iuges pluuias, quæ egestam humum in fossam reiecerant, inchoatum opus omissum fuisse.

C

Tac.lib.13.

4 Carolus Magnus à fluuio Rheno alijsque in Rhenum decurrentibus fossam nauigabilem in Danubium ducere conatus est, quo à mari Balthico in mediterraneum facilis & expedita nauigatio esset. Iam opus Boiorum, Francorum, Sueuorum studio & labore ad tria millia passuũ in longitudine, trecentorũ in latitudine, processerat: sed quò longius extendebatur, eò magis velut palustri limo in se residẽte, quicquid interdiu exhauriebatur, noctu explebatur: quo quasi miraculo pauefacti operæ & curatores, id religiosum rati, vt rex conatu desisteret peruicêre.

D

Aeginar. de vi. Car. M. Aemil. li.2. Girard. 3.

Stul-

A *Stulta & ridicula ambitio.*

5 Antigonus Macedo, quò Liberum patrem, cui ſimilis videri volebat, repræſentaret, pro diademate Macedonico hederam capiti circundare, thyrſumqúe pro ſceptro geſtare ſolitus fuit. *Herodian.*

6 Clytus, quòd tres aut quatuor triremes Græcorum demerſerat, voluit vocari Neptunus.

7 Demetrius, qui portiunculam quandam imperij Alexandri habuit, appetijt Iupiter vocari.

B 8 Lyſimachus poſt occupatam Thraciam, dicebat ſe lancea ſua cœlum attingere.

9 Clearchus, quum factus eſſet Heracleæ tyrannus, in ſymbolo tulit fulmen, & vocauit vnum ex liberis Tonitru. *Plutarch. in vit.*

10 Dionyſius iunior vocauit ſe Apollinis filium.

Stulta iracundia.

11 Cyrus Perſarum rex Babylonem iter habens, cùm in Gynde amne vnus è ſacris equis candidis ſubmerſus eſſet, ægrè ferens hanc ſibi à flumine illatam iniuriam, expeditione omiſſa, C tota æſtate cum exercitu fuit, vt Gyndis alueum in centum octoginta riuulos (quidam tradunt, in quadringentas ſexaginta foſſas) diuiſerit, ita depreſſo alueo, vt fœminis vix genua tingentibus permeabilem reliquerit. Stultitia iracundiæ facem præbuit, iracundia vltioni, vindicta inſanæ profuſioni. *Hero. lib. 1. Ang. de mirab. ſcript. lib. 2.*

12 Ex Abydo ad vlteriorem Continentem ſeptem ſtadiorum traiectum cùm Xerxes ponte iunxiſſet, exorta tempeſtas ingens omnia in diuerſa diſiecit ac diſrupit. quod cum reſciſſet ille, trecenta Helleſponto verbera infligi iuſsit, & in eius pro- D fundum par compedum demitti, cum his verbis: O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quia eum læſiſti, qui de te nihil mali meritus erat: te tamen Xerxes, velis nolis, tranſmittet. Meritò certè nemo hominum tibi ſacrificat, vt doloſo pariter ac amaro flumini. Hac pœna Xerxes mare plecti iuſsit, atque eis, qui operi præpoſiti erant, caput præcidi. *Herod. li. 7*

Stultus apparatus, & diligentia ridicula.

13 Quaſi bellum geſturus Caligula, directa acie in littore O-

ceani, ac machinis balistisque dispositis, nemine gnaro nec opinante quidnam cœpturus esset: repentè vt conchas legerent, galeásque & sinus replerent, imperauit: spolia Oceani vocans, Capitolio palatióque debitas. A

Suetonius.

14 Vno die Claudius Cæsar viginti edicta proposuit, inter quæ duo satis ridicula. Horum altero admonebat, vt vberi vinearum prouentu bene dolia picarentur: altero, nihil ęquè facere ad viperæ morsum, quâm taxi arboris succum.

Suetonius.

Stulta & ridicula solertia.

15 Solertia Galieni miseranda pro ipsius officio & dignitate plerisque visa est, & ridicula omnibus. Is veris tempore cubicula de rosis, de pomis castella componebat: hyeme summa melones in conuiuijs exhibebat: vuas in triennium seruabat. mustum, quemadmodum toto anno seruari posset, docuit. ficus virides & poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit. B

Capitolin.

16 Heliogabalus collegisse dicitur decem millia pondo aranearum, dicens, ex eo intelligi verè posse, quantæ amplitudinis esset Roma.

Lamprid.

Stulta magnificentia. C

17 Secundus Ægypti rex Ptolomæus, cognomento Philadelphus, cûm filiam suam Berenicem Antiocho Asiæ regi despondisset, magnis impensis curauit, vt Nili aqua ad eum adferretur, vt solius huius fluminis aquam filia sua biberet.

Athen.li.2

18 Poliarchus ad eam mollitiem peruenit, vt canes etiam & gallos, si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publicè, & amicos suos conuocaret ad funus, splendidè eos sepeliret, atq. erigeret in eorum monumentum columnas, quibus epitaphia eorum insculpserat. D

Ael. lib. 8.

19 Heliogabalus misit vuas equis in præsepia, & psittacis & phasanis leones pauit. Parasitos in secundis mensis nouo genere edulij saginabat. cæreas dapes, aut lignea edulia, vel eburnea, sæpe fictilia, aut marmorea exhibebat, quum per singulos missus tantùm biberent, velut vescerentur, & manus ablueret.

Spartianus
Alex. ab Alex. lib. 5.

20 Expugnata à regio exercitu in primo ciuili bello Gallico Rhotomago, Villabonus ibi cum validis copijs guberna-

tor

A tor est relictus. Cum autem multæ cædes à sicarijs patrarentur, & ipse siue incuria & negligentia, siue in Hucnosios odio; insontes non animaduerteret, accidit vt Vetusuilla Mareschallus, Dieppam cum regijs mandatis proficiscens, Rothomago iter haberet, qui Villabonum ad prandiũ inuitauit. Vbi post varia de multis rebus colloquia Mareschallus de clade vrbis illato sermone, se illius calamitatem grauiter deplorare dixit, nec se posse probare, quòd ad multa flagitia magistratus conniueret: & inter cætera indignam Bosrogerij regij aduocati cædem commemorauit: Villabonum exhortatus, vt pro B authoritate ac officio populi furorem compesceret: adeò illius verbis Villabonus est irritatus, vt omnes nefariè mentiri adsereret, quicunque ipsum officio defuisse vlla in re dicerent. Mareschallus eam prouocationem haud æquo animo ferens, gladium exerit, & manum Villaboni, quam ad seruandum caput exerto gladio obtenderat, vno ictu abscidit. Eam Villabonus abscissam non cum minori pompa, nec minus magnificis cæremonijs in templo primario vrbis sepeliendam curauit, quàm magnificorum virorum corpora tumulari solent: magnifici laudem quærens, vbi stulti & furentis no- C men tulit.

Hist. eccle. Gal. lib. 8.

Stulta & arrogans profusio.

21 Angelotus Cardinalis, cùm eius vini aducti portorium Florentiæ ex more exigeretur à publicanis, reiectis precibus, (quia sacrati viri immunes erant, & deprecari tantùm tenebantur) cados omnes extra portam per humum effundi iussit, hoc pacto à tributo & seruitio precario se liberans.

Stulta confidentia.

D 22 Cùm Pyrrhus Athenas venisset, & arcem ingressus, deæ Palladi sacra fecisset: ex arce descendens, Gratam sibi fuisse Atheniensium fiduciam dixit, quam eos de seipso habere conspexerat: cæterùm si saperent, nulli posthac regum portas aperirent.

Plut. in Pyrrho.

23 Cùm in Abydo ageret Xerxes, vidit naues cursum tenentes per Hellespontum, quæ frumentum in Græciam portabant. Vocatos nautas interrogat quò tenderent? respondit ex Perside vnus, Ad hostes. Tunc Xerxes, Nonne eòdem

quo isti, & nos nauigamus? quid igitur isti officiunt nobis, qui ad nostrum vsum commeatum vehunt? Ita dimissi qui retineri poterant, salui abeunt. *Nauclerus* A

24 Apryes Ægyptiorum rex ea persuasione fuisse fertur, vt nullus neque deorum neque hominum posset sibi regnum adimere, adeò stabilijsse & firmasse credebat. At prælio cũ Persis congressus, fugatis ipsius copijs, in fuga captus est, & cũ aliquandiu in custodia seruatus fuisset, tum demum est strangulatus. *Herod.li.3.*

25 Cùm Basilius Moscouitarum princeps occupato Smolencho, & euastatis proximis finibus, in Lithuaniam irrupisset, Constantinus Rutenus, celeberrimi nominis dux, à Sigismundo rege Polono missus ad Borysthenem cum duobus grauis armaturę equitum millibus, duodecim leuis armaturæ, & tribus peditum, occurrit, atque ex lintribus & lembis subitaneo ponte effecto, ad hostes transit. Basilius, quòd supra quadraginta equitum millia vnis in castris habebat, tanta fiducia virium elatus fuit, vt tertiam suorum partẽ satis esse ad delendum Polonorum exercitum existimaret. Cum interscindere pontem, atque equitatum transitu prohibere posset, nec loco, nec vestigio se mouit, neque vnum telum in hostes immisit: quin præmissis præconibus ad transeuntes Polonos tota acie pronunciari iussit, ne dolum, ne occultas insidiarum fraudes timerent, pararent arma, atque aciem quieti instruerent, ipsum ea die, vt progenitores consueuissent, vera virtute dimicaturum. Sed conserto prælio ita res peracta est, vt Poloni egregiè pugnantes, supra septem millia ex Basilij copijs interfecerint, multos duces, quinque equorum millia, & militaria signa, coniecto in fugam Basilio, ceperint. B C *Iou. hist.13*

Stulta legatio. D

28 Celtiberorum legati ad Gracchum prætorem missi, cùm meridiano tempore ad eum venissent, nihil prius à prętore petierunt, quàm vt bibere sibi dari iuberet. Epotis primis poculis, iterum poposcerunt. Tunc maximus natu ex ijs, Missi sumus (inquit) à gente nostra, qui sciscitaremur, qua tandem re fretus arma nobis inferres. *Liu.dec.4. lib.10.*

27 Qui Complegam tenebant Hispani, ad Flaccum Romanorum ducem legatos miserunt, qui ei denunciauęre, vt relicto

A cto vno sago, vno equo, vnoque ense, pro singulis capitib. eorum, qui ab ipso interfecti fuerant, Hispania antè aufugeret, quàm aliquid grauius ei accideret. *App. in Ibe.*

Stultum ac ridiculum iudicium.

28 Cùm Galienus taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque productum decies potuisset occidere, coronam venatori misit. Mirantibus cunctis, quod homo ineptissimus coronaretur, ille per præconem dici iussit, Taurum toties productum non ferire difficile. *Capitolin.*

B 29 Cùm ipsius Galieni vxori gemmarius adulterinam gemmã pro vera vendidisset, & corruptela innotuisset, iussit eum in arenam produci, velut feris dilaniandum. Cùm multus populus ad spectaculum coijsset, & gemmarius, velut esca ferarũ futurus, productus fuisset: postquam populum diu in expectatione, reum in metu detinuisset, pro fero leone, quem omnes expectabant, capum emisit, per præconem pronunciari iubens, Imposturam fecit, & passus est. *Idem.*

Stulta & ridicula animaduersio.

C 30 Cùm familia Angeloti Cardinalis ducendi domini gratia, sicut apud magnates mos est, ad pulsati tintinabuli signum non conueniret: ad horam postea prandij vulpina cauda, ne sonus exaudiretur, æra percuti mandauit: quo factum est, vt pauci admodum in prandio adfuerint, ita lepidè eorum negligentia vindicata. *Volaterr.*

Fatuum votum, & irritæ spei.

31 Alachis de Tridento, quòd à Scenone diacono illusus esset, qui pro rege Chuniberto, cuius arma induerat, se gerebat, vouit votum, si victoriam de Chuniberto reportaret, puteum vnum de clericorum testiculis impleret. In prælio autem ipse cecidit, & Chunibertus victor euasit. *Abb. Vrsp. Auen. lib. 3*

D

32 Loncachius comiti Egmontano Ammurathi consanguinitate propinquus, vouit, se non prius vngues, barbam, aut crines præcisurum, quàm ipsius comitis iniustam necem vindicasset. Ipse autem ab Albano duce cum suis debellatus est. *de bell. ciu. Gall. lib. 4*

Stulta comœdia in tragœdiam exiens.

33 Cùm florerent longa pace Taurisinorum opes, & ludis,

multáque lasciuia ciuitas luxuriaretur, cõmenti sunt ipsi sua- A
ue ludicrum, nempe vt castellum media in vrbe peregrinis pel
libus, eisdémque valde preciosis, purpureisque stragulis mu-
rorum loco muniretur: ingenuæ virgines, quibus locum tuen-
dum destinârant, pro galeis coronas aureas haberent, pro tho-
racibus & brachiorum tegumentis armillas, & ditissima mo-
nilia, & ipsæ essent eleganti forma omnes: nobilissimi adole-
scentes virginibus æquales arcem oppugnarent: missilia v-
trinque poma essent, muscatæ nuces, rosæ, lilia, aliique flores in
pilarum speciem conglobati. Adhæc rosaceæ aquæ eiacula-
tiones, variáque alia odoromatum exquisita genera. Is rerum B
tam magnificus apparatus multos mortales spectandi studio
Taurisium attraxit. Venerunt Veneti non pauci, & Patauini,
ad illud spectaculum inuitati. Cum autem omnibus præpara-
tis omnium animi intenti essent, qua parte primùm impetus
in castellum fieret, Venetorum iuuenum globus, occupata re-
pentè porta, signa intulit: quod ex Patauinis quidam, qui
Sabell. proximo loco virgines oppugnabant, conspicati, quòd Ve-
netis gloriam illam inuiderent, facto in signiferum impetu:
vexillum, in quo diui Marci imago erat depicta, præreptum
ignominiosè lacerarunt. Continuò ex iniuria rixa atrox or- C
ta est, quæ licet sopita tunc fuerit, in exitiale bellum postea
exarsit, tam altè radices odio figente, vt cùm sopitum crede-
retur, vegetiùs repullulârit, ideoque bellum sæpius itera-
tum fuerit.

34 Cùm Carolus VI. Francorum rex, conuulsa mente, re-
bus gerendis inutilis iudicaretur, & summa administratio pa-
truis esset demandata: qui soluti publica procuratione, vte-
bantur eius intima familiaritate, ad illum oblectandum aut
noua ludorum lusuumque oblectamenta ipsi adinueniebant,
aut obsecundabant qualiacunque excogitanti. Accidit, vt a- D
dulta virgo nuberet nobili, & in aula gratiosissimo adolescen-
ti: tum rex nouas cum sodalibus nuptias nouo hilaritatis ge-
nere exhilarare voluit, quod eiusmodi fuit: Cætero ornatu
deposito, vultu in leonini oris imaginem personato, reliquũ
corpus pice delibutum, multóq. lino depexo ac in villos con-
fecto ita contexit, vt hispidi ac setiferi portenti speciem spe-
ctantibus præberet. Ipse, eodémq. habitu quinque præterea ne-
quaquam saniores, in cœtum principum matronarum viro-

rúmque

A rúmque prodeunt, in orbémque reste data choreas pedibus plaudunt, Fescennino carmine modulantes. Tota ex regia concursus fit ad illud spectaculum. Sed cùm dux Aurelianensis, studio clarius videndi aut lasciuia motus, correptam facem propius admouisset, scintilla ex ea in regem fortè incidens, repentinum in omnes illos effusa flamma conflauit incendium. Duo inopes auxilij consilijque, pertinaci conflagratione, miserabili vlulatu periêre, tosti, fœdóq. nidore. Duo inter manus elati, cùm biduum superuixissent, expirauêre. Vnus ruens in propinquam promi collam, aqua vinóq. se perluens salutē sibi B peperit. Concursu ad regem facto, vxor Biturigis regem, antequam ad vinum flamma, iam corpus lambens, peruenisset, veste, vt caudata fluxáque erat, inuoluit, ac ignem restinxit.

Froyssard. lib.2.
Aemil. l.10

Stulta amoris demonstratio & ridicula.

35 Xerxes Persarum rex, cùm in Lydia iter cum exercitu faciens, proceram platanum vidisset, tanto eius amore captus est, vt per integrum diem ad eam contemplandam moratus sit, atque in circuitu, quamuis in solitudine esset, castra posuerit. discedens inde ramos torquibus atque armillis ornauit, cura- C torémque reliquit, tanquam custodem & propugnatorem amasiæ. quasi arbor eius affectum & amorem perscntisceere, & ipsius muneribus ornatior fieri posset.

Aelia. li.2.

Stulta imaginatio & credulitas.

36 Cesellius Bassus origine Pœnus, mente turbida, dum nocte dormiens somniasset in agro suo ingentē thesaurum in rudi & informi auro defossum: nocturnæ quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit, vectúsq. Romā, principis Neronis aditū emercatus, expromit repertū in agro suo specum altitu- D dine immensa, quo magna vis auri contineretur, nō in formā pecuniæ, sed rudi & antiquo pondere. lateres quippe pergraues iacêre, adstantib. parte alia columnis, quæ per tantū æui occultę augendis præsentib. bonis latuerint. Cæterùm vt coniectura colligebatur, Didonē Phœnissam Tyro profugā cōdita Carthagine illas opes abdidisse, ne nouus populus nimia pecunia lasciuiret: aut reges Numidarū, aliàs infensi, cupidine auri ad bellū accenderētur. Nero thesauri audito nomine, supra modū lætatus, nō autoris, nō ipsius negotij fide satis spectata, nec

missis,qui rem explorarent,auget vltrò rumorẽ,mittitque,qui **A**
velut partam prædam aduehere nt. Dantur triremes, & delectum nauigium iuuandę festinationi. Gliscebat interim luxuria spe inani,consumebanturque veteres opes,quasi oblatæ essent, quas multos annos prodigeret. quin & inde iam largiebantur. Bassus verò effosso agro suo, latisque circùm aruis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseuerat,sequunturque non modò milites, sed populus agrestium efficiendo operi assumptus: tandem posita vecordia, somnia sua seque tunc primùm admirans, pudorem & metum morte voluntaria effugit. **B**

Tac.lib.16

Stultus & inaniter conceptus metus.

37 Cùm Ferdinandus,rex Neapolitanus,in bello contra Andegauenses Canisium versus cum exercitu proficisceretur, renunciatum ab exploratoribus est, hostem instructum in acie stare. Rex,vt qui prælium vitaret,magno silentio retrò vertere agmen iubet,& magna adhibita celeritate Barolũ petit. Compertum postea est, agmen fuisse ceruorum simul pascentium. Iacobus item Caldona sub id fermè tempus eadem specie fuit deceptus. **C**

Pōt.de bel. Neapol.

38 Cùm rex Ludouicus Galliæ, eius nominis XI. Lutetiæ à Carolosio comite, Burgundiæ ducis filio,& Franciæ regulis obsideretur, & fama in castris percrebuisset, Parisienses rege duce acie decertare constituisse, quòd aliter vrbem obsidione leuari non posse viderent: Carolosius ante auroram exploratores misit, qui si hostes exijssent, renunciarent. Illi cùm ad medium iter processissent, videre sibi visi sunt equites in acie erectis lanceis stantes, dubia luce decepti,propius accedere nõ ausi,statim equos verterunt, & hostes adesse nunciârunt. Cognitum postea est,planiciem magnis carduis plenam pro equitibus metum illis incussisse. **D**

Argenton.

39 Franciscus Gallorum rex ad Villanouam, Cæsar Carolus V. ad Villafrancham de pace consulturi cùm constitissent, inusitati casus res accidit, aspectu quidem primo inopinatè terribilis,sed mox ridenda iocoso exitu. Stabat in anchoris Cæsariana classis in ipso Villafranchæ portu, ita vt prætoriæ domui,qua susceptus erat Cæsar,subijceretur; nonnulli densam nubem fumi instar conspicere atque notare cœperunt:

cùm

A cùm rectè dijudicare non possent quid potissimum esset, coniecerunt Barbarussæ classem esse. Ea incredibilem cunctis pauorem attulit. Sed speculatoria Auriæ nauigia nunciarunt, pacata esse maria. Compertum postea, à villico eam nubem densi pulueris, quæ fumi speciem referret, excitatam fuisse, quum ille in area fabarum aceruum cribrando & ventilando à siliquis secerneret. *Iou.hist.37*

40 Salazarius, vetus Caroli quinti Cæsaris miles, quum dubia luce speculatum missus, an Galli, qui ad Cambrasinũ vicum castra habebant, noctu, sicuti ferebatur, discessissent: renunciauit, hostium castra eodem loco, quo interdiu fuerant, Heluetiásque legiones in statione conspici, & maiora aliquot tormenta obuersa spectari. Verùm eius errorem inani metu conceptum, qui eum propiùs accedere prohibebat, certior dies detexit, & eas, quas putauerat copias Heluetiorum esse, & quæ tormenta apparuissent, arborum truncos fuisse compertum est. *Iou.hist.44*

B

Insaniæ morbus.

41 Cotys Thraciæ rex regionem circumiens, vbi locos arboribus densis, ac irriguis fontibus comperisset, ibi conuiuabatur, & dijs sacrificabat: eò tandem prouectus insaniæ, vt, tanquam Pallas ipsi nuptura esset, magnificas nuptias instrueret, & deam ebrius expectaret. Quendam ex satellitibus missum, vt videret, an Dea venisset in thalamum, & nullam ibi esse retulisset, sagitta interfecit: aliumqúe rursus eodem modo: donec tertius dixit, Deam ipsum iamdudum expectasse. Zelotypia postea adeò fœdè laborauit, vt vxorem, à pudendis incipiens, mediam dissecuerit. *Athe.li.12.*

C

42 Thrasillum Axonem inauditus quidam ac nouus dementiæ morbus inuasit. Nam vrbe Athenis relicta migrabat in Pyreum. cúmque ibi habitaret, omnes naues, quæcunque in eo subducerentur, suas esse putabat, & in album referebat, sicqúe dimittebat eas. Quòd si quæ saluæ & integræ in portum ingrederentur, supra modum gaudebat. Multum autem temporis hoc modo insanijt. Proinde ipsius frater è Sicilia rediens, eum curandum medico tradidit, & reliquit eum vecordia. Ad sanitatem reuersus, se nunquam cumulatius gaudium percepisse dicebat, quàm cum vidisset na- *Ael.lib. 4.*

D

ues seruari, quæ tamen ad se nihil pertinerent. A

43 Quidam insaniæ morbo correptus, per ciuitatem, in qua tunc habitabat, discurrebat, varia puerorum turba comitatus: qui ad sanam mentẽ cùm rediјsset, interrogatus cur tantoperè in pueris sibi illudentibus & insultantib. placeret, respondit, quòd tunc putabat se esse Romanorum regem, & debuisse maximum prælium committere, & pueros milites esse suos.

Ioh. Paul. in Iocos.

Stulta submißio, & excusatio ridicula.

44 Prusia cognomine Venator, rex Prusiæ, Persei Macedonum regis sororem cum duxisset, & exorto inter hunc & Romanos bello neutras partes iuuisset: capto Perseo Romanis ducibus togatus occurrit, & calceatus, more Italico, pileatúsq. raso capite, quo cultu vtuntur, qui ex testamento libertatẽ accipiunt: ad eos accedens Latinè dixit: Populi Romani libertus sum. Riserunt illi, & Romam miserunt hominem, qui cùm ibi quoque visus esset ridiculus, impetrauit veniam. B

App. in Mithrid.

Stultà & arrogans in deuictos insultatio.

45 Gunnarus Danus, Normannorum rege Regualdo acie deuicto, rectoris loco canem Noruegiæ præponi curauit, satrapas ordinauit, qui sub eius titulo & nomine priuata & publica tuerentur. C

Sax. Grã.

Stulta & nefaria miseriarum fuga.

46 Cleombrotus Ambraciota, lecto Platonis Phædone, vbi de immortalitate animæ disputatur, vt ex hac vita, quæ est propter ærumnas & miserias innumeras velut mors quædam, ad immortalitatem felicem migraret, è muro se dedit in mare præcipitem.

Cic. Tusc. 1 Aug. de ciuit. 1.

D

Stultum sordidi hominis in morbo solatium.

47 Cardinalis Silberperger cum magnis podagræ & chiragræ cruciatib. torqueretur, iubebat sibi adferri peluim plenam aureis, & in ea mutilas manus voluebat. Tale fuit eius in acerbis morbi doloribus leuamentum.

Phil. Mel.

Stulta fiducia virium.

48 Polydamas athleta, tempestate speluncam subire coactus, nimio

A nimio & subito incursu aquę labefacta ea ac ruente, ceteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquam omni corpore humano potentiore, pressus, imbris causa petitam latebram dementis fati sepulchrum habuit. *Pausan. in Achaic. Valer. li. 9.*

49 Milo Crotoniates cùm iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus accessit ad eam, insertisque in fissuram manibus, diuellere conatus est, quas arbor excussis cuneis in suam naturã reuersa compressit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit. *Gell. lib. 15.*

Stulta persuasio doctrinæ.

B 50 Baraballus Caietanus, quum insulsissimos versus, ab omni vocum ac numerorum enormitate ridendos faceret, & palàm recitare soleret, seque alterum Petracham in Hetruscis rythmis esse prædicaret, Leo X. pontifex, quò illius insaniâ diu lætari posset, tantas ingenij dotes se suspicere & admirari simulauit: quam simulatam admirationem pro vera laude accipiens Baraballus, gloriæ cupiditate incensus, meritũ gestandæ laureæ honorem sexagenarius senex postulauit, ac subinde vt insigni pompa in Capitolium duceretur, quòd Petrarcham C coronatum quondam fuisse audiuisset: nec à concepto furore amici & affines deterrere potuêre. quin acerbissimis verbis eos repellebat, tanquam malignè benignitatem Pontificis interpretantes, ac rarissimi honoris immortali gloriæ suæ prorsus inuidentes. Ergo toga palmata & lato clauo, auro, purpuráque nitenti, cæterisque triumphi sumptuosis insignibus exornatus, in conuiuium præcinentibus tibijs deducitur. Ibi quum diu ad ostentationem absolutæ artis ineptissimè multa carmina decantasset, omnibus in ipsa risus compressione defatigatis, ad extremum in area Vaticana, despectante Pontifice, D elephantem ascendit, aurato ephippio, superstante triumphali sella instratum. Cæterùm, inter tympana, & tubas, & voces acclamantes populi consternata belua, vltra pontem Hadriani deduci pompa non potuit. *Ion. de viti lib. 4.*

QVINQVAGENARIA SEXTA,

DE VARIIS MORIBVS & Legibus.

VARIAS regiones peragrasse, diuersosq́; populos cognouisse, gloriam non mediocrem parit non modò apud plebem, quæ insolita & inaudita cũ stupore miratur: sed apud prudentes & rerum peritos etiam, qui exacto iudicio omnia examinant. siquidem ab Homero Vlysses prudens cognominatus est, quòd mores multorum hominum vidisset & vrbes. Quin Lycurgo & Soloni peregrinatio laudi cessit. Præcipua autem vtilitas, quæ ex peregrinationibus quæritur, hæc notatur, quòd in illis varios gentium mores nosse, & instituta ac leges perdiscere liceat, vnde quæ ad patriam institutionem desunt, suppleri possunt. Cùm autem patrij mores difficulter mutentur, præclarè à teneris annis institui, & honestæ disciplinæ assuefieri, humanæ felicitati adscribendum. nihil enim est praua consuetudine tenacius. Hoc olim à Cretensibus probè animaduersum est, qui cùm acerbissima imprecatione, in eos, quos vehementer oderant, vti vellent, vt mala consuetudine oblectarentur, optabant. Nihil tamen prohibet, quin ex multis & varijs consuetudinibus delectus fiat, & bonas eligendo, malas repudiando, honesta ac laudabilis disciplina parari possit.

PHILOSOPHI in India nouo anno cum rege ad venationem exire solebant, & quod quisque composuerat, vel obseruârat eo anno de fructibus, de animalibus, de republica, in medium proferebat: vbi qui ter mendax deprehensus fuerat, ei per totam vitã ex lege silentium indicebatur: qui verè dixerat, immunis à ciuilib. onerib. & omni tributo exemptus censebatur.

Strab. li. 15

2 In

A 2 In regno Sophitis, in India, genitos liberos non parentes pro ſuo arbitrio educabant, ſed ij, quibus ſpectandi habitum infantum cura demandata erat. ſi quos ſegnes, & ad virtutem ac diſciplinas non idoneos ij notabant, necari iubebant. *Curt. lib. 9.*

3 Apud Indos, quum rex capillos abluebat, feſtum celebrabant, donaquê inuicem miſsitabant, & diuitias ſuas oſtentabant. *Alex. ab Alex. lib. 3.*

4 Apud Gymnoſophiſtas paratis inſtructiſque menſis, antequam dapes apponerentur, adoleſcentes ſinguli, qui ad epulum conueniebant, quid generi humano lucrifecerant, quódue ſapienter dictum factúmue fuerat illa luce, coram ſenioribus exprimere cogebantur, & qui deſes, aut remiſſus nihil frugi in medium adferebat, impranſus manebat, & foras extrudebatur. *Alex. ab Alex. lib. 5.*

B

5 In thuris feraci regione, ſi quis minus iuſtè diiudicaſſe putabatur, feneſtra erat in altiſsimo regiæ loco, quæ ferrea cathena ligabatur. qui iniuſtè ſe iudicatum eſſe exiſtimabat, apprehenſa cathena feneſtram attrahebat, quod vbi rex ſentiebat, eos ad ſe vocabat, atque diiudicabat. Si viderentur iudices minus iuſtè iudicaſſe, moriebantur, ſi iuſtè, is moriebatur, qui feneſtram mouerat.

C

6 In tota prouincia Mangi, quæ nouem regna continet, homines reguntur in omnibus conatibus & cœptis, aſtrologorum iudicijs, adeo vt nullam profectionem, nullum iter ijs inconſultis ſoleant arripere.

7 In illis regnis conſuetudo eſt, vt quilibet paterfamilias ſcribat nomen ſuum, vxoris, & totius familiæ ſupra oſtium, vt inde facile ſit ſcire numerum hominum vnius quantumlibet populoſæ ciuitatis. hoſpites etiam, & tabernarij ſcribũt in tabulis ante oſtium appenſis nomina viatorum, & hoſpitum, qui ad diuerſoria ipſorum acceſſerunt, & quo menſe, atque die ingreſsi ſunt. *M. P. Venet. lib. 1.*

D

8 Tartari primo Februarij, quo annum auſpicantur, ſolent xenia inuicem mittere, vel coràm dare. Fieri nonnunquam ſolet vt regi hoc feſto centum millia alborum equorum offerantur. *Idem ibidẽ*

9 Tartari quum celeriter, & ſine mora ad remotiſsima proficiſci volunt, ſecum accipiunt lac coagulatum, & ſiccatum in modum ſolidæ paſtæ, quod in aquam tritum, cibum illis & potum prębet. *Idem ibidẽ*

10 Persarum mos erat, vt in congreſsibus, ſi pares eſſent, oſculo exciperent, quos honorare volebāt, inferiores verò ſalutando, potentiorum genua manu tangerent. Ad dextram locari præcipuè apud Ægyptios magnus olim eſt honos habitus, in medio verò maximus, quod etiam apud Romanos eſt obſeruatum. A

Alex. ab Alex. lib. 2.

11 Apud Perſas poſt bellicam fortitudinem potior ducebatur numeroſæ prolis procreatio, & illis, qui quàmplurimos liberos procreaſſent, rex, tanquam ſtrenuum quippiam præſtitiſſent, ſingulis annis munera mittebat.

Herod. li. 1.

12 Mos olim fuit apud Perſas, vt profecturi in bellum, in ciſtam ante regis tribunal ſinguli ſuas ſagittas inijcerent, mox reuerſi quiſque repeteret ſuam, vt ex remanentibus, illorum qui prælio cecidiſſent, numerus noſceretur. B

Alex. ab Alex. lib. 1.

13 Nabathei in more habebant, vt negligens & remiſſus, qui opes paternas minuiſſet, pœna mulctaretur: cui verò res eſſet auctior donaretur præmio.

Idem. lib. 5.

14 Apud Sardos lex erat, ignauiæ & ſocordiæ pœnas conſtituens, qui ociosè viueret, eum rationem reddere oportebat, & vnde viueret oſtendere.

Aelia. li. 4.

15 Ægyptij impuberes filios apud ſe alitos & educatos his diſciplinis exercebant, vt niſi 180. ſtadia prius confeciſſent, veſci nullo modo ſinerent, quos à pueritia & primis annis nudis pedibus ingredi iubebant, ne delicatior cultus corpora emolliret, eneruarètque. C

16 Amaſis Ægyptiorum rex inter cætera inſtituta præcipua lege cauit, vt vitæ rationem prætor à quocunque exquireret; & ſi quis turpi quæſtu viuere deprehenderetur, velut facinoroſus noxam lueret.

Alex. lib. 3.

17 Quotquot per littora Ægypti naues franguntur, ex veteri eorum inſtituto & conſuetudine ad fiſcum cum hominibus bonisquè omnibus deuoluuntur, & præſertim ſi pyratica, non mercatoria nauis eſſe reperiatur. D

Angl. de legat. Babyl. lib. 3.

18 Graſſatores ac ſeditioſos in Alcayro Ægypti viuos excoriant, ac pellem furfure oppletam conſuunt, quam camelo impoſitam per ſingulos vrbis vicos, flagitium ab eo commiſſum promulgantes, circumducunt.

Leo Afer lib. 8.

19 Homicidium proditoriè perpetratum hunc in modum puniunt. Tortoris miniſtri reum alter pedibus, alter capite cōprehen-

A prehendunt: tortor vibrato ense corpus in duas partes disse-cat, & partem capiti annexam foco calce viua referto super-imponit. Res admiratione digna, huiusmodi truncum ad quadrantem horæ, singulis loquentem & respondentem vi-uere. *Idem ibidē*

20 Zaleucus Locrensis ciuibus suis legem tulit, vt si quis ægrotans vinum non temperatum bibisset, nisi iubente medico, etiamsi ad pristinam valetudinem redijsset, morte mulctare-tur, quoniam iniussus biberat. *Ael. lib. 2.*

21 Cretenses iusserunt liberorum filios cum quodam con-B centu & melodia leges perdiscere, vt ex musica voluptatem in eis, ac facilius eas memoria complecterentur, & si quid contra leges admisissent, ne per ignorantiam se fecisse excusationem caperent.

22 Pittacus temulentos, si quid deliquissent, duplici pœna pu-niri curauit, vt formidine supplicij à vino promptius absti-nerent. *Alex. lib. 3.*

23 Apud Persas magis vrgens & efficax modus supplicandi, quem nemo poterat recusare, erat, quando supplicans intrabat in fluuium, habens in manu ignem, & minitabatur proijcere C ignem in aquã, nisi id quod petebat concederetur: sed post im-petratam petitionem puniebatur propter minitationem, quã impiam, & contra naturam æstimabant. *Plutar. de prim. frig.*

24 Apud Thurios & omnem ferè Græciam lege cauebatur, vt pueris, cùm primùm adolescerẽt magistri studiorum docti, ætate & vsu spectabiles, in primo tyrocinio publica impensa præficerentur, vtq́ue plures vnius curæ & disciplinæ manda-rentur. *Alex. ab Alex. lib. 2.*

25 Lex erat Spartanis, vt qui tres filios reip. suppeditaret, is ab excubijs liber esset, qui quinque, ab omnibus publicis offi-D cijs immunitatem haberet. qui se strenuos in acie præstitissent, & occubuissent, oliua, & alijs ramis redimiti efferebantur: qui verò absolutam virtutem præstitissent, ij etiam amicti purpu-ra gloriosè sepulchris mandabantur. *Ael. lib. 6.*

26 Terram vel prædia vendere apud Lacedæmonios dè ma-iorum vetusta hæreditate, turpitudo non exigua putabatur. *Heracli. de politijs.*

27 Apud Tyrrhenos si quis æs alienum, quod conflauerat, non persoluebat, sequebantur eum pueri vacuũ gestantes mar-supium, ignominiæ causa. *Idem ibid.*

28 Apud Clagefurtinos, gentem Carinthiæ, lex eſt, vt qui A in furti ſuſpicionem venerit, eueſtigiò ſuſpendatur, mox de ſuſpicione per triduum deliberant. Si ſontem inueniunt, pendére ſinunt, donec per partes ad terram decidat cadauer: ſi inſons apparuerit, ſepelitur, exequiæque ei ex publico exſoluuntur.

Sab. en 10. lib. 3.

29 Hunni in filios ipſo natiuitatis die ferro deſæuiebant, genas eorum ſecantes, vt antequam lactis nutrimenta perciperent, vulneris tolerantiam ſubire cogerentur, & ad pugnas & bella ſe natos eſſe poſtea ex vibice cognoſcerent.

30 Vt numerus ciuium Romæ ſingulis annis noſceretur, B naſcens quiſque Iunoni Lucinæ, moriens Iunoni Libitinæ nummum pendebat Seruia lege.

Sabell.

31 Apud Baleares inſulas matres infantes pueros ab ipſis incunabulis his diſciplinis aſſuefaciebant, vt niſi oblatum cibum baculo, aut funda petijſſent, impranſi manerent.

32 Apud Gallos & Iberos zonæ menſuram habebant magiſtratus, quam ſi capere non poſſet mulier ſucci plena, aut puer obeſus, magno afficiebatur probro.

Alex. lib. 2.

Idem ibidē.

33 Ciuitas Maſſilienſis nullum aditum in ſcenam mimis dabat, quorum argumenta maiore ex parte ſtuprorum continent C actus, ne conſuetudo talia ſpectandi, etiam imitandi licentiam ſumeret.

Valerius. Max. lib. 2

34 Intrare vrbem Maſſilienſem nulli olim cum telo licebat, præſtò enim aderat, qui id cuſtodiæ gratia acceptum exituro redderet, vt hoſpitia ſua, quemadmodum aduenientibus humana erant, ita ipſis quoque tuta eſſent.

35 In Africa, in terra Guzula, vbi nullus principatus, nec vlla reip. forma, in nundinis eligunt ducem ad ſeruandum cuique ius, & ad tutandos mercatores.

36 In finibus Feſſani regni, in monte Magnano, vbi nulla D reip. forma, viatores retinentur, & ius dicere incolis coguntur.

Bod. de rep. 5.

37 . Vetus atque perpetuum inſtitutum eſt apud Turcas, vt intranti templum ſupplicandi cauſa Imperatori Taliſmanus æditũus ſacerdos occurrat, claráque voce pronunciet, vt meminiſſe velit, Imperium, quod iuſtitia & virtute bellica partum ſit, non alijs quàm ijſdem artibus conſeruari propugnaríque oportere.

Iou. elog. 2.

38 Turca-

A 38 Turcarum consuetudo est, vt ignes plurimos parent biduo antequàm pugnam committere velint, hymnumqúe canant in honorem Dei & herois, quem prouinciæ præesse rentur: significantes, prælium breui fore, & omnes corpora & animos ad certamen parent. *Chalcond. lib. 7.*

39 Apud Moschouitas neque viros neque fœminas venereis pollutos amplexibus templa intrare fas est, nisi prius priuatis balneis abluantur. *Iou. in descriptione Moschou.*

40 Britanni legem tulerunt, quæ Alcumisticæ artis studium damnat, quòd non solum curiosa & inutilia, sed aliquando reip. damnosa sectetur. *Lilius. in elogijs.*

B

41 Nobiles, sacrati viri, & populus, tres classes apud Anglos efficiunt, quæ genera hominum aduocare reges solent, vbi aliquid paulò grauius de salute aut dignitate publica fuerit statuendum. neque enim rex bellum suscipere, de pace agere aut pecuniam imperare ritè potest, nisi classes decreto dictis sententijs subscribant. *Iou. in descript. Brit.*

42 Cùm apud Anglos in forensibus causis ad tribunalia testium numero litigetur, fuit olim tempus, quo testimonia vtrinque pari numero dicerentur, & iudices ob id suspensi ipsos testes more pugilum inter se depugnare cogerent, atque inde victores demum, vti fide præstantiores, secundus litis euentus sequeretur. *Idem ibidē*

C

43 Olim apud Danos parricidis hoc genus supplicij imponebatur, vt lupis applicati laqueo strangularentur. *Saxo Grā.*

44 Lapones, cùm candidissimas pelles, quas Armelinas vocamus, cum varij generis mercimonijs permutant, omne mercatorum colloquium conspectumqúe defugiunt, adeò vt mutua rerum venalium collatione facta, & relictis medio in loco pellibus, cum absentibus & ignotis syncerissima fide permutationes transigant. *Iou. in descriptione Moschou.*

D

45 Lutetiæ non licet baiulis & gerulis gladium, pugionem aut cultellum ferre, aut aliud genus armorum, quo quis offendi aut lædi posset, quia id genus hominum ad rixas pronum, pugnas quacūque occasione cieret, & cędes perpetraret. *Bod. de Rep. lib. 4.*

46 In Hispania lenæ numellis affixæ melle perunguntur, quo à muscis, apibus & vespis aduolantibus pungantur. Genus pœnæ ad infamiam magis spectans, quàm ad tormentum supplicij, etsi non deest suus cruciatus. *Viues.*

47 In Palmaria insula, quum nouos hospites in amicitiæ fœdus suscipiunt, sibijpsis cum nouacula vel gladio lapideo sanguinem ex lingua, manu, aut lacerto, aliâue corporis parte inspectante hospite eliciunt, non veram amicitiam interpretantes, quæ pro amico vitam profundere renuit.

Oredamist.

48 Cùm aliquem hospitem Brasilienses comiter excipere volunt, circumsistūt eum in pendulo lecto sedentem mulieres, humi nudæ sedentes, ambabus manibus obtegentes oculos, & lacrymas vbertim fundentes, multáque in ipsius laudem recitantes, & saluum ad ipsas aduentum gratulantes: postea adferuntur varia eduliorum genera, quibus pro more patriæ magnificè tractatur.

Lerius hist. Brass.

49 Apud Brasilienses si duo inter se contenderint, multis spectantibus, nemo se medium interponit vt litem dirimat: sed si alter eorum saucius discesserit è certamine, qui læsit eū, ab amicis & consanguineis læsi comprehensus, in simili parte corporis vulneratur: si verò interfici vnum ex certantibus contigerit, percussi gentiles percussorem interficiunt.

Idem ibidē

50 Onetacasij in Brasilia adeò feroces & truculenti sunt, vt pacem colere nec inter se, nec cum vicinis, aut alia gente possint. Cùm permutare mercem aliquam cum vicinis volunt, qui ad eos commeant, solent in loco quodam medio trecentorum aut quadringētorum passuum spacio, adponere quod permutare volunt, deinde ad simile interuallum secedūt à mercibus, tum Onetacasij accedentes mercem appositam accipiunt, aliámque reponunt, quam cùm alij accepêre ad limites, in quibus primùm constiterant, impunè abire permittuntur: eò vsque seruatur fides. Sed cùm eos transilierunt, in effusam fugam sese dare cogūtur, ni emptas merces amittere velint: nam Onetacasij, qui cursu maximè valent, si eos adsequi possint, quod permutarunt per vim auferunt.

Idem ibidē

QVIN-

A

QVINQVAGENARIA *SEPTIMA*,

DE REPVBLICA.

NIHIL efficacius Aristoteles putat ad hominum societates stabiliendas ac retinendas, quàm reipub. informandæ scientia informari. Cùm omnes verò homines natura obliget ad B *illud societatis vinculum seruandum: nullum studium magis necessarium omnibus ordinibus & ætatibus, quàm ciuilis scientia videbitur: & quæ de republica ordinanda & gubernanda à rerum peritis tradita sunt, diligenter notare, & variarum politiarum statum considerare apprimè vtile censeri debet, cùm communem omnium salutem & publicam tranquillitatem respiciat.*

C

Quid Respublica.

RESPVBLICA est familiarum aut collegiorum sub vnum & idem imperium, ad communem omnium vtilitatem & salutem conseruandam subiecta multitudo. Neque vlla politia aut gubernatio reip. nomine digna censenda est, quæ rem & bonum populi non curat: quandoquidem respublica omnis hoc axiomate tanquam basi nititur. Salus populi suprema lex esto. Populus D verò est cœtus multitudinis rationalis rerum, quas diligit cõcordi cõmunione sociatas, tanto melior, quanto in meliorib. tanto deterior, quanto in deterioribus concors. Ita concordia qualiscunque & quomodocunque coalescat, populi conseruatio & salus est. Inde sermone tutum & longo vsu confirmatum prouerbium, Concordia paruę res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Quoniam autem concordia sine authoritate & ordine seruari non potest, inuentæ sunt leges, quibus vtrumq. asseritur. Ob id vinculum cõmunis societatis, cõcordię

Augustin9. *Bodinus.* firmamentum & rerump. columnæ ritè dici possunt: tantò durabiliores, & populo gratiores, quantò magis naturali ratione nituntur. A

Quid lex.

2 Lex communis & naturalis neque hominum ingenijs excogitatur, nec scitum aliquod populorum est, sed æternum quoddam, quod vniuersum mundum regit, imperandi prohibendique sapientia. Ideo Demosthenes dicit, legem esse inuentionem & donum deorum, ad reprimenda maleficia, & conseruandam ciuitatem. Et rectè ait Imperator, naturalia iura diuina prouidentia constituta esse. Lex particularis siue ciuilis est determinata ratio iuxta ciuitatis consensum, quæ singula, quo pacto facienda sint, declarat. Debet autem ex iure naturali tanquam ex fonte duci: nam si pugnat cum natura, non est ius, sed furor exitialis: quandoquidem sicut naturam ortus causam habemus, ita vitæ ducem & magistram sequi debemus, si gubernationis statum diu conseruare cupimus. B

Demosth. *Cicero.* *Ph. Mel.*

C

Legum ciuilium conditio.

3 Quamuis autem ius ciuile ex naturali, tanquam ex fonte, ortum habeat, non tantæ tamen authoritatis censetur: quia leges, quas ferunt homines, non absolutè per omnia rationem & æquitatem sequuntur, sed quædam in eis fermè ridicula nonnunquam videntur esse: vt Spartanorum, ne quis barbam nutriat. aut quid iniqui cum publica vtilitate adiunctum habent, vt Solonis lex, quæ iubet in seditione alterutri parti se addicere. Ideo Plato dicebat, eos de hydræ capite abscindendo cogitare, qui de legibus omnia incommoda detrahi posse arbitrantur, & D qui vellet omnes incommoditates, quæ ex bonis legibus prosiliunt, extirpare, ne vna quidem lex rata & firma maneret, sed quod probabile, & ad res præsentes accommodum videtur, sequentes communem societatem tueri & conseruare annituntur. Et cùm non facile sit, omnes improbos castigare, non permittunt, vt aliqui palā sint vitiosi, flagitijsque ac sce-

A ac fceleribus materiam præcidunt, atque omnem occafionem, quantum poſſunt auferunt. Nam boni legislatoris putandum, non tam curare vt delicta puniantur, quàm cauere quantum fieri poteſt, ne vlla committantur. Itaque propter communem tranquillitatem & pacem, quæ omnibus bonis curæ eſſe debet, quædam legum vitia diſsimulanda ſunt: nam temerè non eſt dictum, Malum bene collocatum non eſt mouendum.

Plato.
Plutarch.

Delectus legum in republica moderanda faciendus.

B 4 Plato legum tradendarum ac moderandæ ciuitatis vnam eſſe optimam formam putauit, ſi omnium, aut magis illuſtriũ rerumpublic. leges in vnum collectas viri prudentes inter ſe compararent, atque optimum genus ex ijs conflarent. exiſtimabat, neminem tam perſpicacis ingenij, qui poſſet omnes caſus præuidere, & minus adhuc de ijs ſtatuere, experientiámque quauis opinione certiorem. Platonis conſilium ſequuti ſunt Romani, qui leges ſuas maxima ex parte ab Athenienſibus, Lacedæmonijs & Thuſcis accepêre. Idem conſilium ſequutus Gottifredus Bollionius, qui poſtquam Hieroſolymis regnum condidit, de honeſta reipublicæ forma conſtituenda deliberans, à peregrinis, qui eò inuiſendi ſacri ſepulchri cauſa veniebant, ſciſcitabatur de legibus & gubernandi ratione, quæ in ipſorum terris eſſent, ſelectiſque ex omnibus, quæ optimæ eſſe videbantur: eam reipub. formam ex ſingularum animaduerſione conſtituit, qua deinceps regnum illud longo tempore fuit adminiſtratum.

Plato.
Guil. Tyr.
Fr. Patrit.

C

Neceſsitas magna ex parte leges inuenit.

D 5 Ferè nunquam accidit, vt ab initio conſtitutæ reipublicæ omnes leges ſanciantur & firmentur, quibus poſtea in eius gubernatione vtendum ſit, quia omnes neceſsitates præuideri non poſſunt, & vbique ferè leges magis ex neceſsitate, quàm ex delectu ſunt introductæ. Sicut antè morbos neceſſe eſt cognitos eſſe, quàm remedia eorum: ſic cupiditates prius natæ ſunt, quàm leges, quæ ſancitæ ſunt, vt illas compeſcerent. Vnde vulgò dicitur, ex malis moribus ortæ ſunt bonæ leges. & contra ea, quæ nondum euenêre, leges ferre, non videtur con-

sultum. Idcirco multos legislatores videmus prohibere noluisse, quæ apud se facta non erant, ne petulantibus ingenijs malè agendi ansam præberent. Cicero pro Roscio Amerino refert, Solonem nihil suis legibus de ijs, qui parentes occidissent, statuisse: nam quoniam antea non esset factum, verebatur, ne tam id pœnâ prohiberet, quàm admoneret lege. & Angli vsque ad tempora Elisabethæ aduersus sagas legem non tulerant, quia nullæ fuerant depræhensæ, & criminis conuictæ. In vniuersum, quæ ad splendorem & ordinem faciunt, eas ab initio ferri optimum videtur: quæ ad retundendam improborum ferociam, pro re nata ferri commodius est.

Plutarch. *Cicero.*

Leges in honore debent esse.

6 Leges autem, vt vires & authoritatem habeant ad remp. conseruandam, cuius rei gratia sunt constitutæ, debent in precio & æstimatione apud omnes esse, & in ijs maiestas quædã agnosci. Idcirco Plato monebat, assuefaciendos adolescẽtum animos esse, vt honorificè de legibus sentiant, quia non solùm vincula sunt communis societatis, sed etiam pulcherrimè temperant ciuilem communionem, & gradus omnium officiorũ efficiunt, religionum, magistratuum, iudiciorum, connubij, educationis, disciplinæ. Hanc pulcherrimam harmoniam leges efficiunt, cùm earum imperio libenter parent homines: labefactata autem legum authoritate, non potest tranquillitas reip. retineri. nam dum crescit iuris & legum cõtemptus, prorumpente tandem in immensum peccandi licentia, coniurationes fiunt in remp. Præterea rei militaris gloria citò obsolescit, labante scilicet disciplina, vbi legibus nulla reuerentia habetur: ideò rectè Valerius: Expugnentur licet vrbes, corripiantur gentes, regnis inijciantur manus, nisi foro & curiæ officium & verecundia constiterit: Partarum rerum cœlo cumulus sedem stabilem non habebit.

Plutarch. *Val. Max.* *Phil. Mel.*

An legibus, vel ex arbitrio boni viri iudicandum.

7 Quidam disserunt, legibus non posse omnes causas comprehendi: ideo necessariò plerasque res ex arbitrio boni viri iudicandas. Propterea censent, abolitis legibus, omnia permittendã

A tenda esse prudentiæ & æquitati iudicis. Vident etiam formã iudiciorum ac fori, vbi Iureconsultorum artibus lites in infinitum extrahuntur, alendis litibus & rixis magis quàm dissoluendis accommodatam. Id non factum iri putant, si iudicis authoritas valeret, & non esset adstricta legibus. Hæc plausibiliter dicuntur, nec sine ratione prorsus: quia litiũ multitudo, quam immensa vis legum & iureconsultorum versutia parere videtur, reipublicæ non est vtilis: sed quia non sæpe contingit iudex aut prudentiâ tanta, vt sine legib. videat quid sit æquissimum, ac maximè vtile reipubl. aut tanta iustitiâ, vt

B non sit opus eius potestatem legibus moderari. (Sępe enim virum mediocrem aliqua recti species decipit, qui si legibus esset admonitus, melius iudicaturus erat.) Interdum etiam animo, qui gratia aut odio impeditus est, morem gerit, si nullis legum vinculis tenetur. Nam bonos etiam viros licentia reddit deteriores. Quare vinculis legum opus, quas licet perrumpant aliquando tyranni, aut versuti homines deprauent: tamẽ non sine magna vtilitate sunt communi hominum societati. Præstat autem quod in commune prodest retinere, etiamsi interdum secus aliquid euenit. Vt medicinam colimus, quia sæ-

C pe restituit ægrotos, tametsi non omnes morbos tollere possit. Bonos etiam viros in iudicando dissentire facile est, si nullam certam habent præscriptam iudicandi rationem, & ex talibus dissensionibus maximos motus in rebuspublicis oriri facile est, singulis suas assertiones tuentibus. Et si legis authoritatem communi consensu confirmatam violare & infringere homines non verentur, vt suis affectibus obsequantur, multò grauius & crebrius nocerent, si suo arbitrio semper standum esset. Non solùm autem in sanciendis legibus publicæ litigantium vtilitati consultum est, sed & iudicum se-

D curitati. Scriptum enim ius, magistratus aduersus importunitatem litigantium munit. Semper enim vulgus queritur de magistratibus. Itaque visa est hæc tutissima ratio compescendæ multitudinis, certas leges proponere. Intelligunt enim homines, hoc ius debere tolerari, quod excogitatum est non ad vllius gratiam aut priuatam vtilitatem, sed ad retinendan societatem & tranquillitatem publicam. Et pulchrè summus ille philosophus Aristot: Qui volunt (inquit) legem ciuitati dominari, hi videntur Deum ac leges dominari

Aristotel. Ph. Mel. Bodinus.

velle: qui verò hominem dominari volunt, hi beluam præfi- A.
ciunt. nam huiusmodi quoddam cupiditas est, & iracundia
magistratus deprauat, quantumlibet bonos viros.

An leges Mosaicæ in vsum reuocandæ.

8 Quoniam verò ita fert administrationis rerumpub ratio,
vt legibus stabiliantur: ex tam multis, quæ à varijs sapientib.
latæ sunt, si delectus fiat, æquissimas & iustissimas eligi con-
sentaneum esse videtur. Cùm autem nullus legislator ipsi Deo
comparādus sit, Mosaicas leges, quòd à Deo latæ sint, in vsum
reuocari debere à plerisque asseritur. Quibus respondetur: Iu- B.
dæorum leges quamuis à Deo ipso traditæ sint, & omnis æ-
quitatis & iustitiæ plenissimæ, tamen eas in vsum reuocandas
esse consultum non videri: quia illi genti peculiariter traditæ
sunt, non vt alijs gentibus imponerentur. Nec Daniel cultum
patrium retinens apud Persas, abrogandas eorum leges, & Mo
saicas introducēdas censuit: & prophetæ Persis, Assyrijs, Græ-
cisque, atque alijs populis excidium prædicentes, non ob ne-
glectas Hebræorum leges, sed ob non seruatam æquitatem il-
lud obuenturum prænunciarunt. Nec Apostoli pœnitentiam
& fidem gentibus prædicantes, politicas & forenses ipsarum C.
leges immutandas esse denunciàrunt. Præsentibus itaque legi-
bus, atque in vsum receptis, modò ab æquitate naturali non
planè dissentiant, vtendum videtur. Nam vt præsentibus ma-
gistratibus obedire præcipit euangelium: ita legibus præsen-
tibus parere, quia lex est vox magistratus, nec vlla est in im-
perijs sine legibus, sine iudicijs, sine institutis ciuilibus or-
dinatio.

Phil. Mel.

An leges Romanæ retinendæ.

9 Qui reijciendas ex foro & scholis Romanas leges cen- D.
sent, hoc præcipuè allegant, piaculum esse Christiano, vti eth-
nicorum legibus, & infidelium decretis se subijcere, quòd ex
Imperatoribus, quorum rescripta in iure ciuili Romano in-
serta sunt, aliquot atroces tyranni & persequutores ecclesiæ
Christi fuêre, quorum memoria deberet potius aboleri, quàm
retineri. Atqui Paulus contra impios sacerdotes authoritate
Romanarum legum se tutatus est, non quia Ethnicorum in-
uentum erant; sed quia æquitatis formam eas continere scie-
bat,

A bat, ad quam, nõ ad perſonas, reſpiciendum. Cum de re aliqua iudicandum; & (vt Auguſtinus inquit) à quocunque verum dicitur, illo donante dicitur, qui eſt ipſa veritas. Neque enim verum & æquum alium fontem quàm Deum habere poſſunt. Cùm verò Romanæ leges de omnibus ciuilibus negotijs, officijs, iudicijs, contractibus ita præcipiant, & ſtatuant, vt nuſquam à ratione diſcedant, mirum videri nõ debet, ſi hucuſque, approbante prudentium turba, apud nos retentæ ſunt: & prodeſt maximè, etiamſi in foro non verſentur, iuuentuti, quæ literarum ſtudia ſectatur, eas proponi ad formanda & acuenda B iudicia de rebus ciuilibus. Nam & moderationis, grauitatis, & æquitatis plenæ ſunt, & ab hominibus reipublicæ gerendæ peritiſsimis conceptæ & ſcriptæ, & qui plurimum in foro, reipublicæ adminiſtratione, & grauiſsimis deliberationibus de ſumma reipub. verſati fuerunt, quales Vlpianus & Papinianus fuêre.

Auguſt.
Phil. Mel.

Vtrum ius ſcriptum, an æquitatis in iudicijs ſequenda.

10 An ſecundum legis verba, quod ſtrictum ius dicunt, ſem- C per in quauis cauſa iudicandum ſit, an aliquando commodiori & æquiori ſententia leniendus ſit legis rigor, quam æquitatem nominant, inter prudentes controuertitur. Qui ſtrictum ius defendunt, dicunt maieſtatem legis periculosè imminui, ſi quis vel tantillum ab eius verbis deflectat. inde enim legum contemptus generatur, ex legum contemptu corrupti mores procedunt, poſt improborum audacia & petulantia creſcunt, quæ in ſeditiones ſæpius erumpunt. Et quorſum (inquiunt) attineret leges ſcribi, & ſanciri, ſi iudicibus liceret diſcedere à ſcripto, & ſuo arbitratu fingere æquitatem? Hac de cauſa Cha- D rondas edixit, ne magiſtratus aliquo modo diſcederet à verbis legis: quia videbat ſub æquitatis prætextu affectibus iudicum multa concedi. Qui æquitati patrocinantur, dicunt, legislatoris mentem ſemper fuiſſe, vt æquitas conſeruetur. Eò enim leges omnes, in quantum leges ſunt, ſpectare. neque contra legem ſcriptam facere, qui ex æquo & bono iudicat: nam quod ex legis ſententia eſt, ex lege ipſa eſſe iudicatur; ideo multa cautione & prudentia iudici opus eſſe, ne temerè legi adſcribatur, quod nunquam in mentem legislatori venit. Hæc in v-

tramque partem adferuntur, quæ commodè non possunt sine A distinctione conciliari. Cùm interprete sæpius lex egeat, nec omnia, quæ ex infinita locorum, temporum & causarum varietate occurrunt, possint legibus comprehendi: quæcunque possunt, legibus sunt definienda, cætera hominum æquitati, & religioni committenda, & ea videtur fuisse mens omnium, qui leges sanxerunt. In ijs itaque casibus, de quibus lex principaliter loquitur, nequaquam in nullius gratiam discedendum à scripto videtur. In alijs casibus, de quibus propriè non loquitur lex, æquitas sequenda, quæ legem probabili ratione in aliqua circumstantia moderetur. Nam, vt Aristoteles habet, leges B constituunt de eo, quod plerunque accidit, sed si qua circumstantia mutat casum, ibi æquitas consulenda, vt in inconsultò factis venia concedi solet. Hoc verò firmiter tenendum, æquitatem à lege separari nunquam debere. Nam hæc ab illa separata, est corpus sine anima. Ab æquitate enim lex vires & authoritatem sumit. Æquitati autem ita oportet accommodare legem, vt nullum inconueniens aut absurdũ inde sequatur. Consideratur æquitas aliter in principe, & legislatore, aliter in iudice. Æquitas in principe est explicare, exponere aut corrigere legem: in iudice legem inflectere leniendo ri- C gorem, aut exacerbare lenitatem cùm opus est, aut supplere quod deest, quando lex præsenti casui non videtur prouidisse.

Aristoteles. Fr. Conan. Bodinus. Phil. Mel.

Leges nouas veteribus abrogatis introducere, nec commodum, nec tutum.

11 Cùm leges vsu & consuetudine, vt Solon dicebat, ciuibus gratiores fiant, quæ in longo vsu fuêre non videntur immutandæ: & citra rationem omnẽ mutantur eæ, quæ rempublicam in bono statu diu conseruârunt, quodcunque commo- D dum aut vtilitas obtendatur. Hac de causa Locrenses sanxêre, vt qui nouam legẽ suadere vellet, coram populo venire cogeretur collo resti obuincto, quo statim strangularetur, nisi persuaderet. Inde est effectum, vt diu leges in authoritate retentæ sint, & nihil in republica immutatum. Multis experimentis vera deprehensa est Platonis sententia, qui dicebat, nihil magis ambigui euetus, nihil in aggrediendo periculosius, nec in exequendo difficilius esse, quàm nouas cõstitutiones intrody-

A troducere. Nam qui primi ſanciunt illas, infenſos eos omnes habent, qui ex antiquis inſtitutis cõmoda capiunt: quibus verò noui rerum ordines vtilitati forent, frigidi defenſores apparent. vt accidit Agidi regi Lacedæmoniorum, & Tyberio Graccho Romano: qui cùm præſentem ſtatum mutare vellent, licet maxima publicæ vtilitatis ſpecie mouerentur, in ipſo molimine periêre. & perniciosũm reipublicæ ſemper iudicatum, cùm decreta & leges nõ retinentur ſtabiles & immotæ. Debet itaque in rebus innouandis tam euidens vtilitas eſſe, vt ab omnibus videatur & expetatur. Quod ſi iniuſtitia B in lege antiqua manifeſtè appareat, præſtat tamen pati eam ſenſim inueteraſcere, & deſuetudine aboleri, quàm eam ſubita & violenta mutatione antiquare, ne qui eam abolendam cenſent, nouis rebus ſtudere videantur, & in ſuſpicionem excitandi tumultus veniant. Hoc enim pacto ad ſeditiones peruenitur, per ſeditiones & certamina, ad cædes: ita pro reformatione legum è meliori politia, confuſio oboritur.

Plato.
Thucyd.
Plut.

Quando ſine incommodo mutantur leges.

C 12 Accidit nonnunquam, vt bonas leges vtiliter inſtitutas abrogare commodiſsimum ſit, vel etiam neceſſarium: cùm ſcilicet in manifeſtum abuſum, & reipub. perniciem veniunt. Nec debet id magiſtratibus vitio verti, cùm iam maieſtas legis deperierit apud plebem. Tunc enim magiſtratus oſtendunt, leges ſuum nomen amittere, cum vim & authoritatem amiſerũt: atque hoc pacto magis authoritas legis confirmatur, quàm minuitur. Quemadmodũ Athenienſes fecerunt, qui Oſtraciſmi legem propter Hiperbolum nefarium hominem exilij decennalis, authoritate legis damnatum, abrogârunt. Aliquando e-D tiam rerum occaſiones & temporum circumſtantiæ ferunt, vt lex ad vtilitatem inſtituta, ad vtilitatem etiam aboleatur: vt cùm Themiſtocles Athenienſib. perſuaſiſſet, vt Athenæ, locàq. finitima ad tuitionem ciuium munirentur: Theramenes propter eandem cauſam deijcere munitiones ſuaſit. Sic contraria conſuluit in re eadem pro diuerſis temporibus & diuerſa occaſione, Characux Saladino. vt ſcilicet littorea Syriæ munita loca, præſidio firmo ſeruarentur & deijcerentur. Hoc tamen firmiter tenendum, leges, quibus reipublicæ

Thucyd.
Plutarch.
Aemy.

ſtatus innititur, nulla de cauſa mutari debere. Cùm autem A
mutatio legum prætextu alicuius euidentis vtilitatis fiat, &
damnum cũ vtilitate coniunctum habeat, videndum, vt commoditas ſit publica, incommoditas aliquot priuatorum.

Vtrum in regno bello parto nouas leges conſtituere, an conſuetas retinere ſatius ſit.

13 Vetus eſt dictum, Victoris eſt dare leges. ideò pro victorum arbitrio partas prouincias gubernari debere, legesque ſubactis populis imponere, plerique cenſent, ſatiúsque opinantur, totam adminiſtrandæ reipublicæ rationem immutare, & nouas leges introducere, vt populi ſe victos & prorſus ſubiugatos eſſe intelligant. Sed incommoda, quæ inde ſequuta ſunt, B quiduis potius comminiſcendum ſuadent. Nam tum demum populi ſe libertate priuatos eſſe intelligunt, cùm leges & conſuetudines mutare cogũtur. Romani in partas prouincias maluêre colonias mittere, & parte agri mulctare, quàm patrias coſuetudines & inſtituta abrogare. Flaminius Græcas ciuitates ſuo iure vti permiſit. Cæſar deuicta Gallia, magnam partem ciuitatum ſuas leges habere, & libertatem retinere voluit. Iudæis à Pompeio ſubiugatis αὐτονομία relicta eſt. Eo modo ſe C geſsit cum Italis, deuicto Odoacre, Theodoricus Gothus, vnde populum obedientem expertus eſt. Malè ceſsit Lacedæmonijs, cùm Athenienſium leges & conſuetudines aboleuêre. Malè etiã Gulielmo Normanno conquæſtori, qui adepta de Anglis victoria, diui Eduardi leges aboleuit, nouâsque ſanciuit, vnde multas rebelliones expertus eſt, & occaſionem multis ſeditionibus præbuit, quæ regnũ Angliæ miſerabiliter concuſſerunt. Nullus enim ferè regum poſt eum fuit, qui ſine populari tumultu regnârit, & qui tumultum excitârant, reſtitutionem illarum legum poſtulabant. D

Appianus.
Plut.
Plin.
Polydor.

Quomodo populi armis deuicti ſunt tractandi.

14 An ſumma ſeueritate in victos, an clementia vti tutius ſit, non abs re controuertitur. Nam ſeueritas non omnibus obfuit, nec clementia ſemper profuit. Peruicacibus autem & infenſiſsimis hoſtibus, qui ab omni memoria exercuêre ſimultates, ſeueritas adhibenda videtur, quemadmodum Romani aduerſus Charthaginenſes fecêre, qui ablato ipſis maris impe-

rio

A rio vrbem funditus diruerunt: & Angli aduersus Caletenses, qui deditione necessitate expressa, omnes incolas aliò migrare iusserunt. Si libertati assueti, & nihil magis, quàm αὐτονομίαν curantes inueniantur, lenitate vti præstat, vt Romani erga Priuernates fecerunt, Sophus Hismael erga Iberos: ad vtrumque compellere videtur necessitas, sed æquitas postulat, vt quieto ingenio homines aliorum consilio potius, quàm peruerso animi decreto peccantes, seditionis & belli facibus amotis, victorum clementiam experiantur.

Liuius. Froissard. Iouius.

B *Respublicæ omnes, quantumuis prudenter constitutæ, terminum & finem habent.*

15 Fatalis rerumpublicarum periodus exploratæ certitudinis est. Siquidem experientia monstrat, vltra terminum à Deo constitutum nõ magis vrbes quàm homines, nec regna, quàm vrbes progredi: vt etiam inflexibilis fati leges exposcunt, quę res omnes suæ authoritati & imperio subijciunt. Et omnia, quæ in mundo sunt, diuina prouidentia gubernari, atque humana fluxa & mutabilia esse constat. Vt autem homo primũ vitam auspicatur, deinde adolescit, mox in iuuentute florescit, C & posteà senescit: ita resp. incipiunt, crescunt, florent, atque ad vltimum cadunt. Bona & vtilia consilia & bellica vis ac disciplina ad felicitatẽ & splendorem rerump. plurimùm faciunt: sed Deus locorum & temporũ terminos constituit, quos transilire in nulla est hominum sapientia aut potentia. Nec incommodè est à Paterculo dictum, fortunam rerumpublicarum & vrbium mutaturus Deus, consilia hominum corrumpit, efficitque, vt quod temerè accidit, etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat: neque consilio, neque ratione fortuna semel inclinata sisti potest. Cùm nulla autem D respublica sit, quæ mutationem non patiatur, & quæ tandem non veniat in ruinam: ea mutatio, quæ paulatim fit & sensim, multò tolerabilior sentitur, quàm ea quæ fit præcipitanter.

Sabellicus. Polydorus. Ph. Mel.

Quæ impediant rerum publicarum durationem.

16 Tria potissimum impediunt, quò minus resp. perpetuò durare possit. Primum corruptio morum, nam vt solida virtus societatis humanæ conciliatrix est: ita corrupti mores il-

iam perturbant & dissoluunt. Et sæpe accidit(quæ temporum est iniuria) vt republica senescente, senescat hominum virtus, & legum minuatur authoritas. Mutatio itaque in republica, aut etiam ipsius ruina timenda, cùm authoritas optimarum legum contemnitur, & honesti mores in deterius mutãtur. Non maius argumentum reipub. interituræ Platoni visum, quàm si magistratus legi, non magistratui lex, imperet. Secundùm inconstantia temporum. Nam qui maiorum nostrorum amici & fœderati fuêre, mutata aliquando voluntate, lethales inimicitias nobiscum exercent: vnde pro auxilio damnum, pro stabilimento ruina accidit. Tertium natura, quæ tam varias res & occasiones producit, vt necessarium sit, respublicas vel constantissimas alicui harum se accommodare. Consuetum est in hominum vita, minores à maioribus degenerare. Nonnunquam fœdera respublicæ cum internecinis hostibus inire cogũtur, & veteres amicos vel negligere, vel bello persequi: quo infelicius nihil accidere potest, nec calamitosius. Alia signa ruituræ mox reipublicæ ex varijs exemplis, quæ historiæ suppeditant, à nonnullis notantur. Cùm crimina manent impunita, virtutes neglectæ, cùm principum dictis nulla fides, nulla promissorum constantia, non sincera, nec firma cum vicinis amicitia, cùm inter ciues & rectores diffidentiæ & suspiciones vigent, honorum tituli adaucti, & ridiculi atque inanes sunt, in rectores crimina grauius, quàm ea, quæ in remp. puniuntur, & peregrina arma magis quàm domestica valent.

A. B. C.

Chalcond. Polydorus. Bodinus.

Quæ respublicas conseruant.

17 Duæ potissimum causæ conseruationis rerumpublicarũ notantur: honesti & integri ciuium mores, patriarum legum obseruantes, & militiæ studium, disciplinæque obseruatio. Quamdiu hæc à Romanis seruata sunt, tamdiu eorum respub. floruit. Idem de Francis & Anglis dicere possumus. Et rectè videtur à Polybio dictum, Cùm leges ciuiles bene obseruantur, & disciplina militaris, reipub. ruina timenda non est: &, Ciuitas, in qua legibus maximè parent ciues, tum pace rectè instituta, tum bello inexpugnabilis. Hæc faciunt imperia diuturna, cùm principes alienas iniurias vindicant, suarum verò penitus obliuiscuntur.

D.

Bodinus. Polybius.

A *Principia rerumpub. ſapienter & prouidè collocanda.*

18 Reſpublica quò melius ab ortus ſui primordio temperata eſt, eò facilius vim externam repellit: à ſeipſa autem difficulter labefactatur. Noua autem dominatio non rectè ordinata, neque prudenter gubernata, magis impedit, quàm roborat, Magisqùe imminuit, quàm potentiorem reddit eum, qui illam fundauit, vel acquiſiuit. Et rectè eſt à Polybio dictum, In regnandi primordijs poſitum rerum diſcrimen, ac vt initio animi populorum afficiuntur, ita ferè deinceps reges vel contemnuntur, vel metuuntur. Et quia præclarius & tutius eſt à ſuis amari, quàm metui, principes & rectores ſe initio adminiſtrationis mites & lenes oſtendent, & ab omni crudelitate abhorrentes. Nam rectè Tacitus inquit, Imperium nouum inchoantibus vtilis eſt clementiæ fama: hac enim amici confirmantur, dubij in partes traducuntur, & inimicorum inuidia retunditur. Debet autem talis eſſe benignitas, vt non ad præſentes tantùm, ſed etiam ad abſentes extendatur, qui ſolum verterunt: & non ſolùm clementiæ, ſed prudentiæ eſt, exules reuocare. Irrequieta enim ingenia habent, & foris audent, quod domi aggredi metuerent: & nouas ſæpius contrahunt amicitias, iis, qui rerum in patria potiuntur, exitiales, vt Dion Syracuſanus in Græcia fecit contra Dionyſium Iuniorem: & Henricus Lancaſtrius Anglus in Gallia contra Richardum II. Angliæ regem: Melphitanus regulus contra Arragonios. Atrociter exules perſequi, exitiale ſæpe fuit. Napus & Caſſonus Turriani nimia auiditate perſequēdi exules, principatum Inſubriæ amiſerunt. Lotrechius & Leſcutus claram ſui regis victoriam exules inſectando inutilem reddiderūt, & quæ multo ſanguine & longo tempore parta fuerant, breuiter amiſerunt.

Tacitus. Plutarch. Froiſſard. Aemyl. Argenton. Iouius.

B C D

Quæ forma reipublicæ præſtantiſſima.

19 Cùm tres legitimæ reip. formæ in vſu ſint receptæ, nempe Ariſtocratia, Democratia, & Monarchia: diu eſt diſputatum, quænam ſit præſtantiſsima. Ariſtocratia cæteris præfertur à quibuſdam, quòd æquum eſſe cenſent, vt qui conſilio, prudentia, & virtute præſtant, in eminentiori honoris gradu ſint conſtituti, aliter virtus ſuo præmio defraudatur,

& via publicæ vtilitati consulendi bene cupientibus præcluditur. Præterea dicunt, tacito omnium populorum consensu, veritate cogente, honorem Aristocratię deferri, cùm in Democratia & Monarchia publica munia administret senatus ex optimatibus constitutus. Adhęc quia populus Dei hac reipub. forma prius vsus est, & Deus ipse iratum se ostendit Israelitis, quòd regem petierint: vnde facilè iudicari, Deum eam gubernationis formam præ cæteris approbasse. Ex successu etiam apparêre Democratia, & Monarchia præstabiliorem. Nam in Democratia magnę confusiones reperiuntur, cùm multæ resp. populares in Græcia fuerint, nulla reperta est, Atheniensium excepta, quæ magnos habuerit progressus. Monarchia sæpius tyrannicè gubernatur. Sunt qui Democratiam meliorem putant, quia omnes æqualiter libertate fruuntur, & quisque laborum fructum sentit. Addunt etiam in Democratijs excellentiores homines fuisse in armis & legibus, & alijs rebuspub. viam rectè gubernandi monstrasse, atque res præclaras gerendi: quales apud Græcos fuêre Epaminondas, Solon, Themistocles, Demosthenes, Æschines, Demades, Hyperides: Apud Romanos Scipiones, Marius, Sertorius, Pompeius, Cæsar, M. Antonius, Cicero, Hortensius. Præterea Democratijs datum esse, vt tyrannides euertant, & oppressorum populorum iniurias vlciscantur, & inter reges, & principes diiudicent, ita vt ij, quibus se adiungunt fortiores, & superiores semper euadant, vt de Atheniensibus, Romanis, Heluetijs videre est. Plures monarchiam præferunt, varijs rationibus fulti. Prima, quia origenem trahit ex œconomia, in qua paterfamilias præest, ad cuius præscriptum boni principes, regna sua administrantes, pastores populorum nominati sunt: inde inferunt, cùm familia sit reipublicæ fundamẽtum, illius imaginem debere etiam esse. Secunda, quia magis secundum naturam est, vt in multis videre est. Sol dominatur & regit in cœlo, grues habent suum ducem, apes in alueolis suum regem. Tertia, quia diutius durare solet: nulla enim respublica popularis, nec Aristocratia durauit per mille ducentos annos, quod multis regnis cõtigit. Quarta, quia antiquior. vetera enim & priora, puriora & pręstantiora semper iudicata sunt, Fuêre autem prius, cùm homines in vnum coalescere cœperũt, regna & principatus: dein abusus Monarchiæ alias formas reipub. gubernandæ peperit.

Quinta

A Quinta maiorem ſplendorem habet, ideò ſocijs, & amicis pulchrior & ſpectabilior videtur, hoſtibus terribilior. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quibus ad extollendam hanc vel illam reipublicæ formam homines vti ſolent. Nos ex Paulo diſcimus, omnem ordinationem à Deo eſſe, ideo bonam amplectendam & amandam. Quod attinet ad felicitatem & diuturnitatem: illa ex legum obſeruatione promanat, & omnis adminiſtratio felix & tuta videtur, quæ ſuas leges inuiolatas ſeruat. Quantum ad præſtãtiam, excellere in hoc Monarchia videtur, quòd maieſtatem & authoritatem facilius, & cum maiori ſplendore B tuetur celebrioriq. fama. Ariſtocratia maiorem modeſtiam & moderationẽ præ ſe fert, & quietiorem ſtatum habet. Democratia quo Ariſtocratiæ ſimilior, tutior & ſplendidior eſt. Vt autem hæ populis pacificis & moderatis magis conueniunt, ita monarchia elatis & ferocibus.

Pauſan.
Ariſtoteles.
Phil. Mel.

Variæ Monarchiæ ſpecies.

20 Monarchia ſiue regnũ varijs modis adminiſtratur, quandoquidem variæ regnorum ſpecies in mundo extiterunt. Prima C regni ſpecies, qualis fuit heroicis temporibus, vbi reges ſine legibus imperauerunt, ſed ad vtilitatem populi, inſtar domeſtici principatus patrisfamilias in liberos. Hæc forma plurimùm habet humanitatis, ſed in tanta paucitate bonorũ principum, rara. & quia facile eſt, vt talis gubernatio in tyrannidẽ vergat, excogitata ſunt vincula, quæ inijcerentur tantæ poteſtati, additæ ſunt leges regibus, vt ex ſcripto iure gubernarent rempublicam. Eſt igitur alia ſpecies regni ſummum imperiũ, ſed certo iure circumſcriptum. Quædam nationes etiam addiderunt cuſtodes regibus, qui ius haberent redigendi eos in or- D dinem, ſicut Lacedæmonij addiderunt Ephoris. ac ferê nunc talia regna ſunt: habent enim leges, habent & cuſtodes, & populus omni libertate non priuatur, quia vocem habet in comitijs, vt fit in Germania, Polonia, Anglia, Gallia, Hiſpania: & talis reipublicæ ſtatus, qui ex tribus compoſitus eſt, tutior, firmior & ſplendidior, in quo ſcilicet princeps imperium obtinet, magiſtratus habet authoritatem, & populus potentiam & arma. Et fere nunc talia regna ſunt in Chriſtiano orbe.

Phil. Mel.

A

An mulier iure poßit regnum obtinere.

21 Qui muliebre imperium probare non possunt, varias rationes adducunt. Dicunt enim, cùm mulier imperium in viros tenet, diuinas leges violari, quæ fœminas imperio virorum disertè subiecerunt: & ipsius etiam naturæ, quæ masculis imperandi, iudicandi, concionandi, belligerandi potestatem dedit, fœminis ademit. Gentium præterea leges violari dicunt, quæ nunquam fœminas regnare permiserunt. Assyrij B enim, Persæ, Hebræi, Ægyptij, Græci, Romani, Abyssini, Pœni, Germani, Schythæ, Franci, Gothi fœminas ab imperio longè summouerunt. Hoc insuper addunt, cùm in œconomia (quæ fundamentum rerumpublicarum est) viro subdita sit, absurdum admodum videri, vt in republica summum locum teneat. Rationem etiam ex scriptura sacra adferunt, cùm Salomon dicat, Væ terræ, cuius rex puer est. Maior videtur esse pœna, cùm fœmina tenet imperium. Nam pueri ætas mutatur, sexus mulieris mutari non potest. Hæc non inconcinnè dicuntur, si ad id, quod conducibilius respiciatur. Multo enim honestius & salubrius reipublicæ, si vir prudens & magnani- C mus regnet, quàm fatuus & iners, & prouectæ, maturæque ætatis, quàm puer, & vir, quàm fœmina. Sed si non dantur rectores, quales optamus, non detrectandum propterea imperium eorum, quos indignos iudicamus. Nec rectè infertur, in furore Domini, puerum in regem, aut fœminam in principem dari, ideo illis obedientiam denegandam: sed pœna, quę inde sequitur, æquo animo ferenda, quia à domino infligitur.

Phil. Mel. *Bodinus.*

Sapienter quidem & rectè fecerunt, qui in iaciendis reipublicæ fundamentis prouidêre, ne mulier imperium haberet in viros, puero regi dedêre curatores, libertatem populo reti- D nuêre, subijcientes regum sublimitatem comitiorum decretis: sed cùm ea iura obsolescunt, debent subditi præsenti rerum statu contenti, nihil nouum moliri. Sentiendum enim Deum approbare omnes politias legitimas, hoc est, quæ timori sunt malis, & bonos honore afficiunt. Talis enim politia est ordinatio Dei, vbicũque gentium est, etiamsi alibi clementior forma imperij, alibi durior sit.

Quibus

A

Quibus modis authoritas principibus acquiritur.

22 Authoritas seu maiestas in principe singulare Dei donũ est. Comparatur autem quatuor rebus præcipuè, sapientia, virtute, felicitate, & beneuolentia populi. Acquiritur sapientia, vsu, & peritia rerum, prudentum virorum consilio, & cum pijs & integris viris familiari consuetudine. Virtus, veri honoris & solidæ gloriæ adipiscendæ desiderio, & præclarorum facinorum, quę maioribus laudem pepererunt, diligenti & accurata imitatione. Felicitas ex iustitiæ obseruatione atque fiducia in Deum. Populi fauor, humanitate, lenitate, liberalitate, in sontibus puniendis solicitudine & cura, atque propriarum legum integra obseruatione, audiendæqúe plebis patientia. Facilis enim aditus, insignis patientia in audiendis, dissoluendisqúe plebis querelis, populi fauorem conciliat, & gubernationem tutiorem reddit. In summa, qui populis & cœtibus hominum cum imperio præsunt, vt suam dignitatem illibatam retineant, debent vim cum iure, potestatem cum modestia, religionem cum armis, summam rerum, atque optimarum artium scientiam, cum gubernandi labore atque cura coniungere. Vt princeps autem suam authoritatem diligenter tueatur, maximè reipub. interest. Nihil in republica periculosius, quàm contemptus maiestatis: inde enim legum authoritas labefactatur, & scelerum licẽtia crescit, quæ certum exitium secum trahit.

B C *Sadoletus. Bodinus. Iouius.*

Principum honesta exercitia in republica administranda magnum momentum habent.

D 23 Cùm virtus in quouis homine ametur, maximè in principe quosuis in sui amorem allicit, quia splendidior & augustior apparet. Siquidem in principe quiduis eximium habetur, & illius mores imitari, genus obsequij iudicatur, & commendatione dignum. Si igitur principes in aliqua re honesta se exerceant, non solùm ad ipsorum laudem vertetur, sed ad maximum reipublicæ commodum, quia omnes gestiũt principũ mores & instituta imitari. Et historiæ monstrãt vt quisque est aliqua arte delectatus, populũ in ea se exercuisse.

Sub Alexandro militabant plurimi. Sub Octauio nemo non A pangebat carmen. Neronis tempore multi per vrbem cantores, histriones, phonasci, magi, arioli. Adrianus faciebat omnes veterum scriptorum amatores. Romæ Leone pontifice omnia perstrepebant cantibus, Iulio armis, dum singuli principum mores imitandos sibi proponerent.

Viues, Iouius.

De satellitio principum.

24 Verissimè dictum est, nullũ tutius nec fortius satellitium principi, subditorum beneuolentia: & plerisque videtur iniquum, & modesta, iustaque gubernatione indignum, barbaris B & exteris potius vitam credere, quàm subditis. Hosqúe timere miserum admodum dici potest, & nimis solicitum. quod Iulius Cæsar sensit, qui rogantibus amicis num permitteret se denuò stipari Hispanicis cohortibus: respondit, Nihil miserius continua custodia, id enim esse hominis semper soliciti. Attamen si rem penitius introspiciamus, sæpe necessaria principi videbitur custodia, nusquam non tuta, semper decora, ac magnifica. Frangit enim sceleratorum audaciam, nouarum rerum cupidos in metu continet, atque principatum augustiorem reddit. Exterorum autem hominum potius, quàm subditorũ C adhibetur duabus potissimum de causis. Prima, ad retinendã illius gentis, ex qua sumitur, amicitiam, quę bello & pace existimatur vtilis. Neque enim ex inimica, aut nimis longinqua gente satellitium principum eligi solet. Secunda, quia cùm exteri non sint varijs negotijs occupati, nec curis domesticis distracti de salute, & defensione domini sui magis sunt soliciti.

Argenton. Iouius.

De fœdere cum vicinis,

25 Opes suas confirmare, & potentiam, authoritatémq. mu- D nire vicinorum amicitia, pro validissimo ac tutissimo præsidio censendum est. Non solùm enim periculum ab illis non timetur consociatis ad mutuam defensionem & securitatem animis, sed ingruente necessitate auxilium opportunum speratur, seditiones non citò emergunt, & cũ obortæ sunt, nõ difficulter sopiuntur. Hoc omnes ferè principes facere solẽt, qui non curat aut negligit, arrogans & superbus, aut planè vecors iudicatur. quod Alexander Macedo in principio regni sui pru-

A prudenter considerans, antequam in Asiam transiret: fœdus cum Grecis icere voluit. Et Theodoricus Gothus deuicto Odoacre, & subacta Italia nihil antiquius habuit, quàm pacem cum vicinis firmare. Nec principibus tantùm hoc vsitatum, sed ciuitatibus etiam: vt Latinorum quadraginta septem vrbes, Achæorum duodecim; commune fœdus ad sui tutelam inierunt. Et Heluetiorum ciuitates tredecim, Rhetorum tres, Balthicę septuaginta ijs legibus fœdera percusserunt, vt ne alij alijs noceant, & iuratos hostes in communem perniciem mutuis auxilijs persequantur.

Q. Curtius. Plutarch. Liuius. Sigonius. Bodinus.

B

De otiosis è ciuitate eijciendis.

26 Prima & nocentissima pestis reipub. otium vulgi. ideò securitatem & pacem ciuitatum hoc maximè confirmabit, si otiosi & errones è ciuitatibus eijciantur, quandoquidem ij ad omne facinus audendum semper sunt promptissimi, & nouarum rerum appetentes propter curiositatem & paupertatē. Nec ferè seditiones emergunt ex alio genere hominum: quòd præsenti rerum statu nunquam sunt contenti, & in gubernatoribus semper inueniunt, quod carpant, priuatorum nego-C tiorum defectu, publicis se immiscere conantur. Et prudenter Athenienses fecerunt, qui lege lata ociosos capitali supplicio dignos iudicarunt. Experientia etiam docet, quo magis negotiosi & occupati ciues sunt, eò maiorem ad principes ciuitatis, & rempub. vtilitatem redire. Idcirco prudentes magistratus eos, qui ingenio & industria valent, & ad rem augendam honestis laboribus sunt intenti, omni fauore & beneuolentia prosequi solent: qualis Henricus VII. rex Angliæ fuisse memoratur, qui mercatoribus non rarò pecuniam gratuitò mutuo ad tempus dabat, vt mercatura in ipsius re-D gno esset frequentior & copiosior, atq. hac ratione effectum est, vt quotannis à mercatorib. vltro citróque commeantibus maxima auri argentique vis in regnum importaretur.

Ph. Mel. Surius.

De impartiendo honore, & distribuenda mercede pro meritis.

27 Maximè etiam ad reip. splendorem, & conseruationem valet, honores, & mercedes pro dignitate & merito distribuere. hoc pacto ad honesta exercitia via sternitur; quandoqui-

dem generosus animus ad res arduas & difficiles adgredien- A
das spe honoris incitatur, cùm aliter obseruatur, non solùm virtutis alumni despondent animos, sed flagitiosi in proposito malè agendi confirmantur. Viri magnanimi præterea grauiter offenduntur, quum nullus meritorum habetur respectus. Semper enim impatienter tulerunt, æquari aut postponi impijs in honore, qui solius virtutis merces est. Nec summis magistratibus expectandum, vt ab ijs, qui bene de repub. meriti sunt, merces petatur: nam honor prohibet adulari & emendicare mercedes virtutis, quæ debẽt merentib. offerri. Et meritò laudatur Archelaus Macedoniç rex, qui im- B
portunis efflagitatoribus nihil dabat, prçclaris viris nihil petentibus, largiebatur. Mercedes autẽ quæ à principibus reip. dantur merentibus, quanto plus commodi & lucri habent, tanto minus honoris, & semper commodum splendorem, & dignitatem honoris minuit. Ideò vt seruetur proportio pro ratione personarum, honorifica munia nobilitati dari debẽt, quæ lucrosa & minus splendida plebi aptissimè cõueniunt.

Plutarch.
Phil. Mel.
Bodinus.

De coercitione delictorum.

28 Sontes punire, quemadmodum de communi societate C
optimè meritos remunerare, ad quietem rerumpub. confert. Nam qui remp. in qua viuunt, florentissimam cupiunt, vix vtilem operam ei præstare possunt, cùm à malis infestantur. Puniendorum autem delictorum duplex causa assignatur: vna, commonitionis: altera, animaduersionis. Commonitio delinquentis causa fit, cùm ei qui peccauit, vel pecunia, vel leni coercitione mulcta dicta: quòd eò fit, vt deinceps qui deliquit, ad bene honesteq. viuendum promptior, & emendatior fiat. Animaduersio, non ipsius qui pœna adficitur, sed reliquorum, qui supersunt, gratia, adhibetur, vt metu pœnæ D
reliqui à malè agendo deterreantur: nam impunitate, & mora inualescunt malorum vires. De bonis autem damnatorũ conducibilius & honestius à plerisque censetur, vt litis contestatæ expensis persolutis, atque ære alieno & prçmijs accusatorum, residuum relinquatur hæredibus.

Plato.
Bodinus.

Quomodo aptè prouidetur, ne inimici noceant.

29 Cùm non omnes subditi principibus & magistratibus qui

A qui ſub eorum authoritate rempub. adminiſtrant, bene velint, ſed refractarij & peruicacis ingenij vbique inueniantur, ne ij præſentem rerum ſtatum perturbent, diligenter cauendum: in quo magna prudentia opus eſt. Omnes retinere, quorum fides eſt ſuſpecta, non admodum tutum videtur: verendum enim eſt, ne oblata occaſione nouas res moliantur. Omnes, qui hoſtilem animum induerunt, trucidare, immane & tyrannicum. Omnes eijcere, periculoſum. Nam ſi in vnum coierint, graue bellum poterunt mouere, quod pręſentem rerum ſtatum in periculum deuocare aptum erit, aut prorſus B euertere, vt Dionyſio Syracuſano accidit, & Turrianis Mediolanenſibus. Tutius multis videtur, vt ferocioribus & magis ſeditioſis eiectis, alij tanquam proſcriptorum obſides retineantur. Nec inconſultè agere videntur, qui à ſe, vel anteceſſoribus proſcriptos reuocant: nam eo beneficio peruerſa ipſorum conſilia peruertuntur, & infringuntur conatus. Prępterea exilij incommoda, quæ ſenſerunt, admonent, vt paci & quieti ſtudeant. Quod Alphonſus Ateſtinus Mutina recepta fecit, qui omnibus, qui defectionis authores fuiſſent, integra fide pepercit, eosqûe in gratiam recepit, edicto propoſi- C to: quo cuncti exules, re omnium incolumi, ſaluóque veteris amicitiæ iure, ad penates vocabantur: nihil ſibi ad laudem & ſecuritatem efficacius exiſtimans, quàm beneficio & lenitate ſubiectorum animos redimere, & iniuriarũ penitus obliuiſci. Idem fecit Coſmus Medices, qui in reducendo exules, & rebellibus veniam dando, humaniſsimi principis famam acquiſiuit, & nouam dominationem optimè firmauit. Non diſsimiliter ſe geſsit Carolus VII. Franciæ rex, qui auito imperio planè ſpoliatus, & in curia Pariſiorum, ſucceſſione paterna indignus iudicatus, victoria de hoſtibus parta D ſenatum populumqûe Pariſienſem in fidem humaniſsimè recepit abolita omnium iniuriarum memoria.

Plutarch.
Iouius.
Bodinus.

Prudenter auertenda ferocium gentium arma.

30 Etſi imperia non minus armorum præſidio, quàm legũ authoritate retinentur, & vis omnis hoſtilis oppoſitis corporibus repelli ſolet: tamen exterarũ gentium, quæ animorum ferocia, & robore corporũ celebres ſunt, vires graui maturóq. conſilio vtilius auertũtur, quàm potentia armorũ ſuſtinẽtur.

Vulneribus enim atque iniurijs non videntur irritandi, quorum virtus est omnibus formidabilis. Cùm eiusmodi populi arma parant, muneribus, & omnibus amicitiæ officijs imminentem cladem auertere, quàm summa vi obsistere multò vtilius est. Eo modo Romani Parthos à finibus imperij summouêre, Græci Scythas ab inuadenda Græcia auertêre, Galli Heluetios victoriæ imminentes in patriam suam repressêre. Nec vitio verti debet, ab ijs pacem emisse, à quibus si victi essent, nulla vtilitas sperari posset, & si victores euaderent, summa calamitas esset expectanda.

Gulielm. Tyrius. Iouius.

A B

De celebrandis comitijs.

31 An ordinum conuentus sæpe indicere, & comitia frequentia celebrare principibus conducibile sit, inter omnes non conuenit. Nihil principibus peius accidere posse, nonnulli asserunt, inde enim maiestatem imminui, & authoritatem conuelli, quòd principis sit imperare, leges dare, & facienda præscribere, non à subditis consilium capere. Et cùm lege regia omnis potestas à populo in principem translata sit, insanum videri, & maximè incommodum, quod ratum, & communi consensu confirmatum est, in dubium reuocare, & permissis suffragijs tanquam irritum reddere. Hæc tragicè exaggerantur ab ijs, qui tyrannis applaudunt. Sed sciamus, ordinum conuentum principibus decorum & vtilissimum esse. Nam princeps, qui officio suo satisfacere cupit, populi sibi à Deo commissi commodum procurabit: quod aptius facere non potest, quàm illius preces & quiritationes audiendo. non facilè enim subditorum necessitatibus prouidere potest, si non intelligit: nec melius cognoscere potest, quàm in comitijs, vbi quid reipub. potissimum profuturum sit, dispicitur: quid desit, aut culpari possit in gubernatione, liberè, & sine adulatione princeps admonetur. Tribus autē præcipuè de causis ordinum conuentus olim fuêre instituti. Prima, quia rationi consonum videtur, vt matura sanáque consilia inueniantur in honorifico prudentium & spectatæ virtutis hominum cœtu, quæ publicè & priuatim reipub. prodesse possunt. Secunda, quia libertatis pars est (quæ in legitima politia non prorsus tollitur) vt authoritas & consilium interueniat negotijs, in quibus consistit ruina & conseruatio

C D

ipso-

A ipsorum statuum, & id per omnes ratum habeatur, quod ad omnes pertinet. Tertia, vt qui gratia & authoritate pollent apud principes, & locum in rerum administratione habent, in officio retineantur, ob metum huius conuentus, vbi querimoniæ populorum patienter audiuntur. Ad eos autem sæpe celebrandos mouere deberent magnæ vtilitates, quæ inde promanârunt. Amphyctionum concilium apud Thermophylas singulis annis habitum, magnam tranquillitatem & diutinam attulit duodecim ciuitatibus & prouincijs Græciæ, quæ fœderatæ eo concilio vtebantur. Comitia Germa-B niæ publicam pacem retinent & cónseruant. Parlamentum Angliæ factiones sæpe fregit, & impendentes tumultus auertit. Regum quisque in principio regni ordines conuocat, postea quoties ei commodum videtur. Maximam etiam vtilitatem percipiunt alia regna, quæ hoc instituto vtuntur: vt Arragonicum, Valentinum, Catalannicum, Scoticum, Danicũ, Suedicum, Bohemicum, Polonicum, in quibus tres ordines superintendentiam rerum hucusq. habuerunt. Olim in Francico regno trium ordinum conuentus ea fuit authoritas, vt non modò quæ ibi statuta forent, sacra sanctaque haberen-C tur, seu pax facienda, seu bellum gerendum, siue regni procuratio cuiquam deferenda, siue vectigal imperandum esset: verumetiã reges, luxus, desidiæ tyrãnidisúe causa in cœnobiũ detruderentur. Sic regnorum ordines ad frenandos supremos magistratus constituti, possunt iure, & ex officio debent omnibus modis illis resistere, cùm in tyrannos degenerant. Peruersè autem allegatur, regum dignitatem atque authoritatem minui, quia ibi populus nihil decernit, nec proponit, nisi per supplicem libellum. Si quid authoritatis deperit, non regibus, nec principibus deperit, sed soricibus aulicis, D qui dominorum gratia & fauore abutuntur ad expilandam miseram plebem. Neque in comitijs superbè de principibus conqueri solitus est populus, sed de ijs, qui peruersis rationibus rempublicam administrant, & plebem crudeliter tractãt. Et quid magis principes decet, quàm adflictæ plebi subuenire, eius preces & quiritationes benignè audire? quid vtilius illis euenire potest, quàm fidos subditos à malignè adulantibus dignoscere? Verè Argentonus dicit, eos authoritatem regum non rectè considerare, qui prohibent populum ad re-

ges accedere, & necessitates suas ipsis exponere. Non modò A vtilem, sed necessarium ordinum conuentum, dicit Budeus: vt prætores, & præfecti prouinciarum, quæstores & alij officiarij, qui ærarium gubernant, rationẽ reddant administratæ tutelæ. Nec principum decus, nec populi commodũ quærunt, nec reip. tranquillitatem & pacem curare videntur, qui comitiorum celebrationem in desuetudinem abire cupiunt, & eam quantum possunt, impediunt.

Argenton.
Budeus.
Bodinus.

An reges absolutam habeant potestatem, & quatenus legibus soluti. B

32 M. Aurelius dicebat, magistratus priuatorum iudices esse, principes magistratuum, Deum principum. Verissima & præclara sententia est, & omnium calculis approbãda, modò rectè intelligatur. Non enim ita accipi debet, vt plerique putant, quasi principes nullis legibus subijciantur: sed hunc habet intellectum, quòd principes, licet pro authoritate & potentia, qua præditi sunt, neminem timere debeant, & impunè peccare posse videantur: tamen Deum, qui scelerum vltor est, iudicem habent. Et experientia nos docet, Deum crudeles & impios principes atrociter punire, idque varijs C modis: aliquando morbis horrendis, vt Syllam, Antiochũ, Herodem, Maxentium: aliquando ignominia, & graui iactura, vt Hanonem Tyrium, Achab Samariæ, Eduardum secundum, & Richardum tertium Angliæ. Idcirco principes ab officio discedentes, cùm potentissimum dominum & seuerissimum iudicem habeant, à quo nulla appellatio est, non in minori metu luendarum pœnarum debent esse, quàm alij homines. Hoc insuper firmiter tenendum, absque iustitia neminem principis cognomine dignum: & eos, qui subditos acerbissimè expilant, facultates ipsorum velut hostium aut D mancipiorum, in prædam vertentes, imperium non firmare, sed conuellere. siquidem gentium tantũ fortunis imperare, animis omnium semel acerbitate tributorum alienatis, non optimi, sed impotentis, & temporarij regis esse videtur. Media quasi via à nonnullis excogitata est, qua principes non prorsus legibus solutos esse ostendunt, non tamen instar aliorum hominum subiectos. Dicunt illi principes suis, & prædecessorum legibus obedientiam nullam debere, sed conuen-

A uentionibus, & pactis, atque legib. à Deo latis. Sed cùm principes homines sint, & quilibet homo in hac communi societate suum officium facere, & functioni satisfacere teneatur: principes æquitatem seruare, & legibus, quas pro æquitate seruanda sanciunt, obedire debent. Quandoquidem subditorum commoda procurare, sicut pater filiorum vtilitatē procurat, & non solùm populo sibi commisso præesse: sed etiam præire, ex ipsorum officio est. Suas autem leges in precio habere debent, si eas à populo obseruari velint. Nam nihil magis authoritatem legis extenuat, quàm contemptus legislato-
B ris. Rectè idcircò Aristoteles, legislator assuefaciēs ciues suos honestis exercitijs, reddit eos honestos & iustos: nam per illum intelligentes quid sit faciendum, faciendo assuefaciunt se ad seruandas, quæ illis proponuntur, leges. Itaque certissima via conciliandi authoritatem legibus, est, vt à legislatoribus non violentur, & à iudicibus obseruentur. Et maxima concordia & beneuolētia initur, atque alitur inter principes & subditos, cùm illi se subijciunt legibus, quas promulgant: quia hoc pacto ostendunt leges ex æquitate, non pro authoritate sanxisse, & maior contemptus legum videtur, si quis
C suas leges violet, quàm si alienas. & proculdubio supremus magistratus, vt rex, vel dynasta, obligatur ad seruandas conuentiones, quas cum exteris, vel subditis facit. Nam cùm fideiussor, & veluti expromissor sit subditis conuentionum & obligationum, quas ipsi inter se contrahunt, multo magis in suo facto tenetur. Cùm autem in confesso sit, principes subijci debere legi diuinæ, scriptæ & naturali: ipsorum edicta nō debeant esse, nisi illarum expositiones, debent suis legibus etiam obtemperare. Sunt tamen quædam leges & constitutiones, quæ spectant ad ordinem politicum tenendum, quas
D principes seruare non tenentur, licet subditos obligent: quales sunt de prohibita venatione, gestatione armorū, sumptuosæ vestis vsu, exportatione mercium, connubio cū exteris, de cudenda moneta. Cùm igitur à iureconsultis quibusdā dicitur, principem legib. esse solutum, nō nisi de ciuilib. legib. de quo particulari & priuato iure est intelligendum, non de iure publico, multo minus de iure naturali & diuino: huic enim omnes & singuli homines cuiuscunque conditionis & status, subiecti: nec ab eo solui vlla authoritate possunt.

Aristoteles.
Ph. Mel.
Bodinus.

An malis principibus obediendum. A

33 Cùm principes à Deo sint constituti, vt sint parentes patriæ, & pastores populorum, publicæ societatis custodes, libertatis & legum vindices, plerisque videtur iniquis principibus non esse obediendum. Nam cùm ab officio discedunt, nec nomine, nec honore principum digni censendi sunt. Optandum quidem esset, vt principes omnes sapientia, iudicio, equitate, iustitia & pietate abundè ornati essent, vt omnium virtutum exemplum suis subditis esse possent, quales fuêre, Dauid, Salomon, Ezechias, Iosias, Constantinus, Theodosius, & vt tales habeamus, aßiduè orandus est Deus: sicut iubet ad Timot. Paulus. Sed meminisse nos decet propter peccata populi, Deum immittere malos & perniciosos magistratus. Nostra ideò peccata accusanda, cùm incommoda in imperijs conspicimus, & perinde accipere ac agri calamitatem. Non abijciendum iugum malorum principum, sacræ literæ paßim docent: cùm Christus inquit, Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris: vult impijs magistratibus obedientiam præstari. Constat enim, impium tunc fuisse Cæsarem. Cùm etiam dicit, Reges gentium dominantur earum: apertè tribuit regibus quales tunc erant, dominationis titulum ac laudem. Daniel clarè dicit ad Nabugdonosorem, quòd Deus dederit ei regnum: & Psalmus eos magistratus appellat Deos, quos obiurgat, & multipliciter accusat. Hæ sententiæ diligenter meditandæ, vt non solùm bonos principes amare, sed etiã malos tolerare & venerari discamus: non propter priuatos mores, nam malum vndecunque sit profectum, laude caret, quin odio & vituperio dignum est: sed propter Dei ordinationẽ, functio ipsa, & mandatum Dei, considerari & coli debet, etiamsi priuati mores vitiosi, & meritò crepandi sint, & gratiæ agendæ Deo, quòd etiam per malos societas publica sub authoritate legum conseruetur. B C D

Phil. Mel.

Sontes à suo magistratu fugientes non recipere, iustum & tutum.

34 Ad quietem reipublicæ, ad amicitiam cum vicinis ac iustitiæ & æquitatis famam apud omnes retinendam, plurimũ conducit, sontes tanquam ad asylum à proprijs magistratibus

fu-

A fugientes, si repetantur, reddere. Hoc enim æquum videtur, iustitiam non impedire, & flagitiosos tueri, laudem non meretur. Præterea tutum non videtur ob sceleratorum tutelam vicinos prouocare. Hippotæ cũ recepissent percussores Phocæ Bæotij, quia noluerunt reddere, obsessi à Thebanis, fuêre expugnati, in captiuitatẽ ducti, & vt mancipia venundati. Et Ioannes Fridericus Saxo ob receptum Gronbacchum Herbipolensis antistitis percussorem, in perpetuos carceres munitissima arce Gotha euersa, ductus est. Laudatur Mahometes Turcarum Imperator, qui percussorem Iuliani Medices Florentinis reddidit. Similiter Solymannus eius abnepos, qui Alexandri Medices percussorem ferre noluit. Nec propter vitandum odium eorum, qui offenduntur, solùm eiusmodi homines non recipiendi, sed propter contagium etiam: periculum enim est, ne alios audentiores ad male agendum reddant, qui sperabunt simile asylum apud eam gentem se inuenturos, vnde profugi venêre.

Pausan.
Iouius.

Delectus minorum magistratuum & officiariorum, cum iudicio à summo magistratu faciendus.

C 35 Facilior & tutior gubernatio principum erit, si cuiusque merita, ingeniũ, & dotes considerent, vt suo quisque gradu & loco collocetur, & dignitates ab indignis non teneantur: si prouinciarum etiam reditus, commoditatésq. & quantum in ærarium quotanis inferatur, diligẽter dispiciant. Eam gubernandi rationem magni nominis viri sequuti, populis sibi subditis grati fuêre, & hostibus metuendos se prębuerunt. Augustus tres libros manu sua scriptos moriens reliquit, quibus quàm diligens in suo munere obeundo fuerit, videre est. Primus erat de suis factis, & actionibus publicis. Secundus D de suo testamento. Tertius breuiarium erat totius imperij, in quo descripserat, quantum militum sub signis vbique esset, quantum pecuniæ in ærario, & fiscis, atque vectigalium residuis, adiectis eorum nominibus, à quibus ratio exigi debeat: quæ munitiones, arma, naues, arces. Tyberius, Vespasianus, Traianus, Adrianus, Antonini, commentarios scribebant politicorum negotiorum. Reges Persarum quicquid per prouincias suas, quæ erant numero centum viginti septem, gerebatur, in commentario scriptum habebant. Franciscus Valesius

ſub finem regni inſpicere quæſtorum rationes, legatos audire, munia diſtribuere, reſponſa notarijs & ſecretarijs dictare, quid & quantum peculiaris commeatus vnaquæque prouincia ſuppeditare poſſet, quas commoditates ſubuectionum haberet, quænam itinera, quænã flumina. Tali diligentia & cura principes illi vſi, reſpublicas ſuas florentiſsimas reddiderunt, & locuples ærarium morientes reliquerunt. Dignitates verò nobilitati cæteris paribus præ omnibus attribui debent, vt in omni ferè republica nobilitas prærogatiuam habet ſuper plebem: plebanus doctus & rerumperitus, nobili indocto & imperito, præclaro merito anteponi debet: nobilis verò doctus plebeio docto videtur præferendus. In ſumma, nobilitas, rerumque peritia, & probata virtus in conſpicuo reipublicæ loco ſemper eſſe debent. Qui aliter remp. adminiſtrat, neq. ſuo honori, neq. populi vtilitati conſulit.

Suetonius. Budæus. Iouius. Bodinus.

Magiſtratus cuiuslibet perſona in honore debet eſſe apud omnes ſubditos.

36 Vt leges reuereri & colere populi debent, ita & magiſtratus non ſolùm ex officio, ſed ex neceſsitate etiam. Ex officio quidem, quia cum magiſtratus ſit perſona à Deo inſtituta, vt quo ad externam diſciplinam, leges cuſtodiat, pœna corporis tranſgreſſores plectendo, bonos fouendo, & beneuolentia complectendo, omnes ei honorem tribuere debent. Ex neceſsitate, quia non facilè fit, vt eius mandatum obſeruetur, cuius perſona cõtemptui habetur. Quod Athenienſes & Romani, homines gubernandi periti, rectè intellexêre. Illi tantã reuerentiam iudicijs voluerunt adhiberi, vt in ſenatu Areopagitico riſum prohibuerint. Hi eum morẽ retinuêre, ne quis ſe inter conſulem & proximũ lictorem, quamuis officij cauſa vnà progrederetur, interponeret: filio dumtaxat, & quidem puero ante patrem conſulem ambulandi ius erat.

Valerius. Auguſt. Ph. Mel.

Magiſtratus ad quam dignitatem à Deo euectus eſt diligenter expendens, promptius ſuum munus obibit.

37 Cùm multa impedimenta magiſtratib: offerantur, ne rectè ſuum munus explere poſsint, vt familiarium aſſentationes, vlciſcendi iniurias cupidines, voluptatum illecebræ, laboris & moleſtiarum fuga: diligenter attendere debent, ad quid

A quid sunt vocati, & reiecta omni mora, ijs, quæ sui sunt officij, incumbere. Duo autem ad id præcipuè inseruire possunt. Primum, si viros probos, iusti & æqui amantes, & publicæ tranquillitatis studiosos apud se habuerint, eosque sui officij admonentes libenter audierint: quod Persarum regibus in more fuit: vnus enim è cubicularijs quotidie antequā surgerent, admonebat, vt negotijs, quæ sibi à Deo cōmissa erant, prouiderent. Secundum, si dignitatem, qua à Deo ornati sunt, optimè considerent, quòd scilicet ab illo constituti sunt patresfamilias multarum ciuitatum, plurimorúmq. populorum pastores, & cuique ius administrent: Dei supremi vices in hac re apud suos coæquales gerentes. Tunc proculdubio omnia sua studia, labores, cōsilia, conatus cōuertent ad id, vt in cōmune prodesse possint, eósq. sólos bonos rectores putabunt, qui omnia ad commodum eorum, quibus sunt præfecti, referunt, omnib. prodesse student, officere nemini, qui deniq. pacem, quietem populis comparant ac relinquunt.

Xenophon. Auentin. Phil. Mel.

De electione officiariorum ac magistratuum.

38 In eligendis magistratibus & officiarijs spectandi mores, & ætas propter authoritatem. Nam ijs, qui corruptis moribus sunt, iuuenibus, & rerum imperitis, non facilè conciliatur authoritas, sine qua magistratus rectè officium facere non potest. Rerum autem peritia non nisi longo vsu, & assidua exercitatione acquiritur, quam iuuenes pro temporis & ætatis ratione habere non possunt. Præterea nec tutum, nec commodum videtur ijs, qui suis cupiditatibus imperare non possunt, rerum gubernacula tradere, licet sagacitate & industria multis senibus antecellant. Nec abs re ab Oratore dictum, Perdidere rempublicam oratores noui, stulti adolescentuli. Nota est futilitas Alcibiadis, qui in senatu coturnicem quærebat, quæ ex sinu euolauerat. In Lacedæmoniorum senatum nemo recipiebatur, nisi sexagesimum annum impleßet. Lex erat apud Chalcidenses, ne quis annos natus infra quinquaginta, vel magistratum gereret, vel legationem obiret. Romulus suos consiliarios creauit, qui patres erant, & qui in regenda familia iam suæ modestiæ & prudentiæ specimen ædiderant: & hic mos ferè apud omnes gentes obseruatus est. Si cum senibus iuuenes cooptentur: differen-

tis ętatis non debet par authoritas esse, sed iuuenes cũ senibus A tanquam in schola, ab illis gubernandi ratione addiscere debent, nec iuuenibus primum locum concedere par est. Nam licet ingenij acumine, promptitudine, atque solertia præpolleant: rerum vsu, iudicij firmitate, atq. constantia, consiliíque certitudine nequaquã pares sunt. Per gradus ad summos honores peruenire, vt in militia, sic in ciuili administratione cõmodissimum videtur, & in omnibus rebuspublicis bene cõstitutis obseruatum fuit. Apud Romanos, qui præturam capiebant, magistratum aliquem inter vectigales populos tenuisse oportebat. Hac de causa Sylla cauillatus in ætatem iu- B nioris Marij, qui consulatum per ambitum adeptus fuerat: dicebat, eum debuisse prius remũ tractare, quàm gubernaculũ. Quantum ad mores attinet: nec æquum, nec decorum, eos morum censuræ præficere, qui vitæ sceleratissimæ sunt, nec eos ad publicam gubernationem eligere, quorum genus nescitur, & vita ignota est: & admittendos in senatum cogit solicitus honor senatus examinare. Lex erat Solonis, quæ iubebat vitam magistratuum examinari, antequã officium auspicarentur, & postquam defuncti erant officio suo, Alexander Seuerus ituris pręsidibus in prouincias, mulos, equos, ve- C stes & coquos publicè dabat, in quadruplum illa redditurus, si malè se gessissent. Ita prouisum ab eo fuit non modò illorum necessitati, sed etiam authoritati & honestati, atque publicæ prouincialium vtilitati. Perniciosissima autem rerumpublicarum pestis, cùm officia & beneficia venduntur, necesse enim est, ius venale ibi esse, & qui in solidum emerunt, particulatim institorum more vendant. Inter Romanos principes Alexander Seuerus ab hac republicę labe vehementer abhorruit: dicere enim solitus erat, se non passurum mercatores potestatum. Tam graue autem & periculosum hoc ma- D lum est, vt reipub. quam inuasit ruinam minetur, quia in declinatione imperiorum id accidisse compertum.

Aristoteles. Plutarch. Heraclid. Alex.ab Al. Bodinus.

An sæpius magistratus mutare, vel perpetuò manere in officio, conducibilius sit.

39 Vtilissimum reipub. à quibusdam æstimatur, si magistratus sæpius mutętur, quia spes, & expectatio honoris rempublicam amare cogit, inuidiam, qua laborant, qui ad hono-

res

A res sunt euecti, aufert, & tumultibus multis occasionem præscindit. Antiquitas quidem voluit, prouinciarum administrationis dignitatem annua successione reparari, vt nec diutina potestate vnus insolesceret, & multorum prouectus preclara ingenia ad bene agendum accenderent. Popularis quidem status commodius conseruari posse videtur cõtinua officiariorum mutatione, vt quisque pro meritis partẽ habeat in rerum administratione, sicut habet in potestate, & ne consuetudo diutius imperandi aliquem alliciat ad arripiendam supremam potestatẽ, & merum imperium sibi acqui-
B rendum. Id autem de omnibus officiarijs intelligi non debet, quandoquidem melius est in omni reip. forma, vt senatores sint perpetui, quia quum sæpius mutantur, reuelantur secreta gubernationis. Præterea noui non sunt exercitati in administratione, ideo ab alijs coguntur consilia petere, aut cũ reipublicæ incommodo errare. Officiarij perpetui maiorem habẽt negotiorum, & in illis expediendis & tractandis dexteritatem, maioremq́ue in imperando authoritatem. Nec minor incommoditas in frequenti gubernatorum mutatione plerisque videtur, quàm si formæ politiarum, legum, & gu-
C bernationis mutarentur: ob id in quibusdam Democratijs officia videntur in corpore perpetua, in singulis hominibus annua: vt Argentinæ sex consules deliguntur, qui per totam vitam in ea dignitate manent, sed suo ordine quisque munus exercet. Ea autem officia perpetua esse debere videntur, quæ longo temporis vsu opus habent, vt ritè exerceantur, & in quibus arcana gubernationis consistunt. Quòd si in Democratijs opus est quædam officia perpetua esse, multò magis in Monarchijs, quia præcipua earum gubernatio consistit in obedientia, quam exigere melius possunt, quorum virtus iam *Suetonius.*
D cognita. Tyberius Imperator collatos semel honores non facilè ademit, populi vtilitatem respiciens, cùm saturos & opulentos præsides minus noxios prouincialibus, quàm nouos & famelicos duceret. Ludouicus XI. legem tulit, qua cautũ, vt officiarij sint perpetui ad obitum vsque, nisi resignatio, aut delictum interuenerit. *Bodinus.*

Mutatio principum reipublicæ vtilis non est.

40 Minorum magistratuum atque officiariorum frequens

mutatio non tam populis detrimentosa, quàm principum, A quia varias & graues mutationes secum trahit. In noui principis gubernatione noua consilia, noui conatus, nouæ leges, noui officiarij, noui amici, noui inimici, noua vestimenta, noua viuendi forma, noua fœdera. Nam principes ferè omnes delectantur mutatione penè rerum omnium, & ea mutatio plerunque attrahit, vel bella extera, vel ciuilia. Nam vicini vel despecti, vel irritati in vindictam exardescunt, & subditi instituta, quibus assueuêre, sibi impotenter eripi non facilè patiuntur. Idcirco populi seueritate nimia rectorum si quãdo premantur, ne propterea mutationem exoptent: nam in- B commoda, quę in præsenti statu & gubernatione sentiuntur, cum minori damno ferentur, quàm principis & gubernationis mutatio. Sed vt Polydorus inquit, Semper mortales futura meliora putantes, præsentia minus probant, sed noua temerè exoptantes, intempestiuæ cupiditatis pœnas sæpius persoluunt.

Suetonius.
Bodinus.
Iouius.

De ærario.

41 Qui rerumpub. administrationem habent, vt aptissimè & opportunè omnibus incommodis, & belli maximè pro- C uidere possint: ærario studere debent. Nam in subitis & difficillimis casibus exprompta & parata pecunia opus est, quæ in ipso periculo incommodè cogitur. Præterea inopes principes vbiuis gentium contemptui habentur, & vix suam dignitatem tueri possunt, vt non ineptè Alfonsus Ferrariensis dixerit, Principis inane nomen, & id contemptui & iniuriæ expositum, nisi eius ærario prægrandem signatæ pecuniæ vim ante periculum congestam contineri, seruarique omnis generis homines existiment. Duo autẽ præcipuè in hoc negotio consideranda veniunt. Primum, quomodo ærario pro- D uidendum. Alterum, quomodo congestis pecunijs vtendum. hoc est, quomodo conseruandę sunt, & quomodo expendendæ. Prouidendi ærario septem modi à quibusdam notantur. Primus est, ex patrimonio reip. Ad communem autem omnium vtilitatem pertinet, remp. amplum patrimonium habere: quia sine alicuius inuidia ex illius fructibus congerere pecuniam licet. Secũdus, ex bello partis. Extra omnem rationem videtur magnas impensas in re aliqua acquirenda face-

A re, ex qua nulla vtilitas percipitur, & quæ virtute parta sunt, cùm seruari non possint absque magnis expensis, non iniqua omnino ratione vectigalia maiora imponuntur quæsitis bello prouincijs: quærunt enim victores bellicas expensas resarcire, & partam regionem sine aliarum incommodo defendere. Spolia etiam deuictarum vrbium non videntur inutiliter consumenda, sed quantum fieri potest, conseruanda: sic expensæ belli absq. victorum damno resarcientur, & si quid superfuerit, ad defensionem totius reip. proderit. Hac de causa Romani suos duces victores cogebant spolia de hostibus
B parta, aut saltem bonam eorum partem in ærarium inferre. Tertius, ex donis amicorum, quod olim frequens erat, quàmplurimi enim apud Romanos, hæredes principes instituebãt, aut ijs legata relinquebant. Quartus, ex pensione & tributo fœderatorum: & æquitas videtur postulare, vt quod gratia totius populi largitum est, eius commodo inseruiat. Quintus, ex negotiatione, vt Sueonum & Lusitanorum reges faciunt. Sextus, ex portorijs & telonijs. Septimus, ex tributis subditorum. Quinque primi modi non sunt apud omnes populos: vltimi duo vbique sunt in vsu. Ab exteris mercatorib.
C plus exigere, quàm à subditis multæ rationes mouent, & præcipuè hæc, quod tempore belli, vbi pecunijs maximè opus est, subditi semper sunt in promptu, exteri non sunt. Maius teloneum ex mercibus, quę exportantur, quàm ex ijs quę importantur capiendum esse, ratio conuincit. His enim plebs subleuatur, ex illis inopiam sentit. In mercibus, quæ ad corruptionem morum seruiunt, magnum tributum imponi, iniquum videri non potest: hoc enim pacto sumptuosi, & delitijs perditi, precio ab insania deterrentur, & quod inutiliter & malo exemplo consumeretur, in reip. cõmodum vertitur.
D Addi potest octauus modus ex parsimonia, quando principes abdicato luxu elegantes malunt esse, quàm sumptuosi: & subditis frugalitatis & modestiæ exemplum præbent, in qua re memorabiles fuêre Alexander Seuerus, & Alfonsus Atestinus. Pecuniæ verò in ærarium congestę honestè expendantur: primò soluendo mercedes, quæ officiarijs & domesticis pro nauata opera debentur. Secundò, munera conferendo legatis, qui ab exteris principib. & amicis ciuitatibus mittuntur. Est enim hoc honorificũ & splendidum, & ad retinendam

ac extendendam famam maximè accommodum. Tertiò in muniendis arcibus & vrbibus,quæ ſunt in finibus, atque alendo inibi præſidio. Hoc ad tuitionem patriæ, & ad arcendam à ſubditis iniuriam confert. Quartò, in iuuandis egenis & inopibus,vt orphanis, viduis,valetudinarijs,& maximè nobilibus, qui bellicis calamitatibus ad inopiam redacti ſunt,dum prodeſſe patriæ quærebant, & defendendo rem publicam,priuatam amiſerunt. Et cùm nobilitas principum ſtabilimentum ſit iuſtum,vtile & decorum,eſtimandum,eam à principibus iuuari.

Liuius. Froiſſard. Argenton. Bodinus.

Quomodo tributum exigendum.

42 In tributo exigendo magna prudentia opus eſt,vt ſimul publicæ vtilitati conſulatur, & æquitas apud ſingulos ſeruetur. Annuum exigere à ſubditis,etiamſi nullum immineat periculum, cui obuiam ire neceſſe ſit, ratio conuincit: nam quæ conſueta ſunt,moleſta non videntur,& periculoſum admodum eſt,neceſsitatem exigendi tributi expectare.Pecuniarum autem tributa realia, non perſonalia debere eſſe, æquitas monſtrat: vt ſcilicet quo quis ampliores facultates habet, vberius vectigal ſoluat. nam capitatio quid iniquum & tyrannicum continet. Etſi autem exactiones nouas à populo contradicente & inuito exigere violentum ſit,& nonnunquã periculoſum,tamẽ cùm vrget neceſsitas, populi totius aſſenſus non expectandus, quia in periculum prius incideret reſpublica,quàm præuenire poſſet. Tutius tamen & honeſtius principibus eſt,ſi ſubditi ratione perſuadeantur, neceſsitate ſcilicet,non voluntate id fieri. Si grauiſsimo periculo imminente,populi adſenſus haberi nulla ratione poteſt, conducibilius eſt, pecuniam mutuò à menſarijs accipere, aut patrimonium oppignerare, vel etiam vendere, quam plebem nutantem irritare: poſtea euitato periculo expenſas neceſſariò & vtiliter factas populo reſarciendas proponere. Vt tributa autem minus grauia populo ſint, colligendi cura paucis eſt demandanda: nam in exigendis tributis,vbi multi officiarij, ibi creſcũt exactiones cum magno reip. & populi incõmodo.

Argenton. Bodinus.

Quid in bellis vicinorum potiſsimum agendum.

43 Cùm vicini aut fœderati populi bellum inter ſe gerunt,

vtrum

A vtrum melius sit alterutri parti adhęrere, an medium se gerere: exempla vtriusque facti rem ad iudicandum difficilem reddunt. Malè cessit Achæis, quòd medios inter Romanos, & Antiochum Syriæ se gessêre: malè Romanis, quòd Clusinos aduersus Gallos adiuuêre, & Francis, quòd Gothos aduersus Græcos. Sæpe quidem vsu venit, vt qui bello superior est, suspectos amicos, quiquè in rebus aduersis auxilio sibi esse noluêre negligere soleat: hac ratione moti nonnulli alterutram partem sequendam esse censent. Sed qui hanc sequuntur viam, anceps consilium & iter periculosum arri-
B piunt. Nam si socij victi fuerint, non poterunt iuuare, cũ eis impendet periculum: si victores fuerint, à victis hostium numero habebuntur. Laudabilius quidem potentiori, in bellis vicinorum neutras partes sequi, quàm vnam in perniciem alterius fouere, etiamsi non sit per fœdus conuentum, debiliori quando est conuentum: hic fidelitatis, ille iustitię laudem reportabit. Qui verò firmiter apud se statuit, vicinorum & fœderatorum bellis non implicari, multò tutius & laudabilius erit eis, pacem inter contendentes procurare, quàm bellũ dissimulanter alere. In belli initio hoc difficillimum, nisi ijs, qui
C vtrisque potentiores sunt: post clades vtrinque acceptas & factum virium periculum, pacem persuadere non multum operosum. Et maximus honoris gradus semper æstimatus est, cũ quis princeps electus est arbiter pacis inter bellantes, quę honoris prærogatiua pontificibus diu seruata. Qui neutrarum partium volunt esse, si bellum dissuadere non possunt, ne vtrique prædæ pateant, consultissimum est, vt se muniant, & arma ostentent, vt eos ad vim repellendam paratos esse constet: quemadmodum Angli & Veneti faciunt, cùm inter vicinos bellum geritur.

Liuius. Procop. Argenton. Iouius. Bodinus.

D

Factiones in regno alere periculosum.

44 Vt magnatum odia & factiones non possunt sine magno populi incommodo excitari, ita principi & toti reip. exitiales reperiuntur. Ideò summoperè cauendum in rep. factiones alere: quandoquidem sæpius bellum ciuile attrahunt, bella ciuilia aut reip. mutationis, aut euersionis causæ sunt, cùm mutuis iniurijs crescit iuris & legum contemptus. Cùm itaque oboriuntur factiones, diligenter prouidendum

principi, vt quacunque ratione sopiantur. Et hac in re laudatur Alexander Magnus, qui videns Ephestionem & Craterum amicos suos hostilibus animis dissidentes, vsus est primùm amicis cohortationibus, postea grauibus minis, erga vtrumque sigillatim denuncians, se in illius partes transiturũ, qui primus ab alio offenderetur. Et Ludouicus IX. rex Franciç, dissidia inter principes suos amica recõciliatione semper sopiuit. Si princeps eos in mutuam perniciem armauerit, aut vni adhærendo, alterum persequutus fuerit, metuendum ne vitam aut imperium in periculum adducat, vt Philippo Macedoni accidit, cùm Antipatrum contra Pausaniam fouens, exitium sibi accersiuit. Populus Romanus Pompeio contra Cæsarem fauens, in seruitutem incidit. Henricus sextus rex Angliæ, cùm partes Lancastriorum aduersus Eboracensem familiam tuendas suscepisset, ab his fractus, & in carcere necatus. Philippus item Valesius Mathildi contra Robertum Atrebatem fauens, Anglica arma in exitium patriæ attraxit.

Curtius. Liuius. Plutarch. Ionuilla. Polydorus. Froissard.

A B

Initia tumultus quantumuis leuia, non sunt negligenda.

C

45 Nulla tumultus initia negligere ad sapientem gubernatorem spectat: defectiones enim non quamprimum à principe incipiunt, sed in eos, qui apud eum plurimum possunt, paulatim audacia crescit procedentibus consilijs. Et vt principum maiestas sanctior habetur rebus secundis, ita aduersis vilior. Ideo prudenter fecisse iudicatus est Tyberius, qui Clementem Agrippam se ementientem comprehendi iussit; & Henricus septimus Angliæ rex, qui Petrum Varbechium pro Eduardi quarti filio subornatum, & seditiones agitantẽ non neglexit. Carolus item septimus Francorum rex, qui Ludouicum filium noua consilia molientem, conscripto exercitu regni finibus excedere coegit.

Tacitus. Polydorus. Lilius. Aemyl.

D

Iustum & moderatum imperium, vt principibus honestum & decorum, ita & tutum.

46 Sicut subditi debent principi obedientiam, auxilium,

&

A &honorem: ita princeps debet ſubditis, iuſtitiam, tutelam, & protectionem. Cùm vtrumque obſeruatur, pulcherrima eſt in republica harmonia, aptiſsimo & vtili conſenſu temperata. Cùm primum denegatur, impotens dominatio excitatur, quæ exacerbatis vtrinq. odijs, in tyrannidem acerbiſsimam euadit. Cùm ſecundum deficit, rebellio oboritur & ſeditio. Cùm verò hæc duo mala ſint reipublicæ perniciosa, ſecundum magis exitiale comperitur. Nam, vt Thucydides habet, in ſeditione omnes formæ rerumpublicarum inſunt, quæ trahunt poſt ſe communem ruinam bonorum & malo-
B rum. quandoquidem in ſeditionibus, vnde plures ſunt, omnes adſunt. Debent idcirco principes, qui ſuam & populi ſalutem charam habent, curare, vt ſeditionibus & rebellionibus via præcludatur. Hoc autem duplici ratione effici poteſt. Prima, vt valida præſidia opportunis in locis diſpoſita habeant. Secunda, vt iuſtè ac ſecundum leges rempublicam adminiſtrent, ad communem vtilitatem magis reſpicientes, quam priuatam: pluris populi amorem, quàm ſeruilem obedientiam & timorem æſtimantes. Nam propugnaculum firmiſsimum, populi amor. Atque vſu comprobatum, princi-
C pibus coniurationes parui faciendas, vbi populi in eum fuerit propenſa voluntas: at eo infenſo, omnia ſunt, & ab omnibus timenda. Quod autem à nonnullis in populi contemptum & odium adducitur, populum beluam multorum capitum eſſe, & duræ ceruicis, ideo ad eum ſubigendum, ſeueritate opus eſſe, lenitate inſoleſcere, citra rationem allegatur. Nam, vt à prouerbij analogia non recedatur, ſicuti feræ non verberibus cicurantur, ſed blanditijs, ita populus non vi conciliatur, ſed leni imperio. Quod prudenter conſiderauit Periander, qui tyrãnos, ſi diuitibus dominari cupe-
D rent, amore potius ciuium & charitate, quàm armis ſtiparentur, monebat. Meminerint itaque principes, ſe paſcendo, iudicando, curando populo inſtitutos à Deo eſſe, eiúsque iuſtas preces promptius audiant, quàm importunas gnathonũ flagitationes, ſibi ob oculos proponentes, Conſtãtinum Magnum, qui poſt deuictũ Licinium, cũ Nicomediam veniſſet, hoc propoſuit edictũ: Si quis eſt cuiuſcunq. loci, ordinis, dignitatis, qui ſe in quemcunq. iudicum, comitum, amicorũ, vel palatinorũ meorũ aliquid veraciter & manifeſtè probare cõ-

fidit, quod non integrè ac iustè egisse videatur, securus accedat, interpellet me, ipse audiam, ipse cognoscam, & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Rectè autem Constantinus se ipsum vindicaturum dixit, vlciscẽdo populi iniurias. Nam si princeps nomini suo respondere, & officio satisfacere velit, secum reputans, quòd pater patriæ, & pastor populi à Deo est constitutus, iniuriam quæ subditis suis infertur, sibi fieri existimabit: quia ijs, qui de domo & familia sua sunt, facta est. Si in subditos imperium se habere putat, vt dominus habet in seruos: adhuc magis cum populus læditur, iniuriam sibi factam reputabit. Nam cùm domino seruus acquirat, in seruorum peculio dominus expilatur. Ideo quocunque modo princeps dominetur, rationem subditorũ habere debet. Si verè princeps est, eorum preces & expostulationes benignè audiet: si tanquam dominus imperat, sua bona, quæ in seruorum administratione sunt, nec temerè dilapidari, nec iniustè & violenter auferri sinet. Nunquam igitur rerumpublicarum rectores, siue principes, siue domini fuerint, supplices plebis querelas negligent. Et certè qui populos non audiunt, nec iniurias ipsis illatas vindicant, eos pro hostibus, non pro clientibus, nec pro seruis habent: quia patiuntur eos hostiliter tractari. Quid enim durius ab hostib. paterentur, quàm concussiones & deprædationes? Iniquior etiam est populorum iniustè oppressorum sub principib. & dominis conditio, cum illis euisceratoribus, quàm cum hostibus: quia his vim intentantibus resistere, & iniuriam armis, & vim vi repellere, illis ne contradicere quidem licet. Hæc igitur præcipua cura principibus & prouinciarum rectoribus esse debet, vt populus tranquillè, & absque tumultu in fide & officio retineatur. Magistratus enim non minus solicitè cauere debet, ne seditiones exoriantur, quàm diligenter prouidere vt sopiantur. Causæ autem seditionũ plurimæ sunt; sed hæ præcipuè recensentur: Oppressio plebis, vt sæpe accidit Romæ, cùm plebs infima à potentioribus premeretur: & in Iudæa, cùm à duris præfectis populus malè tractaretur. Distributio inæqualis pœnarum & præmiorum, vt in Anglia tẽpore Richardi secundi, & sæpe Florentiæ. Immensæ opes paucorum, & extrema paupertas multorum, vt Romæ tempore Gracchorum, & sæpe in Anglia. Impunitas flagi-

A flagitiorum, vt Lutetiæ tempore captiuitatis regis Ioannis. Principes, qui ab his cauere poterunt, tuti à seditionibus erunt. Cùm autem eò res processit, vt de sedando non vitando tumultu, dispiciendum sit, quòd armis, nō legibus ius defendatur, periculosam prælij aleam vitabunt principes aduersus subditos, quantum poterunt. Insanum vtique videtur, experiri fortunam contra illos, nisi explorata victoria. Nam si illi victores euaserint, dabunt principi legem. Cùm victoria ibi magno periculo quęratur, præstat alio modo rem decernere, quàm vniuersi certaminis alea. Quòd si prælium rem de-
B finierit, & penes principem steterit victoria, ad tollendā præsentem seditionem, & futurę occasionem, optimum est, vt pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat. Pacisci potius, quā rem prælio decernere, plerique omnes tutius iudicāt, sed promissa subditis nō seruanda multi contendunt, duplicique ratione nituntur. Prima, à paterno imperio ducitur, quemadmodum (inquiunt) pater vt insanientis filij ferociam compescat, multa pollicetur, quæ residente furore non implet: sic princeps cum insaniētę turba agere debet, nec exuit propterea paternum affectum: compescendo enim populi ferociam
C ipsius commodis prouidebit. Secunda, quòd fœdifragis fides non seruanda, at rebelles contra principem arma ferentes, fidem frangunt, quocirca fidem sibi seruari non merentur. Et princeps contra officium facere non est dicendus, si à promissis discedens, grauiter in eos animaduertit. De ijs, qui sæpius rebellarunt, & lenitate principis peiores videntur facti, non incommodè hoc dicitur. Prudentia tamen debet iustitiam comitari, nam qui errore, non iudicio peccarunt, venia digni censentur, aut saltem leniori pœna mulctandi: & acerbius puniendi seditionis authores, quàm qui metu vel vi eos se-
D qui compulsi sunt. Hac ratione motus Eduardus quartus rex Anglię ex Eboracensi prosapia adepta in prælijs victoria clamabat suis, Duces concidite, populo parcite. Videndū præterea, ne crudeli animaduersione, & violatione promissorum rebellibus occasio detur iterum arma sumendi, eáque pertinaciter retinendi, nulla pacis fœdera admittentes, quòd priora irrita viderunt. Tunc enim aut victoria carè emenda, aut spes recuperandæ pristinæ authoritatis abijcienda. Itaque malè consulunt principib. qui datam fidem, & solenni iura-

mento confirmatam abrumpere sub publicæ tranquillitatis A prætextu suadent, cùm inde plurimum periculi oboriatur. Conducibile in tali casu videtur populum ostentata firmissima acie, à pugna deterrere, & æquis conditionibus pace facta, illum in gratiam recipere: nullum enim dedecus in principem redundat, cùm suis subditis clementer parcit. Nec seditionis & rebellionis metus tantùm, sed & diuinæ vltionis principes à tyrannide & sæuitia absterrere debet. Vsu enim comprobatum, tyrannum vltra tredecim annos non regnasse, nec tyrannidem vltra centum. Deus enim tyrannos perosus mittit vindices, qui plebem iniustè oppressam vin- B dicent, vt Herculem Lybicum olim, Aratum Sicyoninm, Timoleonem, Romanos, cum libertate vtebantur: Constantinum & Carolum, Magnos. Pręterea cùm Deus passim in scriptura testetur, in suo furore populis dare tyrannos, truculentissimis & immanissimis Scythis, Attilæ & Tamerlani, quorum alter iram Dei, alter flagellum se nominabat, similes esse volunt, qui tyrannicis factis famam extendere cupiunt.

Aristoteles. Iosephus. Liuius. Appianus. August. Froissard. Fabianus. Polydorus. Argenton. Phil. Mel. Machiau. Sigonius.

De bello ciuili, seditioneq́ populari.

47 Quemadmodum grauiores morbi sunt, qui interiores C corporis partes vexant, ita seditio aperto bello acerbior est. Nam in altero hostes nobisipsis sumus, in altero nos tuemur. Nulli vnquam suorum cædes profuit, quibus pereuntibus, grauius comparatur periculum, inquit Bessario, & rectè: nihil enim molestius, nec exitialius reipublicæ alicui accidere potest, quàm si interno bello, & populari tumultu agitetur. Nam ibi nullus prudentiæ locus, occupante omnia furore, nec iustitiæ ratio habetur, cùm per vim omnia gerantur. vt principibus autem diligenter cauendum, ne seditione respublica laboret, sic populus debet omnia expendere, & extre- D ma quæque pati, antequam aduersus principes vel tyrannicè regnantes aliquid moliatur. Quandoquidem sicuti principi, non quod libet licet, ita nec populo sæpe quod licet, expedit: & persæpe accidit, vt remedium, quod quæritur vel adhibetur, ipso morbo deterius sit, & dum præsens malum quis arcere conatur, in miserias inextricabiles se conijciat. Experientia enim docet, multos vbique coniurasse: quibus autem feliciter cesserit, perpauci admodum fuère. Perniciosa est v-

nius

A nius tyrannis, ſed peior quæ plurium, peſsima omnium, & lege ſoluta poteſtas. Ideo prudenter & conſideratè diſpiciendum, ne in tollendo tyranno plures creentur, aut aliquod malum grauius tyrannide accerſatur, qualis eſt confuſio, & perturbatus populi ſtatus. Ferè fit, vt plebs à cæde tyrannorum ad aliud extremum, id eſt popularem ſtatum velut impetu feratur, conuerſio autem tyrannidis in popularem ſtatum ſemper violenta fuit, quia qui ſoliti ſunt ſub tyranni authoritate mandata & edicta populo proponere, eiq́ue viuendi modum impotenter præſcribere, pudore & metu compulſi, ne B ijs, quibus imperare ſoliti erant, ſeruire cogantur, aut pœnas acerbiſsimas de ſua ſæuitia & immanitate luere: omnia conſilia & conatus conuertunt, vt potentiam retineant, & plebs tot malis irritata in ſumenda vindicta vix exatiari poteſt. Timendum præterea, quia belli euentus ſunt incerti, ne penes tyrannum victoria ſtante, res in peiorem ſtatum deducatur. Tunc enim truculentior atque ſęuior euadet, non ſecus ac fera vulneribus exaſperata, in quoſuis obuios rabiem ſuam effundet: ita non tollentur miſeriæ, ſed cumulabuntur: libertas quæ quærebatur, duram adferet ſeruitutem, & ſalus, C quæ ſperebatur, in ruinam conuertetur. Firmiter itaque hoc teneatur, cùm violentia reprimi non poteſt, neceſsitati parendum. Hac de cauſa rerum periti cùm rempublicam peſſimè adflictam vident, & nullum remediūm oſtendi, mala patienter ferenda potius, quàm periculoſis medicamentis irritanda ſuadent. hoc etiam à rebus innouandis populum abſterrere debet, quòd bella ciuilia populū ferocem, & barbarum reddant, & ſine vlla pietate. Nec tot incommoda ex tyrannide oriuntur, quàm ex ciuili bello & tumultu. Nuſquam in eo tuta fides, ſuſpicionibus & æmulationibus o- D mnia plena, quia quilibet excellentiorem & præſtantiorem ſe exiſtimat, dolétque, quando ſuum conſilium ſpretum eſt: nulla diſciplina, quia plus militibus, quàm ducibus licet. Rem periculo plenam contra tyrannum moliri, vident & fatentur omnes: ſed pericula plerique non ſatis expendunt. Præterea in medium proferunt, quod à Plutarcho dicitur, Quæ ardua pulchra. Modò cauſa ſit iuſta, vir magni nominis & patriæ amans, pro aris & focis mortem oppetere, ſi ita fata ferant, non reformidabit, & quæ iuſtior

belli suscipiendi causa videri potest, quàm defendere rempublicam? Hæc non incommodè dicuntur ab ijs, qui patriam oppressam dolent, eamque in libertatem asserere percupiunt. Sed vitanda πολυπραγμοσύνη, quæ plerisque fuit exitialis. Non dubium est, vniuersum populum, & qui eius locum tenent, vt sunt patricij, patres, palatini, regni officiarij pro patria liberãda ab iniusta oppresione arma sumere iure posse. Exemplo est populus Romanus, qui ad Sergium Galbã misit, Neronemque hostem iudicauit. Tum Hispanici exercitus ipsum Galbam imperatorem salutarunt, ita consensu senatus præcipuorum exercitus ducum decretum est factum, vt tyrannus B tolleretur. Si manifestè optimates ipsi tyrannidi faueant, & magistratus, qui populum defendere tenentur, ipsum authoritate tyranni opprimant, aut ob illius metum negligant, tunc populus coram Deo miserias lugeat, qui propter peccata ipsius tyrannos regnarè facit: arma capere ne præsumat, ni sibi exitium accersere velit, quod sola pœnitentia vitabit. Non contra officium facient oppresi tyrannide populi, si exteros principes de suo statu certiores fecerint, ab ijsque auxilium & opem implorarint: vt Christiani orientales à Constantino Magno aduersus Licinium auxilium petierũt. Romani à Ca- C rolo magno aduersus Desiderium Longobardorum regem. Patauini à vicinis principibus aduersus Actiolinum. Quòd si ij adflictorum preces non audierint, miseri & calamitosi homines tunc malos principes ferant, meliores optent, & non secus, ac grandinem, aliasque fundorum calamitates, aut ab hostibus acceptas bellicas clades tyrannidem principũ suorum sibi æquo animo ferendam sciant, aut aliò migrandum, suaque incõmoda patienter ferre discant, apud se reputantes malorum rectorum causam, populorum peccata. Quòd verò quidam dicunt, malis rectoribus se opponere, omni iure per- D missum esse, quocunque titulo siue principum, siue dominorum regnent, licet vim inferre, aut vindictam sumere, leges nõ permittant, duabus rationibus nixi: quarum altera à seruorum conditione, altera à filiorum petitur. Quemadmodum (inquiunt) vulnus intentanti domino licet seruo manũ opponere, & furenti sese subducere persequẽti, & patrem furentem filius cohibere iure potest: ita subditi iniustas suorum rectorum oppresiones, quæ sunt velut furores, cùm eos, quos de-

A debent tueri, perdere conantur, iure impedire possunt, ijs re-
sponderi ritè potest, prudenter & solicitè cauendum, ne re-
ctores irritati iniurijs & damnis, omnia consilia & conatus
adhibeant ad crudelem vindictam sumendam, idcircò iniu-
rias (nisi admodum graues sint) pati satius videtur, quàm eas
elato animo propulsare. quòd si iniuria atrocior sit, quàm to-
lerari posit, & propulsandi facultas tribuatur, æquitas po-
stulat, vt seruetur modus inculpatæ tutelæ. Eæ autem ratio-
nes, quas adducunt ad sumenda contra iniustos princi-
pes arma, non conuincunt. Nam si seruus furorem do-
B mini se non posse cohibere viderit, & filius patris, potius
se subducent aut effugient, quàm furentibus se opponent, &
nihil periculosè audebunt. Ita subditi grauiter & iniquè à
suis rectoribus adflicti, prudenter suas & dominorum vires
expendent, priusquam vim ab illis illatam propulsare con-
tendent. Sed omnem calamitatem superat, cùm homines non
possunt pati nec morbum, nec remedium. Nullum autem
nec certius, nec tutius consilium ijs dari potest, quàm delicto-
rum pœnitudine & accuratis precibus à Deo petant & expe
ctent auxilium, asiduè animo versantes, quod est apud Au-
C gustinum: A populis principes, & à seruis Domini sunt fe-
rendi, vt exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, &
sperentur æterna.

Plutarch.
Suetonius.
Eusebius.
August.
Phil. Mel.
Bodinus.

An in bello ciuili alterutri parti sit adhærendum.

48 Lege iubebat Solon, in bello ciuili alterutram partẽ se-
qui, existimans eos, qui aliter facerẽt, pessimè erga remp. ani-
matos, vt qui non curarent quorsum res euaderet, aut ex alio-
rum damnis lucrum captarent. Pompeius in bello ciuili ad-
uersus Cæsarem legẽ illam secutus, pro inimicis habuit, non
D solùm qui ipsius causæ palã aduersarentur, sed eos etiam, qui
neutri adhęrentes, ociosi spectabãt, qualis foret belli euentus.
Cæsar amicos reputauit, qui neutri parti fauerent. Fortiori-
bus & potentioribus solet populus adhærere, quia fortiorũ
patrocinio fretus, imminens periculũ facilius propulsare cre
dit, aut damnum acceptum resarcire. Si princeps aut alius
summus magistratus vnam partem foueat, eam sequendã esse
plerique omnes adserunt, quòd principi, parentibus, nec de-
fectio, nec rebellio, quocunque res cadat, imputari posit:

& quod in re dubia & periculosa iudicio magistratus stare, omni reprehensione careat. Etsi autem magistratus omni obseruantia colendus est, tamen si de causæ æquitate non constat, melius esse videtur, ad tempus à patria abesse. Si necessariò sequendus est magistratus summus, qui malā causam tueri cognoscitur (quod Ionathæ accidit) debent quibus id contigit, quantum possunt, sæuitiam & furorē cohibere, & quauis ratione, si occasio se obtulerit, conciliationem & pacem procurare. Medium se gerere, periculosum videtur, nisi vires ad iniuriam propulsandam, & securitatem præstandam suppetant. qui hoc facere statuêre, ne ex aliorum miserijs voluptatem & lucrum captasse dicantur, malè in vtraque parte adflictos ad se confugientes, ex æquo recipere, & recreare debent, & dissidia inter ipsos quantum possunt, componere.

Plutarch. Phil. Mel. Bodinus.

De mittendis legatis.

49 Ad pacem cum vicinis & fœderatis seruandum, nihil tutiùs, quàm apud eos legatos habere. Non solùm enim principum suorum causam defendunt, sed etiam subditorum, peruersis contra patriam consilijs occurrunt, & ne quid innouetur aduersus commune fœdus, diligenter excubant. Crebras autem legationes mittere cùm bellum timetur, vtilissimum est. Nam explorantur hostium consilia, instituta expeditio aliquando retardatur, præcipuè si occulti amici, & partium fautores fuerint. Viros autem splendidos & rerum peritos mittere oportet: nam cùm legati personam eorū, à quibus mittuntur, repræsentent, si obscuri homines, aut parum cordati fuerint, in illis princeps aut respub. ludibrio & contemptui exponitur. Cùm autē omnium oculi in peregrinos coniecti sint, maximè in eos, qui legatione funguntur, & cùm suarum actionum diligentes obseruatores habeant, circumspectè & cautè omnia agere debent, & nemini nisi exploratæ fidei, quod in mandatis habent, communicare. quia reip. arcana detegi hostibus, vt ipsi reip. perniciosissimum, ita legatis ipsis periculosissimum. vt Badocrio Venetorum apud Turcas legato accidit, qui in componenda cum Solymanno pace, Nauplium & Epidaurum Peloponnesi vrbes, & Nadinum atq. Labranā Dalmatię castella, tradere coactus est. vnde atroci inuidia Venetijs apud omnes ordines deflagrauit.

Argenton. Iouius.

A

Causæ propter quas mutari imperia solent.

50 Peccata, propter quæ mutantur imperia, & pœnis, & cladibus publicis puniuntur, tria sunt maximè insignia. Impietas, iniustitia, & luxuria. Impietas ecclesiam, iniustitia politiam, luxuria œconomiam turbat, aut etiam vastat corrupta propagatione familiarum adulterino semine, & singulorum detrimenta redundant in vniuersos. Domesticæ disciplinæ vitia penetrant in rempub. Reipub. vitia in domos singulo- B rum, & contagia vtriusque corrumpunt ecclesiam: sicut è conuerso labascente ecclesiastica disciplina, collabuntur cæteræ. siquidem pietate extincta frigescit studium honestatis & virtutum. Hæc mala Iudaicam gentem tradidêre Assyrijs, & Græcam Turcis.

Ph. Mel. Peucerus.

QVINQVAGENARIA OCTAVA,

C

DE RE MILITARI.

BELLVM, quod gerendum Deo authore suscipitur, rectè suscipi, dubitare fas non est: vel ad obterendam, vel ad subiugandam mortalium superbiam, quando ne illud quidem, quod humana cupiditate geritur, non solùm incorruptibili Deo, sed nec sanctis eius obesse potest, quibus potius ad exer- D *cendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendamq́ paternam disciplinam etiam prodesse inuenitur. Quid culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia his sunt, quæ in bellis iure culpantur, vt etiam iure puniantur. Nec milites homicidæ dicendi,*

sed ministri legis, non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores. Augustinus inquit, Cùm autem leges, ius, subditi, et vniuersus reipub. status sint in protectione armorum, vt patriæ vtilem operam nauare poßimus, militiæ peritiam habere conuenit. Neque vllum maius optimæ ac præstantis reipub. indicium cognoscitur, quàm hostes fortiter arcere, & in summa tranquillitate ciues continere.

A

Quibus de causis bellum gerendum.

B

PVLCHRE à Liuio dictum. Tantum illud bellum iustum, quod necessarium, & pia arma, vltra quæ nulla restat spes. Nam cùm bellum magnarum calamitatum in vtraque parte causa sit, si res qua de agitur, aliter componi potest, non videtur suscipiendum. Quatuor itaque maximè præuidenda, & diligenter consideranda ei, qui bellum mouere decreuit. Primũ, vt iustam habeat belli causam, quia sine iustitia nihil feliciter nec laudabiliter geritur. Videtur autem iusta causa, quum vis illata propulsatur: nam iure omnium gentium defensio aduersus vim illatam permittitur. Et insanię opus esset, iacere desidem principem, aut populum, ingruente hoste cum exercitu. Item si quid per vim & iniustè ereptum est, æquum videtur repetere: nam veterem ferendo iniuriam prouocatur noua. Æquum etiam videtur, iniuriam fœderatis & socijs illatam propulsare, & iustam eorum causam tueri. Romani sociorum tutelam semper ad se pertinere, & satis iustam belli causam esse ducebant. Hispanicus rex Alphonsus, auem Pellicanum sibi pectus fodientem, & sanguine suo pullos alentẽ, in insignib. pinxit, & adscripsit, Pro lege & pro grege, significans has duas iustas bellorum causas: defensionem subditorum, & patriarum legum. Secundum, vt vires ad resistendum hosti sufficientes sint. Admodum enim periculosum videtur, cum eo hoste armis contendere, qui rei militaris sit peritior, pecunia & virib. superior. Quemadmodũ rex Agrippa dissuadens bellum cum Romanis, Iudæis dicebat. Tertium, vt

C

D

dili-

A diligenter hostium consilia explorentur, vt illis quantum fieri potest, obuiam eatur, & nihil temerè suscipiatur: temeritas enim maximè in bello damnosa. Quartum, vt in bello gerendo occasiones captentur: nam hostes prælio intentos, & omnibus reb. abundè instructos inuadere, temeritatis & insaniæ maximum signum est.

Ios. de bel. Iud.
Harthon. de Tart.
Æn. Sylu.

De diligenter consultando.

2 Cũ de bello inferendo, vel sustinendo deliberatio incidit, consilia & opiniones diligẽter expẽdendæ, ne temerè quo immodici affectus nos ducunt, aut falsa persuasio, impellamur, vnde postea nos extricare, nisi cũ insigni damno & maximo dedecore poterimus. In hoc errarũt Thebani, qui de bello aduersus Alexandrum gerendo, leuiter consultarunt, illudqúe improuidè auspicati sunt, ipsum facilè debellari posse putantes, quod iuuenis & rerum imperitus esset, atque in rebus bellicis non multum exercitatus, non expendentes eum acerrimi ingenij, gloriæ auidum, vigilantissimum & periculorum contemptorem, veteranoqúe exercitu, atque in armis indurato stipatum. Ita temerè bellum inchoantes vrbi excidium peperêre. Non dissimiliter Galli nuper fecêre, qui pactas cum Hispaniarum rege inducias abrumpere ausi, facilem sibi victoriam de Philippo pollicebantur, quod illum rerum bellicarum non admodum peritum scirent, non reputantes duces acerrimos in disciplina patris institutos, prudentes cõsiliarios, & bene consentientes habere. Inconsulti autem consilij, & stultæ alacritatis ita pœnas luêre, vt pacem cum summo damno facere cogerentur. Neque minus cautè & consideratè Imperatori exercitus in bello administrando agendum, quàm reipublicæ rectoribus in suscipiendo. Turpe etenim est, vt Scipio Africanus dicebat, in re militari dicere, non putaram. quæ ferro aguntur administrari oportere censebat non temerario animi impetu, sed summa ratione, & exacto iudicio, quod sciret inemendabilem errorem esse, qui violentia Martis committitur. Non est in bello bis errare, dicebat Lamachus, vbi si quid perperam offenditur temeritate, vel inscitia, emendari non potest, paruaqúe in bello offensa magnarum sæpe rerum momenta facit.

A

De bello indicendo.

3 Decreto bello, priusquam ritè geri posſit, & verum iuſtúmque bellum, non latrocinium nominari, ei cui infertur eſt indicendum, quod in more fuit apud Romanos. Prius enim res repetere, mox bellum denunciare ſolebant, quod nullum iuſtum bellum putarent, niſi quod rebus prius petitis geritur, & ſolenni more indictum eſt. Hac de cauſa fœciales ſunt ab eis inſtituti, quorum locum nunc tenent Araldi, quos vel atrocia denunciantes, ne verbo lædere fas eſt, quod iure gentium apud cunctos populos inuiolabiles iudicentur. Fœcialium autem munus amplius fuit olim, quàm nunc eſt Araldorum. Illorum enim erat, dare operam, ne Romani vlli fœderatæ ciuitati iniuſtum bellum inferrent: item legatos agere, & verbis primùm ius Romanorum repetere, & ſi recuſarent ij, ad quos mittebantur, bellum indicere. Si qui illatam ſibi contra fœdus iniuriam quærerentur, cauſam eorum cognoſcere, & examinato crimine, ſontes comprehenſos iniuria affectis tradere, de legatorum iniurijs iudicare, vt conditiones fœderum ſeruarentur, operam dare: pacem conficere, & ſi parum legitimè facta videretur, irritã reddere, ſi quid Imperatores contra iuſiurandum peccauiſſent, cognoſcere, atque expiare: in ſumma, ſeruatores erant, & cuſtodes iuris gentium. Araldorum poteſtas non niſi in re bellica cognoſcitur. Non ſoli autem Araldi bellum denunciant, indicitur enim aliquando per abbates, & iureconſultos, aliquando literis miſsis tantùm. Sed is indicendi modus tantùm probatur, cùm beneficiarijs & vaſallis denunciatur. Hac ratione ſe excuſarunt Galli apud Imperatorem & Pontificẽ, quòd Anglis literis tantùm miſsis bellum indixiſſent, quia vaſalli regis Franciæ, reges Anglorum erant pro Aquitania & Pictonibus.

B

C

Halicarn. Plut. Monſtrel, Froiſſard.

D

Nihil inauſpicatò in bello agendum.

4 Quia bella diuinæ iræ teſtimonia, & flagitiorum pœnæ ſunt, quibus Deus vtramque partem punit, cùm bellum ſuſcipitur & cùm geritur, ad Deum, in cuius manu ſtat victoria, ſupplicationes ab omnib. fieri debẽt, vt iram ſuam auertat, & rem in proſperũ euentum deducat. Illo.n.nõ probante conſilia,

A lia, nec adiuuante conatus, nihil faustum, nec prosperum sperari potest; & nisi eo decernente & gerente bellum, non victoria paratur, sed clades accersuntur. Israelitæ expeditionem suscipientes, prophetas consulere solebant, an probaret Deus vt hostes persequerentur. Græci antequam in hostes mouerent, litare solebant. Romani bellum indicturi oracula consulebant, quos aliæ gentes multæ sequutæ sunt à maioribus institutæ, & crebris experimentis edoctæ, non multitudinem, non robur victoriam parere, sed cœlitùs nunc his, nunc illis dari. Hodie quia non datur prophetas consulere, sit necessitas

B oraculi vice. nullúmq. bellũ suscipiatur, nisi quod necessarium, vt propitio numine geri possit. Et cùm plerumque causæ bellorum ambiguæ sint, illáque iustior demum censeatur, quam Deus adiuuerit: durante bello, non tam id spectandum, vt hostium audacia retundatur, quàm vt Deus peccatis nostris irritatus, precibus & vitæ emendatione placetur: præcipuè cùm aleæ vniuersi certaminis res committenda est, cùm ab omnibus, tum ab exercitus ducibus orandus Deus, vt remp. cuius sunt protectores, sartam tectam esse velit, quò nominis sui cultores iustè & piè vitã degere possint,

C ipsiúsq. laudes gratis animis celebrentur. Hoc in facto Theodosius magnus nobis exemplo proponitur, qui noctem ante prælium contra Eugenium & Arbogastum totam in precatione consumpsit. Eduardus item tertius Angliæ rex, qui ad Cressiacum cum Philippo Valesio Gallorum rege conflicturus, noctem insomnem & in precibus degit. Hi ambo vt à Dei solius ope victoriam expectarũt, ita memorabiles de hostibus victorias reportarunt.

Halycarn.
Claudian.
Froissard.
Phil. Mel.
Sigonius.

Qualis Imperator exercitus esse debet.

D 5 In summo duce exercitus, authoritas multum valet, morum grauitas & felicitas. Authoritas paratur vel ex generis nobilitate, vel ex multo longóque vsu armorum. Non facilè enim milites homini obscuro, & rerum imperito parere volunt. Si morum grauitas & generis nobilitas in vnum coierint, cum authoritate imperabit, optimamqúe disciplinã obseruare sine tumultu & seditione poterit. alterutram certè habere eum necesse est, alioqui munus suum feliciter non obibit. Grauitas morum Imperatoris in exercitio plurimarum

insignium virtutum consistit. In eo enim requiruntur temperantia, iustitia, fortitudo, & prudẽtia, cum maximo labore, industria, & diligentia coniuncta. Siquidem (vt Xenophon tradit) in consilio solertem eum esse decet, in agendo tolerantem, largiendi cupidum, & tenacem, benignum & sęuum, simplicem, & insidiosum, prout se occasio offert: ingenio perspicacem, muniendi sese, & alios aggrediendi non ignarum, qui multo consilio bella suscipere norit, maxima celeritatis vehementia conficere, oborientes rerum causas, ad rationem flectere, longa mora frustrari hostes, eorúmque præfectos pecunia sæpe tentare, & commentitijs literis suspectos & inutiles reddere, callidè insidias tendere, peritè aciem instruere, arma promptè & ferociter expedire, præoccupare imminentiũ hostium consilia, munitiora loca castris antecapere, illos cõmittendæ pugnæ imagine distinere, diuqúe ludificari, ac fatigatos demum longi laboris atque vigiliæ mora, peracri, repentinóque impetu inuadere, suos adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare, sæpius, quàm coercere, vitia magis amicorum, quàm virtutes dissimulans. Cùm autem seueritas ad retinendam disciplinam multò aptior sit, quàm lenitas, tamen quia affabilitas morum cum grauitate temperata amorem conciliat, & ducem à militibus amari necesse est: satius æstimatur retenta vtcumque disciplina, gloria & ignominia milites in officio continere, quàm nimia seueritate. Felicitas ducis non minus eum commendat, quàm nobilitate morum, & generis conciliata authoritas. Illa enim studia militum vehementer accendit, & ad rem strenuè gerendam alacriores & promptiores reddit, viresqúe & animos conduplicat. Tales fuêre Cyrus, Alexander, Annibal, Scipio, Sertorius, Cæsar, Augustus, Carolus, Martellus, Quesclinas, Foisseus, Piscarius, Egmontanus, quos propter felicitatem milites promptissimè sequebantur, eorumqúe mandatis lubentissimè parebant.

Xenophon. Appianus. Iouius. Guicciard.

De copiarum delectu.

6 Populus Romanus impigrè se laboribus & periculis offerens, dabat operam, ne Imperatoribus capite censos sacramento rogare esset necesse, quòd horum nimia inopia suspecta esset. In legiones autem, quæ præcipuum robur eorum mili-

A militiæ erant, nemo nisi Romanus ciuis adscribebatur: satius enim esse arbitrabantur, suos armis erudire, quàm alios mercede conducere. Auxilia serius recepta, ab exteris tandem, & ab hostibus quidem contra hostes accersita, emptáque mercede sunt, & tanquam leuis armatura in acie legionibus subsidio adiungebantur, vt in his præliandi magis adiumentum quàm principale robur esset, & in auxilijs minor, in legionibus longè amplior numerus esse consueuit. Eorum iudicio nobiles plebeijs, & domestici peregrinis videntur præferendi: nec iudicium ratione caret. Nam indigenæ patriæ amore, B & conseruandarum opum studio, ad resistendum hostibus facilè accenduntur, nobiles & ingenui gloria & laude ad bene agendum mouentur, siquidem nemo honestis ortus parentibus est, qui non multò grauius flagitij dedecus, quàm supplicij reformidet. In periculis certè generosus animus innotescit, qui studio retinendæ gloriæ, quam à maiorib. accepit, aut illustrandæ nouo ausu familiæ, ardua quæque, & difficilia prompto & alacri animo aggreditur. Nobiles Romani Scipionem secuti, rem Romanam deploratam & perditam restituerunt. Ex nobilitate iuuentus Veneta contra formidabi- C les Germanorũ copias, Patauium in calamitosissimo tempore egregiè defendit. Nobilitas Vicecomites, Mediolanenses aduersus Turrianos populi viribus & opibus innixos, victores reddidit. Francorum reges sola nobilitate adiuti, in omnibus mundi partibus trophęa suarum victoriarum erexerunt. Nec sine causa principes, qui nobilitatem, aut exterminant, aut persequuntur, brachia sibi præcindere dicuntur. Quantũ ad mercenarios attinet, quamdiu imperij, quod defendendum susceperunt, res florentes sunt, fidelem & fortem operam præstare solent: sed commutata fortuna, commutan- D tur eorum voluntates. Quod Darius, Perseus, Turriani, Barbarussa, alijqúe non pauci experti sunt. Indigenæ amore patriæ, & conseruandarũ facultatum desiderio, fortius & constantius in repellendo hoste, se gerunt: nam qui pro aris & focis dimicant, acriores habent impetus, quàm ij, quib. menstruum tantùm stipendium, aut spes donatiui ob oculos versatur. ideo in exercitu, indigenarum maior debet esse, quàm exterorum numerus. In vniuersum, arma mercenaria & domestica coniuncta, meliora sunt ijs, quæ mercenaria simplici-

ter sunt,aut auxiliaria: longè tamen domesticis inferiora. In A
mercenarijs autem negligentia militandi periculosa,in auxiliarijs bellica virtus. Aptiorem armis rusticam plebem quàm vrbanam,ex hoc probat Vegetius, quia sub diuo, & in labore nutritur, Solis & æstus, frigoris & algoris patiens est, delitiarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrũ, fossam ducere,onus ferre consuetudo de rure. Et ea videtur esse causa,cur nobilitas rus magis amat,quàm vrbes,quia ibi venationis & aucupij laboribus se exercet, & habet plebem vt dicto obedientem, ita exemplo ad laborem incitantem. B
Vrbana multitudo laboribus non assueta,belli molestias ferre non est apta. Idcirco Liuius dicit,Sellularij & opificès minimè militiæ idoneum genus. Veteranos milites tyronibus esse præferendos,nemo dubitat. Illi enim decus militiæ retinere cupientes, omnes belli incommoditates alacriter perferunt, ob non soluta stipendia, aut non receptam annonam, nõ facilè dilabũtur,propter aduersam pugnã non despondẽt animos,non subitis terrentur: quæ omnia tyronibus accidere solent. Præterea minus ad rixas descendunt, magis honore mouẽtur,& disciplinæ militaris obseruantiores sunt. Hac de C causa Alexander magnus, cùm ad bellũ Asiaticum,quo Persarum imperium deleuit, exercitum legeret, non iuuenes robustos,nec primo flore ætatis, quibus sanguis in præcordijs bullit,sed veteranos assumpsit, plerosque etiam emeritæ militiæ,qui cum patre,patruisquê militauerant: & in ijs nemo nisi sexagenarius ordines duxit. In repellenda Turcarũ violentia,veterano milite & pericula experto Scanderbechus feliciter vsus est,collectitiam turbam semper aspernatus. habẽt tamen tyrones suum vsum,si ijs summi duces rectè vti norint, & exteri multum prosunt, si cõmodè adaptentur, sed nequa- D quã hi indigenis,cæteris paribus, vel illi veteranis æquandi.

Liuius. Plutarch. Vegetius. Sabellicus. Aemyl. Auentin. Iouius.

De genere armorum.

7 Difficile dicere in genere, quæ arma aptiora & commodiora sunt: quandoquidẽ tempore,loco, & causa sunt discernenda. Missilia enim, & prælonga arma, vt ad arcendos hostes maximè valent: ita si locus aduersetur,vel tempus, plus obsunt,quàm prosunt. Nam pluuiosum tempus, & obnubi-

lum

A lum cœlum arcuum & balistarum chordas flaccidas & molles reddit, ita vt tunc sagittæ, & veruta cum impetu emitti nõ posſint: quod incommodum Parthis aduerſus Romanos perſæpe accidit. Eadem ratio de ſcloppetis: nam in iugi pluuia, lenteſcente ſulfureo puluere, non facilè accenduntur, & crebra diſploſione hebetantur. Lanceæ item & conti, in arctis locis facilè expediri, & peritè tractari non poſſunt: ideò magis impedimento, quàm adiumento tunc comperiuntur, vt contigit Germanis Arimino duce contra Germanicum pugnantibus, & Heluetijs ad Pontremulum contra Italos. In B ſtataria etiam pugna, dum conſeruntur manus, non multi vſus, niſi primis ordinibus, & in primis congreſsib. deprehenduntur. Ideo olim copiarum duces, cùm prælium imminebat, lanceas & haſtas, quas pedites geſtabant, ita detruncari iubebant, vt quinque pedum longitudinem non excederent. In vniuerſum videndum, ne milites geſtent arma, quibus rectè vti non poſſunt, & quib. non fuêre aſſueti, quia tunc cùm ad manus veniendum, magis ſuis armis præpediuntur, quàm iuuantur. Ne quid tale accidat, exercendi diu tyrones, antequam in aciem producantur.

Tacitus. Froiſſard. Argenton. Iouius.

C

De militum exercitio.

8 Belli adminiſtratio omnium humanarum actionum laborioſiſsima ac difficilima eſt, & quę maximarum rerum peritiam requirit. Siquidem bellica virtus non tantùm in acie inclareſcit: tolerantia, vigilantiáque, inſomnes màxima ex parte noctes, diéſque laboribus pleni, cum mora temporis tædióque certamen præcipua pars diſciplinæ militaris eſt. Et rectè Saluſtius, Nec bello, nec pace clari duces intelliguntur, quibus omnia proſperè cedunt, ſed quibus contingit per D labores, per ærumnas, per incommoda ſplendeſcere. nec in otio vnquam exercitus eſſe debet, vt verè exercitus dici poſsit: ex re ipſa enim, atque operæ exercitijs nomen accepit, vt ei nunquam liceat obliuiſci quod vocatur, exercitio armorum vacare debet. Cùm autem exercitium omnibus militibus ſit decorum & vtile, tyronibus maximè neceſſarium videtur. Ideò apud Romanos tyrones armis ad ſcutum, ad palum, punctím, cęſim, feriendo, gradiendo, ſaltando, equitando, ſagittis, miſsibilibus, iactu lapidum, & eiuſmodi exercitamentis, quæ

in castris, & in acie vsum habere possunt, accuratissimè exercebantur; quæ exercitamenta tyrocinia dicta sunt. Id cōmodi habet in castris exercitium, quod milites robustos, expeditos, agiles, alacres, fidentes, ordinis, & disciplinæ obseruantes reddit. Quod Scipio Africanus diligenter expendens, ad oppugnandam Numantiam Hispaniæ vrbem missus, cùm militem ignauum & desidem accepisset, exercendo magis quàm puniendo, sine aliqua sæuitia aut acerbitate in castris, velut in scholis exercuit, & disciplinæ obseruantem reddidit. Quia verò nihil æquè mouet milites, ac ducis exemplum, Imperator exercitus multum in exercendis suis militibus proficiet, si cum illis se exercuerit. quod de Pompeio Magno memoratur, qui cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat: & in magno Sfortia, qui ad palęstrā cūctos ordines exercebat, ipse multa arte luctabatur, ingentis ponderis saxum iactabat, vectem ferreum iaculabatur, teretem palū in terga conuersis manibus euibrabat, saltu & cursu cum suis plurimum contendebat.

Salustius.
Vegetius.
Abb. Vrsp.
Iouius.

A B

De disciplina in exercitu seruanda.

C

9 Milites disciplinæ subijcere, & scelera in exercitu impunita non sinere, non vtile modò, sed necessarium compertum est. Idcirco Clearchus exercitus impuniti nullum putabat esse vsum: qui etiam dicere solebat, militem metuere magis Imperatorem debere, quàm hostem, siquidem vel excubias rectè sit obiturus, vel sine recusatione perrecturus in hostem. Et timere uererique suos duces, cùm ad manus venitur, signū fortitudinis & militaris disciplinæ perhibetur. Et ideò rectè à Scodrensi dictum, In consensu & obedientia tota vis imperij versatur, in bello præsertim. Id demum verè bellare est, vt velis, vt erubescas, vt ducibus pareas. Hoc in primis cōsiderandum, quòd milites imperiti & disciplinæ non assueti, non facilius aluntur quàm morigeri & disciplinam exactè obseruantes, licet non æquè vtiles sint. Easdem expensas facit, inquit Vegetius, & negligenter & diligenter exercitus ordinatus. Talem autem disciplinam orbis domitores Romani obseruare soliti erant. quocunque in hostilem terram irrumpebant, non nisi permunitis castris rem ad prælium deducere volebant. Interior pars castrorum tabernaculis distribuebatur

D

A tur. Ambitus extrinſecus muri faciem præ ſe ferebat ordinatis turribus, quæ pari ſpacio diſponebantur; quarum interualla catapultis, baliſtis, & alijs machinis ſaxa euibrantibus, & omnibus inſtrumentis miſsilium implebant. Ipſe ambitus ſi res vrgebat, foſſa extrinſecus cingebatur depreſſa cubitis quatuor, pariqúe ſpacio lata: omnia ab ijs ordinatè expediebantur, nec cœna, nec prandium in poteſtate cuiuſque erat. Manè ad centuriones milites, illi ad tribunos conueniebant, vt eos ſalutarent. Seruos ita inſtituebant, vt non ſolùm vitæ miniſterio, ſed belli etiam neceſsitatibus vtiles eſſent. I-

B ta calones, qui exercitum ſequebantur exercitijs bellicis aſſueti, nihil à pugnaciſsimis differebant. Lex Caſtrenſis apud eos erat, vt pro deſertore haberetur, qui vlterius ſecederet, quā inde tubæ ſonitus exaudiri poſſet. inutilem etiam turbam in caſtris alere noluêre, ne militibus malo eſſet exemplo, & inopiam cōmeatus accerſeret: quod à Scipione Africano diligenter factitatū legimus, qui è caſtris ſuis eos, qui non militabāt, aut commeatū non adferebant, excedere iuſsit. Paſcebantur publica annona milites, & partem donatiui dimidiam apud ſigna deponere cogebantur, ne per luxum, aut laſciuiam

C peculium caſtrenſe abſumerent, aut temerè à ſignis dilaberentur: & vt fortius, atque conſtantius pro ſuis rebus conſeruandis dimicarent. Hæc militaris diſciplina acriter retenta, principatum Italiæ illis tradidit, ac magnorum regum, & validiſsimarum gentium regiones largita eſt. Turcæ nunc temporis diſciplinam militarem optimè omnium nationum obſeruant: promptè milites imperantibus ducibus obediunt, inediam commodè ferunt, lites & pugnas inter ſe non ſerūt, delicta acerbiſsimè vindicant, ſine tumultu & clamoribus in caſtris verſantur, & mirum ſilentium in acie obſeruant. Hoc

Ioſephus. *Appianus.* *Valerius.* *Vegetius.* *Auentin.* *Iouius.*

D laudabili inſtituto hucuſque aduerſus omnes gentes, quibus cum res illis fuit inuicti mansêre, & partis ſuprà viginti regnis, formidabiles omnibus ſe præbuêre.

De qualitate copiarum.

10 Equitibus campi, claſsibus maria & flumina, peditibus colles, vrbes, plana & abrupta ſeruantur, inquit Vegetius. Ex quo intelligitur, pro loci cōditione, qualitatem copiarum variari, magiſqúe vſui pedites eſſe quàm equites, cùm vbiq. ſtre-

nuam operam nauare posſint, equites in planitie tantùm. Et vt vtiliorem operam præſtant, ita minori expenſa aluntur. Romani, qui victorijs de multis nationibus partis, belli gloria præ cæteris gentibus inclaruêre, magis peditatu, quàm equitatu valuêre. Hodie Angli & Heluetij, qui honore & felicitate præliorum nulli Europeæ nationi cedunt, peditatu magis vtuntur. Parthi olim equitatu valuêre, hodie Moſcouitæ & Tartari. Experientia docuit, in expugnandis & defendendis vrbibus pedites commodiores eſſe, ſicuti in excurſionibus & ſubitis belli caſib. equites: qui ab hoſtibus intercludere cõmeatus volunt, equitatu ſint ſuperiores oportet. B

Liuius. Appianus. Vegetius. Plut. Argenton. Iouius.

De abſtinentia & moderatione militum.

11 Quia militares copiæ & inſtitutæ & coactæ ſunt, vt reſpublicæ ab iniuria & violentia tueantur: dare operam debent, vt contentæ ſtipendijs, quos defendere debent, non deprædentur: ne prædonum, latronúmq. nomen potius, quàm militum ſortiantur. Id verò non ad ducum laudem tantùm, ſed ad commoditatem & ſalutem totius exercitus. Hac enim ratione rei frumentariæ optimè prouidetur, & populi fauor conciliatur, qui plurimum ad præcauendas & vitandas hoſtium inſidias, valet. nam quos populus amat, de ipſorum ſalute ſolicitus eſt, & ſi quid periculi illis impendere norit, fideliter renunciat. Hac via incedens Beliſarius parua manu magnas ſæpe copias debellauit. nam quod non pateretur agricolis damnum, vllámue iniuriam inferri, ijs pro fidis exploratoribus vtebatur, qui nullas ei tendere inſidias patiebantur. Sic nunc Turcæ ſuis agricolis in expeditionibus, quas faciunt, moleſti non ſunt: ita nec domos deſerunt ad eorum aſpectum, nec opera intermittunt. & quibus reip. commodũ & diſciplinæ militaris obſeruatio curę fuit, huic moderationi milites aſſuefecerunt. & quid iniquius, quàm ab ijs, quos protectores & defenſores agnoſcimus, graues iniurias pati? ideò Aurelianus Imperator dicere ſolitus erat: De pręda hoſtis, non de lacrymis prouincialium miles diteſcat.

Vopiſcus. Procopius. Iouius.

De modeſtia & obedientia militum.

12 Vt prudentia & magnus animus in duce maximè requiruntur, ita in milite modeſtia & obedientia. Non enim ſoliciti

citi

A citi milites esse debent, quid in consilio statutum est, sed ducum imperia cum obsequio expectare. Laudatur Antigoni ad filium responsum, quo satis lepidè militum curiositas taxatur. Is cùm à filio interrogaretur, quando mutanda essent castra, his verbis respondit: An putas te esse solum, ad quem vox tubæ peruentura non sit? parendo potius milites, quàm ducum secreta sciscitando, laudem & decus adsequuntur, atque is in pugna fortissimus deprehenditur, qui ante pugnam quietissimus est, itaque neque robur corporis, neque furor animi optimum faciunt bellatorem, sed obedientia erga du-

B cem. tam nescire quædam milites, quàm scire oportet, sic ducum authoritas habet, sic disciplinæ militaris rigor exposcit, vt multa per centuriones tribunósque tantùm iuberi expediat: pereunte obsequio, etiam imperium intercidit. Ideo copiarum duces in hoc pręcipuè incumbere debent, vt in disciplina & obedientia milites suos contineant, si velint bellum inceptum ad prosperum exitum perducere. Nam, vt Vopiscus habet, is demum vincit, qui milites regit. De tali obedientia milites olim Alexandri, milites etiam Romani, & maximè Cæsaris laudati sunt, nunc Turci illa celebrantur.

Curtius. Plutarch. Appianus. Tacitus. Æmil. Iouius.

C

De prouidendo commeatu.

13 Bonus Imperator cogitare debet, se non solũ dominũ exercitus esse, qui in milites vitę & necis habet potestatẽ, sed patremfamiliâs etiam, qui necessitatib. exercitus debeat prouidere, & præcipuè cauere debet, ne ad inopiam cõmeatus redigatur. tunc.n. & vires deficiunt, & animus decidit, & spes victoriæ perit: qui his trib. destituti sunt, pro victis sunt habendi, quod vsus sæpius cõfirmauit. Nulla.n.re magis, quàm cõmeatus inopia exercitus vinci solent; quandoquidẽ aut tur-

D piter aufugere, aut semipartam victoriã relinquere, aut deditionẽ facere cogũtur, qui ad penuriam cõmeatus redacti sunt. Mithridates à semicapta vrbe Cyzico cum maxima sui exercitus iactura propter inopiam cõmeatus discessit: Lysimachus propter sitim se cũ toto exercitu dedidit: Carolus V. Imp. cũ in Prouinciam venit, ob hanc causam vlterius in Galliam penetrare non potuit, sed inglorius per Alpes maritimas in Italiam redire coactus est. Solymannnus suscepta aduersus Persas expeditione, deficiente commeatu, quamplurimis inedia amissis, in sua regna redire compulsus est.

Plutar. Appian. Iouius.

Diligenter videndum, ne milites suis fraudentur stipendijs.

14 Rei item nummarię, quemadmodum frumentariæ Imperatori diligenter prouidendum, præsertim si peregrino milite vtatur. Nam cùm propter rem augendam tantùm exteri plerique omnes militiam sequantur, & stipendij spe fidẽ obligent, cùm concepta spe se frustratos vidẽt, aut tumultus excitant, aut vberiorem militiam quærentes, ad hostes transfugiunt, aut instante prælio, certamen detrectant. In domestico milite periculosum etiam est, quia rerum necessariarum defectu, militibus indignatio subit, & nihil minus quàm de pugna cogitant, sed aut deserentes signa, in varia dilabuntur, aut direptionibus & vastationibus prouincialium intenti, omnis disciplinæ obliuiscũtur. Olim apud Romanos milites omnes ad certam stipendiorum præmiorumqúe formulam adstricti fuêre, definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ, & commodis missionũ, ne aut ætate, aut inopia post missionem, ad res nouas solicitari possent: Nunc milites Turcæ diurna, aut menstrua stipendia præsentis pecuniæ à quæstoribus perpetuò accipiunt, ita fit, vt nullus tumultus, nullæ seditiones inter eos oboriantur, sed quisq. quod sui muneris est, diligenter faciat.

Iosephus. Auentin. Iouius.

Præuenire hostium consilia, in primis vtile.

15 Ad retinendum subditos in officio, dubios amicos confirmandos, & hostium audaciam infringẽdam, cùm ipsorum consilia patefacta sunt, ea præuenire, vtile est. Nam vt Thucydides inquit, magis terrorem incutit, vt inuadere volẽti prior occurras, quàm repugnaturũ te significes, cùm ille pari in discrimine se fore existimet, quod fecit Alexander contra Græcos. Cùm enim audijsset eos ad Persas defecisse, tanta vsus est celeritate in educendo exercitu, vt prius ipsius vires experirentur, quàm in eos mouisse audirent, & depulsa sua consilia prius viderent, quàm patefacta putarent: vnde belli consilijs omissis, ad pacem animos inclinarunt. Similiter egit Constantinus Magnus, qui cùm certior factus esset, Raisimundũ regem Sarmatarum de Istro traijciendo noua consilia agitare,

A re, ante illum transmittere maturauit, eumqúe adortus in precipitem fugam compulsum interfecit, ac magna Sarmatarũ strage ædita, reliquæ multitudini fidem suam imploranti pepercit: sic breui finis bello impositus. Sic Carolus V. Cæsar Barbarussam, expeditionem in Hispaniam parantem, in ipso conatu oppresit.

Thucyd. Plutarch. Sigonius. Iouius.

De instruenda sæpius acie.

16 In expeditione sub signis & instructa acie incedere vtilissimum est. Nam seruare ordines se assuefaciunt milites, vnde alacriores & confidentiores redduntur, hostésque à pugna deterrentur. non facilè enim inuaduntur, qui semper ordinati, & prælio intenti sunt. Prodest autem, hunc ordinem in itinere faciendo seruare, precipuè si propinquus fuerit hostis, nihil extra conspectum signa preire sinere, anteriores medios, hos posteriores, quibus passibus eant obseruare, vt vnaquæque acies ad subitos hostium incursus ex propinquo parata sit, quæ circumuentæ opem ferat, & vniuersis coactis viribus cõfligat. Præterea cùm castra prope hostem locata sunt, aciem sæpius explicare vtile censetur. Nam milites & mutua C cohortatione & decore acierum, sumpta fiducia, non tam facilè subitis terrentur, promptè ad signa coire, in vestigio manere, atque celeriter arma expedire addiscunt, atque hostes cõtemnere, quibus hac ratione fiunt formidabiles. nam peritè instructa acies vel solo aspectu hostibus nonnunquam audaciam reprimit, & spem de victoria conceptam frangit. Exemplo est Ioscelini Comitis Edessani factum, qui senex ægérq. lectica vectus, aciem contra immensas barbarorũ copias tanta arte instruxit, vt hostes eum adoriri non ausi, ignominiosè discesserint. Hac de causa Xenophon inquit: Est instructa D acies fœderatis aspectu quiddam pulcherrimum, hostib. verò grauissimum. Ex bene armatis autem & exercitatis acies cõplendæ sunt, aut saltem ornandæ. Ea enim acies, (Procopio teste) potius contemni quàm metui debet, quam nõn militum robur, sed vulgus inerme construxerit.

Xenophon. Procop. Aemyl. Iouius.

De leuissimis & tumultuarijs prælijs.

17 Leuia prælia militibus torporem quidem discutiunt, & hostilis audaciæ vel ignauiæ dant experimentum: nonnun-

quam etiam vniuersi certaminis causa sunt, dum copiarũ duces suis circumuentis, opem ferre student, aut fortunam, iter ad decus & victoriam monstrantem, sequi volent. Sæpius verò accidit, vt vniuersum prælium remorentur, vel prorsus auertant. Ideo consultius nonnullis videtur, vt qui vnius prę-lij, aleæ rem cõmittere decreuêre, à tumultuarijs pugnis abstineant, neque enim maximi momenti deprehẽduntur, etiamsi prosperum successum habuerint, & vt Æmylius inquit, rem potius iuuant, quàm decernunt. Graue damnum etiam in illis persæpe sentitur. nam vsuuenire conspicimus, cùm selectę turmæ istis extraordinarijs conflictibus se immiscent, repetito ter vel quater certamine, quod non leuior iactura insigniũ bellatorũ sentitur, quàm si semel vniuersis copijs esset dimicatum. & nunquam acrius dimicari contingit, quàm cùm vires velitationibus non sunt exploratæ, vt in prælio Tarquinij & Bruti: in pręlio Sophi Hismaelis contra Solymũ Turcarum Imperatorem & nuper in Druydico.

Liuius. Plutarch. Iouius.

Quando vniuersi certaminis alea vitanda.

18 Etsi præcipuus Imperatoris scopus esse debet, vt quàm citissimè fieri possit, cœpto bello finem imponat, vt scitè est ab Appiano dictum, à prudentibus celeriter bella conficienda sunt, vt diutius in pace viuatur, quod commodius facere non potest, quàm si manum cum hoste conserat: tamen ad aleam vniuersi certaminis rem deducere non properabit, nisi bene instructus, & suis ac hostis viribus diligẽter exploratis. & sapientis non est hoc tentare, nisi æquior inuitet conditio, aut necessitas vrgeat. Ideo Augustus Cæsar dicebat, omnino prælium ineundum non esse, nisi cùm maior emolumenti spes, quàm damni metus ostenditur. Idem Cornelio Scipioni visum, malum eum Imperatorem dicenti, qui nulla proposita vtilitate pugnam adpetebat: eum autem fortem & prudentem, qui pugnæ periculum adit, cùm necessitate compellitur. Tria autem præcipuè sunt, quæ Imperatorem exercitus remorari debent, quò minus vniuersi certaminis aleam subeat. Primum quum damnum incommodi, quod aduersum prælium adfert, maius apparet, quàm beneficium ex victoria proueniens. Secundum quum exercitus hostium pecuniarum defectu, vel commeatus inopia, vel animorum dis-

sen-

A sensione, videtur non diu consistere posse. Tertiũ, cùm se imparem viribus sentit. Respectu primę causæ, Pericles cum Lacedemonijs in conspectum Athenarum acie instructa pugnare noluit. Hac de causa Philippus Valesius cum Eduardo tertio Angliæ rege prope Cameracum certamen detrectauit. Secundæ causæ respectu, Lucullus contra Mithridatem ad Cyzicum à prælio abstinuit. Franciscus Valesius Carolum quintum in prouincia ad aquas Sextias castra habentem, adoriri noluit. Tertiæ respectu, Themistocles vniuersis copijs cum Xerxe decertare dissuasit: Vastius & Dorbinus atque B Aurantius Neapolim pergentes, cum Lotrechio prælium cõmittere noluerunt. Propter tres simul, Eduardus III. Angliæ rex, dum Caletum obsidebat, Gallos per præconem prælium deposcentes contempsit, & reiecta pugnæ conditione, institutam obsidionem continuauit, donec deditionem expressit.

Thucyd.
Suetonius.
Appianus.
Plutarch.
Froissard.
Guicciard.
Bizarus.
Iouius.

Pacis tolerabiles conditiones aleæ vniuersi certaminis præferendæ.

19 Quamuis victoria fortitudinis & constantiæ laudem C vincentibus pariat: tamen si citra vniuersi certaminis aleam pax conciliari & firmari potest, experiri fortunam, à ratione alienum. Est quippe dementis, periculum quod vitari possit, de industria quærere: & victoriam, quæ honestis conditionib. parari potest, velle sanguine suorum redimere. quod Græci fecerunt, qui Demosthenis suasu aduersus Philippum Macedonem bellum gerentes, maluêre tentare fortunã, quàm tolerabiles pacis conditiones accipere. E Galli ad Malepertusum in Pictonibus honestas & vtiles pacis conditiones superbè reiecere, & stulta opinione victoriæ inflati, rem ad præliũ D deducere properarũt, quod eis exitiale fuit: quemadmodum & Græcis contra Macedonas. Vnde pulcherrimè est à Iouio dictum, Conditiones, quas longè æquissimas hostis proponit, non temerè contemnendæ, cùm ad eas maximè adflictis rebus sit recurrendum.

Plutarch.
Sabellicus.
Froissard.
Iouius.

Cohortandi milites, cùm prælium instat.

20 Hostilis acies opposita, satis monere potest quemlibet,

quid facto ſit opus, tamẽ quia pericula terrent, & mortis metus animos deijcit, labefactatqúe vires, duces ſigillatim ſuos cohortes & turmas ad pugnam hortando, monendo, ſuadendo accendere debent. Imperator ipſe alacri vultu & fiducia pleno, acies ſub ſignis ſtantes, & ineundæ pugnæ ſignum ſibi proponi expectantes, ad fortiter dimicandum cohortari debet, commemorans iuſtam belli cauſam, fortitudinis laudem proponens, & victoriæ decus ob oculos ponens, nullamqúe rationem omittens, qua ſuos poſsit periculorum contemptores reddere. Multò enim alacriores, & ad dimicandum paratiores milites ſunt, cùm duces vident de victoria bene ſperare, & æquitati cauſæ confidere. Et in hoc periculoſo negotio boni Imperatores, qui gloriam bellis acquiſierunt, adire, hortari ſingulos ſolebant, bonos laude, ſegnes exemplo incitare. ſicuti de Alexandro, Pyrrho, Cæſare, Veſpaſiano, Aureliano, & Probo legimus. Non ſolùm autem facilitate victoriæ & contemptu hoſtium, milites ſunt cohortandi, ſed aliquando reputatione periculi, quod niſi victoria duce effugere non licet. Accidit enim perſæpe, vt neceſsitas in virtutem vertatur, quia deſperatis nihil eſt fortius. Sic ad pugnam accendebat ſuos contra Romanos Volſcorũ dux: Armati armatis ſtant, dicebat, virtute pares, ſed neceſsitate ſuperiores eſtis. Sic Cæſar ſuos hortabatur apud Maſsiliam. Et hoc Catoni Cenſorio fuit conſuetum, vt hoſtium virtutem nunquam eleuaret, ſed adaugeret, & pericula ſemper maiora faceret, vt ſui nõ aliude quàm à dextris ſubſidium & opem peterent. ſic Conſtantinus Rutenus contra Moſcouitas prælium initurus, oſtendit ſuis, in eas locorum anguſtias delapſos, vnde niſi victores euaderent, nequaquam ſe extricare poſſent. Contempſiſſe hoſtem, non ſemper profuit: illius vires æſtimaſſe, & ex ęmulatione glorię, aut periculi reputatione virtutem acuiſſe, nunquam nocuit. Hoc modo veteranos ad pugnam accendere iuuat, illo tyrones. Veterani enim non facilè periculis terrentur, & partum militiæ decus retinere percupiunt, & fortiſsimis factis gloriam cumulare: tyrones, vti nondum duri martis pericula expertos, ab inconſulta ineundi prælij cupiditate, quòd hoſtem elatis animis facilè contemnunt, vehementem, & plerumque inſuperabilem vim afferre compertum.

Plutarch. Liuius. Cæſar. Froiſſard. Iouius.

In

A *In quo loco Imperator consistere, & quibus comitatus esse debet.*

21 Cùm dimicādi optata venit occasio, & ex opportunitate prælium conferendum videtur, diligenter videndum, quis locus singulis ducibus tribuendus, & pręcipuè in quo Imperator sit collocandus. In media acie locus Imperatori sæpius designatur, vt prima & postrema aciebus, tanquam alis tegatur, & huic, vel illi laboranti commodius succurrat, aut aperienti se victoriæ in tempore adsit. Satius tamen videtur, vt B nullum certum locum sibi deligat, ne præcipuas hostium vires in se accersat, sed fortissimis & promptissimis suorum stipatus, per turmas & acies volitans, cohortatione & exemplo suos ad præclarè agendum accendat, fugam respectantes retentet, & prementibus hostem animos adaugeat. sic fecisse Sertorium aduersus Pompeium legimus: sic fecit Henricus quartus pugnans contra Scotos, Selymus Turcarum Imperator contra Mamaluchos. Quemcunque autem locum deligere Imperatori visum fuerit, fidissimos & pugnacissimos circum se habere debet, quia vbi ille est, acrior & periculosior C dimicatio esse solet.

Plutarch.
Polydorus.
Fabianus.
Iouius.

Vbi selectiores copiæ collocandæ.

22 Qui numero superiores sunt, tyrones & collectitium genus militum, quorum iactura minimi æstimatur, primo hostium furori solent obijcere: fortiores & magis induratos in armis, in cornibus, & postrema acie, vt hostes pugnando fessi à recentibus & integris viribus, acerrimisque bellatoribus facilius concidantur. Nam quibus vires deficiunt, quamuis feroces animos retineant, nouam recentium turmarum impressionem ferre non possunt. Sic fecit Annibal in Cannensi præ- D lio: sic Turcæ de more, qui hebetandis hostium gladijs, inconditas Acanzorum & Assaporum turmas obijcere solent, dispositis in cornibus Sangiachorum alis, & Ianizarorū cohortibus in subsidio relictis. Qui inferiores viribus sunt, meliores in prima acie, & subsidiaria solent collocare, vt ab ipsis hostium ferocia repressa, alij aucti animis, gradum inferant, & vbi acies fluctuarint, à constantibus bellatoribus subsidio venientibus confirmentur. Nam perculsus metu animus, aut

deficientibus viribus fatigatus, ab ignauis & imbellib. confirmari non poteſt. Eo modo copias ſuas Cæſar in Pharſalicis campis diſpoſuit, Chandoſius pro Monfortenſi comite contra Carolum Bleſsium pugnans in Britannia Armorica, Selymus contra Achomatem fratrem, Conſtantinus Rutenus cõtra Baſilium Moſcouitarũ principẽ. Infenſiſsimos ſibi inuicẽ duces, aut inimicas nationes inter ſe cõmittere conſultiſſimũ videtur, quia præter communẽ belli cauſam, priuatę ſimultates eos ad dimicandũ acuunt, quod Sextũ Pompeium feciſſe legimus, qui Menecratẽ contra Menodorum oppoſuit, Franciſcus Valeſius Germanos cõtra Heluetios ad Marignianũ, Anghianus Heluetios cõtra Germanos ad Carignianum.

Plutar. Appian. Froiſſard. Iouius.

In quos primùm impetus faciendus.

23 In prælio fortiores primùm adoriri, hoc commoditatis habet, quòd illis ſuperatis, alijs concidit animus: nec facilè tyrones in veſtigio conſiſtent, ſi veterani profligati fuerint. Hanc rationem ſecutus Cæſar in Pharſalica pugna, monuit ſuos, vt omiſsis Aſiaticis, Italos adorirentur. Id feliciter executus eſt Gleſquinas contra Buſum regulum in prælio ad Cocherellum in Normandia: & Ioannes Auſtriacus in nauali pugna contra Turcas. Hic enim hoſtilem prætoriam nauim primo impetu aggreſſus eſt, & omnes conatus ad eam expugnandam adhibuit: quamdiu in ea oppugnanda occupatus fuit, vtriuſq. claſsis certamẽ anceps, dubium & periculoſum viſum eſt: at ea in poteſtatem redacta, ſuis adaucti animi & duplicatæ vires, hoſtibus verò imminutæ, & breui plenã victoriam conſecutus. Ille ex vniuerſis copijs triginta exploratæ audaciæ milites delegit, quib. negotiũ dat, vt nulli rei intenti eſſent, niſi vt perruptis mediæ aciei primis ordinib. ad Buſium vſq. penetrarent, ipſumque circumſiſterent, & captũ abducerent. eo capto, tota acies eſt diſsipata, quòd de liberãdo duce magis ſoliciti milites eſſent, quàm de debellandis hoſtibus. Vnde Gueſclinati facilè victoria ceſsit, quę alioqui ardua, aut etiam incerta fuiſſet, cũ hoſtes in æquiori loco conſiſterent, acerrimum & peritiſsimum ducem habentes.

Appianus. Froiſſard. Iouius. Honiger.

Suſibdiariæ aciei prudentes & periti duces cum exercitatis militibus præficiendi.

24 In ſubitis & difficillimis pugnæ caſibus non ad pręſcriptum

A ptum agenda omnia, ſed occurrendum præſenti rerum neceſſitati. Siquidem nequaquam fieri poteſt, vt pro varietate caſuum, qui in prælijs accidunt, res eo modo procedant, quo in conſilio fuêre deliberatæ. mandata certa caſib. incertis, quos caſuum varietas, & rerum inconſtantia adfert, gubernari cõtingit. quocirca maximo interdum animo opus eſt, ad conſilium cum rerum varietate commutandum. Subſidiariæ itaque aciei præficiendi duces multum exercitati, qui oblata occaſione præclarè vti ſciant, eiſque milites in armis indurati, & dura martis pericula ſæpius experti, adiungendi, qui du-
B cum iuſſa promptè exequi norint. vt Annibal in Cannenſi prælio fecit, in quo Afros exercitatos in ſubſidijs locauit. Chandoſius in prælio contra Gueſclinatem, vbi Caureleum omnium ducum, quos habebat pomptiſsimum & exercitatiſsimum, ſubſidiariæ aciei pręfecit, qui nutantes acies ita cõfirmauit ſubtrahendo ſaucios, & in eorum locum recentes & integros ſubſtituendo, vt Galli victoriæ imminentes repreſsi fuerint, & tandem profligati. In prælio contra Moſcouitarũ principem Baſilium, Conſtãtinus Polonorum dux Poloſchã regulum phalangi peditũ, quam in ſubſidijs collocarat, prę-
C fecit, cui cùm edixiſſet, ne pugnam iniuſſu capeſſeret, ipſe à Moſcouitis ex inſidijs prorũpentibus impetitus, non expectato Imperatoris mandato, qui in ea temporis exiguitate cõſuli non poterat, neceſsitate quid facto opus erat edocente, phalangem in hoſtem pugnam cientem conuertit: quo fugato, victoria de cæteris copijs facilis fuit. Ad Moncōturtium Tananius vetus dux, ſubſidiariæ aciei præpoſitus, perculſos & fugatos recolligens, inſigni victoriæ viam aperuit.

Plutar.
Froiſſard.
Argenton.
Oſorius.

De receptu faciendo, facto virium periculo.

D 25 Receptui canere, cùm de victoria deſperatur, nullã ignominiam aut dedecus adfert ducibus. nam cùm victoria in nullius hominis arbitrio ſit, aut poteſtate, facto infeliciter viriũ ſuarũ periculo, præſtat laceras copias trahere, quàm occidione deletas lugere. Præcipua .n. cura ducis eſſe debet, vt ſuos cõſeruet & defendat, quemadmodũ Xenophon inquit: Non minus honorificũ duci, cõſeruare ſuos milites, quàm quęrere, quomodo expugnare poſsit vrbes, aut alio modo hoſtib. ſuperior eſſe. Idcirco prudẽtiſsimi Imp. nõ in multa cęde hoſtium,

ſed in ſalute atque incolumitate ſuorum militū victoriæ gloriam poſuêre. Itaque inclinante ad hoſtes victoria, ſi nulla vi ab ipſis extorqueri poſſe videtur, conſultiſsimū cenſetur certamen dirimere, & reliquas copias ab hoſtibus intactas aut debilitatas ſeruare potius, quàm eorum ſæuitiæ trucidandas obijcere, vt offerente ſe occaſione, par damnum hoſtibus, aut cum fœnore rependant, ſaltem nutantem præſentem ſtatū fulciant & tueantur. Sic Annibal fecit in prælio contra Marcellum: Hiſmael Sophus contra Selymum in Calderanis campis: Ludouicus vndecimus aduerſus Charoloſium comitem ad Monhelerium: Carolus quintus ad Rentym contra Henricum Galliarum regem: Colinius Amiras ad Moncontortium.

Xenophon. Plut. Argenton. Iouius.

Victoriæ diligenter inſiſtendum.

26 Rectè Oſorius: Momento temporis in alterutram partem inclinationes fiunt, & elapſa temporis opportunitas reuocari non poteſt. Ideo quum ſecundo prælio victoria ſe aperit, vtraque manu amplexanda, & perterritis hoſtibus acriter inſtandum, continentique victoriæ curſu quamplurima loca de hoſte occupanda; nunquam beneficium fortunę aſpernandum, ne ob deſpectum indignata, aliò fauorem conuertat. facilè erit occupata reſtituere, & cum gratia recipientis, & iuſtitiæ, ac magnanimitatis fama reſtituentis. Vitio datum Annibali, quod poſt Cannenſe prælium ad mœnia Romana victorem exercitum ducere neglexerit, & hoc cauſam attulit omnibus cladibus, quas poſtea recepit. Malè ceſsit Sexto Pompeio, quòd neglectis multis occaſionibus, perterritis hoſtibus inſtare noluerit, ſua tueri contentus. Ætius Romanus malè egit (vnde illi exitium) quòd Attilæ prælio victo, vt ſe in pactum reciperet, remiſſo impetu, viam aperuerit, cùm eius copias internecione delere potuiſſet. Stillico in odium venit, quòd Alaricum ſæpe victum, ſæpéque concluſum ſemper dimiſerit. Occaſio opprimendi Iulij Pontificis ab Amboſio & Triuultio neglecta, non modò victoriam eripuit Francis, qui in Italia bellum gerebant, ſed etiam eos in maximas, & inextricabiles difficultates coniecit. Perterritum hoſtem priuſquam auxilia comparet, aut noua conſilia ſuſcipiat, adhibita celeritate perſequi decet.

Appianus. Æmil. Iouius. Sigonius. Honiger.

Quo-

A

Quomodo fugati hostes sunt prosequendi.

27 Hoc disciplina requirit, instantibus cominus resistere, refugos non sequi, inquit Tacitus. quod intelligi debet, si integræ copiæ in vestigio suo consistunt, & nullum pauoris signum, sed pugnandi ardorem potius ostendant. Nam si omnes hostiles acies perruptæ & dissipatæ fuerint, ne reparentur, acriter sunt persequendæ. In persequendis autem illis magna cautio est adhibenda. Seruatis ordinibus fugatos hostes persequi, extra periculum est: ordinatos enim ab inordinatis B vinci, nunquam contingit. dissipatis ordinibus eos insectari, admodum periculosum. Tunc enim pudore vindictam acuente, victis redit animus, & occasio oblata iudiciũ & vires administrat. Fusos longè persequi semiparta victoria multis obfuit, Romanis ad Cannas, qui effuso cursu in Hispanos & Gallos ad subsidia se recipientes, delati, occasionem dederunt Pœnis, vt ex vtraque parte cornua circumducerent: Philippo Dechordeo ad Guinghattam, qui pulso hostili equitatu, nulli alij rei, quàm in eo persequendo intentus, pedites sine subsidio reliquit, qui facilè victi fuerunt. idem accidit Hi- C spanis ad Ecresolam, & Condeo ad Druidas. In fuga hostes, qui arma abiecêre, trucidare, immanitatis est, nam nulla laus virtutis parari potest, necando non resistentes. Pręcipuos duces seruare, victoriam nobilitat: clarior enim triumphus est, captis hostium ducibus, quàm occisis.

Plut.
Argenton.
Æmil.
Iouius.

Vastationibus modus adhibendus.

28 Sæuire quidem in hostes, & eorum castella, ciuitates, villas, naues, fructus deuastare, aliaqúe ijs similia facere, per quę ipsorum vires debilitentur, leges, & iura belli permittunt. Ea D verò destruere, quæ nec proprijs rebus emolumenti aliquid adferunt, nec hostibus detrimenti, vt sunt templa, porticus, statuæ, arcus, rabiosi est hominis, & penè furẽtis. nec eorum, qui excidijs & vastationibus gaudent, diuturna potentia esse solet. Thebani in bellis arbores hostium succindebant, domos exurebant, atque omnia diripiebant. eorum felicitas in eo homine desinit, in quo incepit. Tales Hunni & Vandali fuêre, quorum imperia citò desiêre. & Saraceni in Italia & Gallia bella gerentes, omnia incendijs vastauêre, nec fanis

parcentes, nec profanis. vnde infenſo illis numine, irreparabiles clades accepêre. Ante victoriam qui vaſtationibus, omnique belli clade in hoſtes ſæuit, variam excuſationem prætexere poteſt: vel quòd veteres iniurias vlciſcitur, vel quòd ſolitudinem faciendo, hoſtes à finibus ſuis auertit, vel quòd illos ad pugnam elicere cupit: ſed qui parta victoria, in vaſtationibus pergit, nullam excuſationem meretur, ſed furioſi & crudelis nomen. Non enim de hoſtico, ſed de ſuo perdit, & milites ſuos non bellatores, ſed deprædatores facit. Quemadmodum Crœſus in direptione Sardis Cyro victori dicebat. Accidit ad hæc, quòd eorum, qui ſubditi eſſe debent, alienantur prorſus animi, & ſi colonia mittenda, tanquam in vacua veniens, omnium rerum inopiam ſentit, aut è multo ſpacio, & cum grauibus expenſis aſportare neceſſaria cogitur.

Herodot. Xenophon. Polybius. Aemyl. Iouius.

De honore prælij.

29 Etſi victoriæ gregariorum ducum induſtria, militũ ſanguine, periculo, & labore parentur: præcipua tamen gloria ad eum ſpectat, cuius auſpicijs bellum geritur, etiamſi manu nihil efficiat, vel etiam ægrotus decumbat. De hoc Romanus ſenatus, honoris verus æſtimator, iudicium tulit, & conſuetudo omnium populorum & ætatum confirmauit. Lutatius conſul, & Valerius prætor, circa Siciliam magnam Pænorũ claſſem deleuerant, quo nomine Lutatio conſuli triumphum ſenatus decreuit. Cùm autẽ Valerius ſibi eum quoque decerni deſideraret, negauit id fieri oportere Lutatius, ne in honore triumphi minor poteſtas maiori æquaretur. Quamuis autem Valerius allegaret, conſulem ea in pugna in lectica claudum iacuiſſe, ſe omnibus Imperatorijs partibus in prælio functum, contra ipſum pro Lutatio eſt pronunciatum. In Ticinenſi prælio, quo Franciſcus Galliarum rex captus eſt, etſi Piſcarij conſilio & induſtria omnia conſulta & peracta ſunt, tamen laus & gloria prælij ad Borbonium totius exercitus præfectum redundauit, & in prælio, quo Iohannes Federicus Saxoniæ dux captus eſt, licet Albanus regulus, qui primam aciem ductabat, author victoriæ fuerit, ad Carolum Cæſarem tamen gloria delata eſt.

Valer. Appianus. Lerius. Iouius.

Victo-

A

Victoria non insolescendum ijs, qui aduersarijs pares viribus non sunt.

30 Cùm res bellicæ maximè in incerto & in lubrico sint, hospésque sit victoria, nullum certum domicilium habens, (vt Scodrensis habet) qui felici marte aduersus potentiores depugnarunt, non insolescere debent, sed honestam componendi & pacificandi cum hoste occasionem de cœlo datam arripere, ne qui victi fuère, cum iactura & dedecore, tum minis & insultatione victorum irritati, bellum priori acrius re-
B dintegrent, & acceptam cladem cumulatiore victoriæ prouentu resarciant. Victoria itaque parta diligenter videndũ, quid consilij hostes capiant. nam si accepta clades nullo pacto victis animos infregerit, sed eos potius ad vindicandum accenderit, ad pacem se pronos esse victores ostendere debent, & blandienti fortunæ non admodum fidere. Propter hoc sapiens Annonis consilium visum, qui cùm audisset, post Cannense prælium, Romanorum socios in fide constantes manere, & neminem ad Annibalem transire, consuluit, vt legati ad Romanos de pace mitterentur. Viriatus Lusitanus
C cùm plurimas victorias de Romanorum ducibus parasset, & Romanos inexhaustas habere vires cerneret, se præclaram terminandi belli occasionem nactum reputans, pacem & fœdus cum Romanis icit. Idem nuper Veneti post felicem naualem pugnam cum Turcis fecère. nec honestius, nec commodius petere pacem possunt, qui inferiores sunt viribus, quam post victoriam.

Liuius.
Appian.
Honiger.

De transfugis & proditoribus non recipiendis.

D 31 Cùm proditores & transfugæ omnibus sint inuisi, & infidelis eorum opera nulli laudem adferat, si præclaram famam tueri velimus, nunquam, etiamsi ab infensissimis hostibus venerint, recipiemus. quinetiam vt securitati consulatur, longè erunt ablegandi, quacunque de causa transfugerint. nam si animi leuitate transfugium factum sit, eadem leuitate secundum transfugium concipient, si aliqua iniuria exagitati: ad primam occasionem cùm bilis efferbuerit, eos facilè deserent, ad quos confugerunt. Si sua

culpa id accidit, apud iratos, & offensos pristinum gratię locum quoquo modo recuperare contendent. nec facilè belli tempore diiudicare licet, verane, an falsa transfugij causa obtendatur: idcirco transfugarum fides maximè in bello debet esse suspecta, & damna, quæ attulêre eorũ opera vti prohibent. Malè cessit Babylonijs recepto transfuga Zopyro, malè Romanis in Cannensi pugna ob receptos Numidas, malè Guysano duci ob receptum Poltrotium.

Herodot. Liuius. Hist. Eccl.

A

Post aduersum prælium quid agendum.

B

32 Non abs re à Scodrensi dictum, Victo nihil turpius. neque enim victi apud vllos gratiæ locũ recipiunt: inimici exibilant, amici despiciunt, quocirca magno animo & constantia opus Imperatori, qui aduersum prælium fecerit, prudenter iustus dolor illi dissimulandus, & ira comprimenda, suos ob rem malè gestã mœstos potius solabitur & laudabit, quàm graui obiurgatione excipiet, multorumqúe errata potius dissimulabit, quàm acriter castigabit. præsertim si hostes vera vi non astu vicerint. Sextus Pompeius hac in re maximè laudatur, qui cùm ad Mylas aduerso facto prælio, ex hostili classe quinque tantùm nauibus demersis, triginta è suis amisisset: laudauit suos, quod tam magnis & excelsis nauibus restitissent, dicens, eam naualem pugnam visam sibi oppugnationi mœnium similem, nec aliter eos, quàm si victores fuissent, muneribus donauit, solatusqúe est. Non dissimiliter fecêre Veneti post Tarrensem pugnam: nam cùm Galli victores euasissent, suis, qui fortiter se gesserant, stipendia adauxerunt, cęsorum liberis, qui militiæ studerent, præfecturas turmarum dederunt, filiabus dotes, & vxoribus annuas pecunias, & alimenta constituerunt. ignauos ignominia dissimulanter potius, quàm seuerè notarunt.

C

Iouius.

D

In munitis locis valido præsidio opus.

33 Ad retundendam hostium ferociam, eorumqúe impetũ eludendum reprimendumqúe, muniri solent arces & vrbes: sed nisi à valido præsidio defendãtur ruinam patriæ adferũt, quia locus munitus non tam facilè recuperatur, quàm surripitur. Ideò instante & durante bello, debent munita loca diligenter custodiri: nihil enim (vt Procopius habet) ita situ muni-

A munitum, cui si humana desit opera, simplex naturæ tutela sufficiat: & quod labore hominum constructum est, nisi diligentia asseruetur, alio labore destrui potest. Itaque frustra eriguntur arces & propugnacula, nisi ea optimo & validissimo præsidio muniantur. Ea verò in primis communiri oportet, quæ in limitibus posita, hostilibus insidijs magis obnoxia & exposita videntur. Quòd si ad munita loca defendenda iustæ copiæ desint, munitiones destruere præstat. ex temporum enim conditione arces munitæ sunt, vel non sunt vsui. Cum autem vel ex clade belli, vel rerum necessariarũ B inopia, vel temporis exiguitate minuta, omnia loca firmari non possunt, in munitiorem omnes copias contrahere, alijs dirutis, aut desertis conducibile est: retenta enim munitissimi loci possessione, alia possunt recuperari, at illo amisso alia posse retineri, nulla spes est, nisi error hostium occasionem præbeat. Quæ potentissimis hostibus propinquiora sunt, validissimo præsidio belli, pacisque tempore custodiri solent, vt Decelea aduersus Athenienses à Lacedęmonijs, Belgradum contra Turcas à Christianis munitum est.

Thucyd. Procop. Froissard. Bizorus,

C *Periculosa magnæ & munitæ vrbis obsidio.*

34 Quibusdam expeditius & vtilius videtur, munitiora loca prius inuadere, quoniam omnes vrbes Metropolis fortunam & arces, atque castella munitioris loci conditionẽ sequi sæpius contingit. Hanc belli gerendi rationem Æmylius feliciter secutus, & Eduardus tertius Anglorum rex. In hoc autem duo præcipuè consideranda veniunt. Primum, vt exercitus non sit defessus, sed integris viribus, vt labores obsidionis, & frequentes & acres obsessorum eruptiones ferre possit. Secundum, vt nulla re ad obsidionem & oppugnationem necessaria destituatur. D quandoquidem obsidere & expugnare munitissimas vrbes, eorum tantùm est, qui sumptibus immodicis non terrentur, quemadmodũ Alexander Macedo fecit in obsidione Tyri, cui molem ingentis sumptus, & difficilis operæ extruere oportuit, antequam ad mœnia vrbis accedere posset: & nuper Turcæ in obsidione Famagustæ, in qua septuaginta dierum spacio centum & quadraginta ferrearum pilarum in vrbis mœnia atque ædificia intorsere. Cùm munitissima vrbs obsidetur, sinere hostes prope ca-

ſtra metari, valde periculoſum. malè ceſsit Mithridati Cizicum oppugnanti, quòd Lucullum in propinquo caſtra habere permiſerit. Hac de cauſa intercluſi ſunt ab eo commeatus, & obſeſsi nouo ſupplemento recreati, vnde ſupra trecenta hominum millia maxima ex parte fame & morbo peremptaamiſit, & ipſe cùm admodum paucis arrepta naui clam è caſtris aufugit, vixquè incolumis tandem euaſit. Malè ceſsit Franciſco Valeſio Ticinum oppugnanti, quòd Cæſarianos prope ſe caſtra locare nõ impedierit. Cùm obſidentium conditio deterior fieri incipit, obſeſſorum melior, melius obſidionem ſoluere, quàm continuare: ne vana conſtantia maior ignominia, & damnum accerſatur. nam obſidiones longæ, & obſtinato animo continuatæ, multis exitium attulêre. vt obſidio Syracuſarum Athenienſibus Nicia duce, obſidio Romæ Gothi ſub auſpicijs Vittigis, obſidio Neapoleos Gallis ſub Lothrechij auſpicijs.

Appianus. Liuius. Plutarch. Curtius. Froiſſard. Bizorus. Iouius.

A B

Obſidenti munitas vrbes, caſtra diligenter munienda, & vtrinq; vallanda.

35 Cùm ij, qui ciuitates obſident, à duplici hoſte timere debeant, ab obſeſsis videlicet, ne erumpentes caſtra perturbent, ab eorum ſocijs, ne ſubſidia & commeatus intromittant, aut caſtra ex improuiſo adoriantur, videntur introrſus & extrorſus caſtra vallo & foſſa munire debere. ſic fiet, vt incauti non opprimantur, & prius loci difficultate vincantur, quàm ad manus peruenire poſsint. Faciliorem etiam parabit hoc victoriam, quia hoſtes de auxilio opportuno deſperantes, promptius ad conditiones pacis deſcendent. Iulius Cæſar hac ratione munitiſsimas ciuitates ad deditionẽ compulit, & numeroſos exercitus eluſit. hac ratione Caſtracius Caſtracanes Piſtorium in poteſtatem redegit. Eduardus tertius Angliæ rex Caletum, Proſper Columna arcem Mediolanenſem. Malè ſibi conſuluêre plerique duces, cùm id neglexêre, quòd obſeſsi nouo auxilio confirmati, vanos & irritos ipſorum conatus reddiderunt, vt Vittiges Gothorũ rex in obſidione Romæ, Colineus Amiras in obſidione Pictauij.

Sigonius. Iouius.

C D

Quomodo oppugnatio inſtituenda.

36 Cùm obſeſſæ vrbis mœnia oppugnantur, debent omnes

copiæ

A copiæ sub signis consistere: vt si inuadentes à propugnatoribus repellantur, recentes copiæ decedentium locũ subeant, & si prope sint hostes, qui obsessis opem ferre cupiant, imparatos non opprimant. Periculosum autem videtur, oppugnationem instituere, nisi propugnacula, quæ oppugnantium latera verberare possunt, prius deiecta fuerint: plus incommodi enim inde oppugnatores accipiunt, quàm ab ijs quæ frontem feriunt: quia hic prætentis scutis plurima hostium tela recipere possunt: illinc tanquam ex insidijs petuntur, & priusquam ad manus veniant, sternuntur. Hoc modo Vittiges à mœnibus Romæ repulsus est, Colineus à Pictauiensib.
B Quemadmodum autem oppugnatores cum ingenti periculo hostes inuadunt, si subeuntium latera tormentis ex obliquo peti possunt, ita multo facilior redditur oppugnatio, cũ propugnatorum terga aut latera tormentis à longe impetuntur, vt Euuosij accidit, oppugnantibus Gallis, Henrico secundo duce: Pictauij, oppugnantib. Pontificijs, Santandreano Marescallo, & Villarsio comite ducibus.

Procop.
Iouius.
Sigonius.

Nec decorum, nec tutum, vt caput belli patiatur se includi.

C

37 Quia qui obsidentur reformidare hostes videntur, & inferiores hostibus se iudicant, non solùm hostibus addunt animum, sed suis fauorem & fidem diminuunt, quia timidis & ignauis, atque à fortuna malè mulctatis, non facilè populi parent, sed quo fortuna, eo populi fauor inclinat: princeps maximè cauere debet, ne includatur, at præsidio, ad quod oppugnandum venturi hostes creduntur præficere hominem debet rei bellicæ peritum, fortunatum, & populo militibúsque charum, vt quod imperauerit, promptis animis exequantur, & seditiones, tumultúsq. ciuiles, eius prudentia vitentur,
D & authoritatè compescãtur. Interea foris ita gnauiter rem gerere, & bellum administrare debet, vt hostes obsidionẽ deserere cogantur, vt Lucullus contra Mithridatem Cizicum obsidentem fecit, & Scanderbechius cõtra Turcas, dum Croiam vrbem obsidebant. Malè Sardanapolò cessit, quòd se ab Arbace obsideri passus sit: & Desiderio Longobardorum regi, quòd Ticini à Francis passus sit se includi: hic enim regnum & libertatem amisit, ille imperium & vitam.

Appian.
Pet. Diac.
Scodreusis.

A

Ex quibus hominibus debet constitui præsidium.

38 Non tutum videtur, peregrinam gentem, & spe tantùm stipendij aut donatiui operas locantem munito loco seruando, quod cœpto bello momentum maximum adferre potest, imponere, præsertim si res in angustias inciderit. Nam tunc vberioris militiæ spe in partes aduersariorum transit, aut bona incolarum, aut principum quibus merent, in prædam vertit. Primum Isauri fecêre Romæ, dum à Totila obsidebatur. Secundum Germani in arce Neapolitana, cum pro Arragonijs cōtra Francos pugnarent. Et rectè est à Polybio dictū, magna stultitia tale præsidium præsertim barbarorum hominū in vrbem inducere, quod aut viribus, aut multitudine magis, quàm ciues polleat. Nec magis consultum, indigenam munitæ arci aut vrbi præficere. nam familiarium precibus aut desiderio seruandarum facultatum suarum maturius quàm deceret, pacisci cum hoste compelli aut incitari potest. Hoc Alexander Macedo rectè expendens, nunquā indigenas suis præsidijs imponere voluit.

Polybius.
Curtius.
Procopius.
Iouius.

B

C

In sustinenda obsidione multa tolerantia & patientia opus.

39 Qui vrbes aut arces obsidere in animum inducunt, omnes conatus solent adhibere, vt illis quacunque ratione siue vi, siue dolo potiantur. Ideò qui oblatas ab hoste conditiones respuūt, & obsidionem sustinere potius, quàm hosti portas aperire decreuêre, apud se statuant, multas incommoditates & graues molestias tolerare oportere, præcipuè si obsidio ad multum temporis spacium producatur, vt Cretenses, cùm à Metello obsidebantur, ad vltimam vsque penuriam compulsi, sua iumentorumqúe suorum vrina sitim sustentarunt. Sanserriani in ciuili bello Gallico holeribus & corio diu vitam tolerarunt. Siquidem viri fortes ad inusitati generis cibaria potius descendunt, & cuncta obsidionis incommoda patienter perferunt, quàm indignum quicquam vetere gloria de deditione auribus admittant. hoc pacto laus constantiæ & fortitudinis apud eos vel victos manet, & fortuna tantúm accusatur, miseratione etiam moti omnis generis

D

A homines, in profugos omnem humanitatem exhibent. vt erga Caletenses factum, cùm inopia commeatus deditionem facere Anglis coacti, laribus eiecti sunt. Cùm obsidentes oppugnationem instituunt, optima ratio illius sustinendæ, si prius inuadentes locorum iniquitate defatigentur, quàm ad manus veniant, quod fit, cùm mœnium fossa aqua impletur, & scalæ mœnib. admotæ tormentis latera scandentium verberantibus, aut lapidibus & trabibus supernè deiectis, comminuũtur, & ducta introrsus fossa, ipsorum impetus sistitur: cum etiam cauetur, ne propugnatoribus missilia deficiant. & B hæc diligenter sunt prouidenda, quia acriores esse solent inuadentium quàm defendentium impetus. Hac ratione Cicyceni vrbem tutati sunt aduersus Mithridatem, Landresiani aduersus Cæsarianos & Anglos.

Valer. Iouius.

De vtilitate classis.

40 Qui longas & difficiles expeditiones suscipiunt, de prouidendo commeatu in primis sunt soliciti: ad id agendum nihil vtilius putatur, quàm validam classem instruere. nam & commodissimè cibaria vehuntur, & ab hostibus intercipi nõ C possunt. Præterea (vt Xenophon habet) qui longinqua expeditione suscepta iter cum exercitu facit, classis auxilio destitutus, fieri non potest, vt cibum habeat, qui in longum tempus sufficiat, & ei necesse est, vt per amicorum fines copias ducat, vel pugnando cibum paret, quod ei vel victori difficile. Qui nauigat, vbi superior est, de nauibus potest egredi: si inferior, facilè aduersarium terra proficiscentem eludere potest, occasiones captare, ijsquè commodissimè vti, & tandem bellum ex sententia conficere, si classem incolumem & integram retinuerit. Rei itaque nauali operam dare, ei qui bellica lau-D de inclarescere cupit, multum conducit. Athenienses rei naualis studiosi, imperium vltra Ionium mare, orientem versus, & ad Siciliam vsque versus occidentem protulerunt, Lacedæmoniorum acerrimos impetus classis beneficio sæpe fregerunt. Saraceni classe validi, de tribus Mundi partibus victorias reportarunt, in ijsquè sedes fixerunt. Normanni classe potentes tamdiu Galliarum oram vexarunt incursionibus, vt Francos ad Neustriam ipsis concedendam ad habitandum compulerint. His de causis Hariadenus Barbarussa in consi-

Thucyd. Xenophon. Æmil. Iouius.

lium à Solymanno admiſſus, quum de ratione gerendi belli A diſceptaret, eum ad augendam & ornandam claſſem hortatus eſt, aſſerens eum, qui mari victor euadit, terrarum imperio facile potiri poſſe.

Quomodo vtendum claſſe.

41 Hyeme refici, vere adornari, atque educi claſsis debet, æſtate tutò nauigatur, bellumque commodè geritur, qui aliter facit, inutiliter aut periculosè etiam laborat. nam in præcipiti autumno, & hyeme propter tempeſtates, quæ ijs temporib. accidere ſolent nauigationes non tutæ, & propter longiores B noctes inutiles. neque enim cõmodè iter confici, nec deſcenſiones fieri poſſunt. Carolus V. Cæſar eo tempore ad Algerium nauigans, miſerabilem cladem adijt. Hiſpani & Veneti nuper in Cyprum nauigantes, etſi menſe Octobri inſigni victoria aduerſus Turcas potiti ſint, tamen ob imminentẽ hyemem vti victoria non potuêre, ſed remittere impetum, & ad ſua redire compulſi ſunt.

Iouius.
Honiger.

Quomodo naualis turba deligenda.

42 In nautis diligentia, in gubernatione peritia, in remigiC bus robur requiritur. Propterea nautę exercitati, ætatis vigore alacres & prompti, gubernatores multo rerũ vſu probati, deligendi ſunt. Et quia naualis pugna tranquillo ſępius committitur mari, & triremium moles, non ventorum flatibus, ſed remorum pulſu impellitur & circumagitur, dum congreſſus vel appetitur, vel vitatur, in quo opere lacerti remigum plurimum præſtant cum induſtria & arte magiſtri clauum regentis: ideo remiges non effœti, ſed robuſti quęrendi ſunt: & antequam ad pugnam producãtur, diu ſunt in remigatione exercendi. Et nauium magiſtri non pro fauore, ſed ex me- D rito conſtitui debent, & ex gente, quæ nauali gloria excellit. Hac de cauſa Romani cùm Rhodios amicos haberent, eos in ſua claſſe nauium magiſtros conſtituêre: & Galli Ligurum opera in expeditionibus maritimis ſæpe vſi ſunt.

Appian.
Froiſſard.
Aemyl.

Portus & inſulæ claſſi commodiſſimæ, naucleris & nauarchis cognoſcendæ.

43 Nautis gubernatoribusque, locorum, in quibus nauigan-

A gandum, notitia necessaria est. vt infesta prominentibus, vel latentibus scopulis vadosa, & harenis vagis plena vitentur. Similiter & portuum, ad quos appellendum, vel in quibus consistendum, & in statione manendum. Scopulosum littus naufragijs obnoxium, vadosum, non tutum, nec ingressum præbet, & sæuiente maris tempestate in sabulum, vel scopulos allidit. Sicca statio perincommoda, & ad seruandum naues, quæ extra aquam sæpe depicari solent, & ad exeundum cùm res postulat. Nec commodissima satis æstimatur, in quā ingredi naues non possunt, cessante maris fluxu, nec inde e- B gredi possunt, nisi in refluxu. Debet autem eligi statio, in qua procellosæ tēpestatis tempore tutę sint naues, ita vt sese mutuo concutere, aut elidere non possint impellente vento, aut furentibus vndis. fabricandæ etiā naues sunt pro natura portus, vt inde commodè in mare educi possint.

Vegetius.
Chalcondd.

Quomodo nauali bello collocantur insidiæ.

44 Circa opportunas insularum angustias commodissimè disponuntur insidiæ, idque agitur, vt imparati facilius deleantur: si longo remigio fatigati sunt hostium nautæ, si vento C vrgentur aduerso, si nihil suspicantes, in securitate degunt, si statio quam tenent, exitum non habet. Aliter etiam collocantur insidiæ, cùm scilicet sub initium pugnæ naues aliquot in altum euadentes capto circuitu fugam simulant, vt quum omnes pugnæ sunt intenti, reflexo opportunè remigio, aut capto pleniore vento in puppes lateraque hostium, audacter & ex improuiso incurrant, sicut Philippus Auria contra Vgonem Moncatum fecit.

Vegetius.
Iouius.

Quid potissimum agendum, quum prælio nauali decertandum.

D

45 Præcipuè nauarchis videndum, cùm prælium instat, vt classis alto & libero mari vtatur, quia vento magis implentur vela, & hac ratione maiori cum impetu in hostiles naues fertur, quæ cùm ad littus pelluntur, pugnandi impetum perdunt, & sæpius accidit, vt quæ ad littus appelluntur naues, cum fluctu, scopulis, & arenarum molibus, etiam si hostis nō lacessat, cōflictentur, vt Augusto accidit cōtra Menecratē Sexti Pompeij ducē prope Cumas, & Gallis cōtra Eduardū III.

ad Clusas, qui diffidunt viribus suis, & cum hoste congres- A
sum deuitant, eo consilio terræ littus obtinent, vt si ab hostili
classe impotenter vrgeantur, proris in hostes obuersis, terræ
puppes applicent, expositisque militibus, à terra classẽ exar-
matam defendant: sed id extremum, & necessitate expressum
consilium videtur, & eorum, qui minorẽ nauigiorum, quàm
virorum iacturam fore iudicant. Nam eo pacto vix à naufra-
gio & incendio seruari potest. multo ęquior dimicandi con-
ditio erit ijs, qui secundo vtentur vento: nõ solùm enim hoc
prodest ad acriorem impetum inflatis velis inferendum, sed
quia tormentorum incensorum fumus in hostes repercussus, B
omnem prospectum adimit, vt non solùm aduersarios plenè
videre non possint; sed quid in sua classe agatur, discernere
vix queant.

Vegetius. Appian. Aemyl.

*Vincere hostem, in quo præcipuè gloriatur, optima ra-
tio conficiendi belli.*

46 In quo hostis præualet, & maximè fidit, prudenti Impe-
ratori enitendum, vt vincere possit. Concidit enim animus,
& spes perit hominibus, cùm deuictos se vident in ea re, qua
superiores antea fuerant; & vires atque animi augentur no- C
uis victoribus, vnde plena victoria facilè speratur. Alexan-
der Macedo postquam Tyrios nauali pugna, qua cęteris tunc
gentibus præstabant, deuicit, facile ad mœnia vrbis accessit,
& eam, quamuis munitissimam & instructissimam, vi expu-
gnauit. Lysander Lacedęmonius cùm Athenienses in re naua-
li superiores prælio deuicisset, facilem postea victoriam de il
lis reportauit. Marcellus Annibalem cunctis gentibus antea
formidabilẽ, propter varia pręlia feliciter confecta, varijs pu
gnis debilitatũ alijs vincendũ tradidit. Franci non prius Sa-
racenico bello finem imposuêre, quàm hostes, ad id tempus D
de cæteris gentibus victores, nauali prælio vicerint: nec An-
glorum bellicosæ gentis feroces spiritus retundere antè po-
tuêre, quàm eos ad Forminianum in stataria pugna, qua præ-
cipuè se efferebant, superarunt.

Plut. Curtius. Aemyl.

Quibus bellum ducere magis conducit.

47 A prudentibus celeriter bella conficienda sunt, vt diu-
tius in pace viuatur, inquit Appianus; quia in hac commu-
ni

A ni ſocietate nihil pace expetibilius nec commodius inuenitur. Et cùm bellum omnis generis calamitates adferre ſoleat, danda eſt opera, vt quamcitiſsimè confici poſsit, quod magnis ducibus ſemper curæ fuit. Iaſon Theſſalus priuſquam colligi copiæ vndecunque poſſent, procul ab hoſte erat, mox magnis confectis itineribus improuiſus aduolabat: plura in re bellica commodius celeritate confici, quàm per vim poſſe iudicans. ſic in vſu habuêre Danalus, Piſcarius, & Gaſto Foiſſeius. Aliquando tamen accidit, vt hoſtium violentię cedendum ſit, ne temerè vniuerſi certaminis alea ſuſcepta, in mani- B feſtum periculum ſumma rerum adducatur. Pręterea qui diu ſumptus bellicos ferre, & hoſtium ferociam mora ac tædio frangere poſſunt, ijs celeritate non eſt opus. ſiquidem, quibus victoria potiri ſine ſuorum vulnere licet, ſtultè rem in periculum deducunt, & aliquando cum exitiali euentu. vt Romani ad Cannas, Franci ad Malepertuſum fecêre. Vſus rerum magiſter docuit, pecunioſos homines, & qui ditiſsimum habent ærarium, mora & cunctatione hoſtem eludere, & fatigare citra diſcrimen poſſe, qui ſumptibus minimè deterrentur. Ita Pericles Lacedæmonios vicit: ea via incedentes rem ſuam C auxêre Veneti, & Ludouicus XI. Galliarum rex accerrimos impetus Caroli Burgundiæ ducis, mora & cunctatione feliciter repreſsit.

Plutarch.
Argenton.
Iouius.

Fidere ijs, qui ſunt ex hoſtili gente, temerarium & periculoſum.

48 Etſi pleriſque in vſu fuit, hoſtilem audaciam per hoſtes retundere, vt Romani Parthos per Iberos reprimebāt, & Germanos contra Germanos emercabantur: tamen tutum non videtur ijs hominibus fidere, & conſilia communicare, qui ex D ea gente ſunt, contra quam bellum geritur: cogit enim natura, vt ſuę genti faueant, & iuramenti obliuiſcantur. Hoc cùm multis exitiale fuerit, maximè Romanis. Agbarus Arabum Phylarchus à Parthis ad Craſſum veniens, quòd benignè à Pompeio fuerat adiutus, Romani nominis ſtudioſus putabatur, idcirco Craſſus eius conſilio vſus, à flumine & montium radicibus in patentes campos Parthis equitibus commodiſſimos, exercitum duxit, qui ab eis ad internecionē fermè deletus fuit, cadente ipſo Imperatore cum filio. Vadomarus rex

& Gondoindus frater Germani, cùm limites Romanos & cõfines Prouincias vexassent, & ingentes opes ex spolijs Romanis comparassent: Constantius Imperator ingenti coacto exercitu, vt iniurias vlcisceretur, prædatores insecutus cum Rhenum vsque peruenisset, quòd Germani pontem ratibus compactum soluissent, cõmodè flumen traijcere non potuit. Cùm quidam autem locorum gnarus se vadum monstraturum stipulata mercede promisisset, Constantius copias traducere decreuit, Germanos nihil tale suspicãtes facilè opprimi posse iudicans: at Germani qui in castris Cæsaris erant, suos conterraneos de periculo admonent, qui statim ad locum, per quem transituri Romani erant, accedentes illos transitu prohibent. Qua de causa Cæsar ad pacis conditiones condonatis iniurijs descendere compulsus est. Tale incommodum veritus Iulius Cæsar, cùm bellum aduersus Pompeium suscepit, prudenti consilio omnes, quos in suis castris habebat, commendatione Pompeij ad honores euectos, à se dimisit, nec suspectos apud se retinere voluit.

Tacitus. Appian. Auentin.

A suis clades auertere militiæ præcipuum.

49 Cùm multò laudabilius semper sit æstimatum, ciuem seruare, quàm hostem occidere: hoc in bello præcipuè videndum, vt clades à suis, quantum fieri potest, auertantur. Et præclarè Agathias, Vna victoria pura & sincera, nihil ab hostibus graue pati. Nulla autem ad id certior via, quàm vt in hostico solo bellum geratur, quod præclaræ & inclitæ famæ duces diligenter obseruarunt, qui certius & securius inferendo hostibus bello, quàm sustinendo, victoriam parari experimentis didicerunt. Et facilè intelligitur, cum minori damno in hostili agro bellum geri, quàm suo. Nam commeatus paratur, dum ex hostico viuitur, hostes in solicitudinem conijciuntur, contenti sua tueri, qui aliena inuadere cogitabant, audentibus fiducia augetur, perterriti confirmantur, dubij in fide continentur. Itaque pulchrè Xenophon, Belli tempore, adempta rerũm copia, non solùm alimenta, sed insignem quoque famam suppeditat. Hinc Annibal cùm Antiocho regi Syriæ aduersus Romanos bellum suaderet, non in Asia, siue in Græcia, sed in Italia pugnandum

A dum esse dicebat, bella omnia domi esse difficilia propter famem comitem, foris geri facilius est: & si qua foris accepta fuerit calamitas, emendari posse, quæ domi excipiuntur clades, exitiales haberi. Hoc tamen intelligere oportet de ijs, qui superiores aut pares sunt viribus. Nam sua deserere, & potentiora arma prouocare, periculosum admodum est, & insaniæ proximum: quod Hispani olim, & Lusitani aduersus Romanos suo exitio fecêre, & nostra memoria Hungari & Germani aduersus Turcas.

Xenophon. Plut. Aen. Sylu. Froissard. Iouius.

B

An principem ducem expeditionis esse conueniat.

50 Qui principi per legatus bellum administrandum sentiunt, dicunt, reipublicæ caput non obiectandum periculis. & quia parum valent res bellicæ, nisi optimum viguerit cōsilium, domi in consilio sedere, & rebus necessarijs ad bellum prouidere, melius ad securitatem patriæ opinantur: nam si clades accepta fuerit, facilius reparatur, cùm reipublicæ status adhuc integer sit. Sed cùm magnanimi principes C & bellica laude illustres, exercitus suos semper duxerint, vt Cyrus, Alexander, Pyrrhus, Cæsar, Martellus, Ænobardus, illustrium virorum exempla docent, principes exercitus suos ductare debere, si gloriam & decus respectent. Nam quicquid præclarum per legatos geritur, eorum quidem felicitati, sed non gloriæ cedit. Nec decus solùm eos vt in exercitu præsentes sint, incitat, sed vtilitas etiam adigit, & velut compellit necessitas. nam siue inferendo siue propulsando bello, cùm princeps expeditionis dux est, confidentiores & obsequentiores milites redduntur, & de victoria magis securi. & si belli D causa dubia, aut parum iusta illis videtur, tamen iustissimam semper dimicandi causam se habere sciunt, principis & domini vitam defendere. Præterea duces parum inter se concordes, & ex æmulatione gloriæ opinionibus dissentientes conciliant, & ad fidelem & strenuam operam nauandam incitant. quia verò militaris disciplina sola dicitur ars imperantis, debent principes militiæ rudes non esse. nam apud milites in precio non sunt, qui otio assueti, belli labores ferre non didicerunt. Si principes duces habeant rei bellicæ pe-

Plutarch. Herodot. Froissard. Iouius.

ritos, militibus charos & fortunatos, per illos tutò gerere bellum possunt, & domi rebus ad id necessarijs prouidere. Sicut Iustinianus Imperator, & Carolus V. cognomento sapiens Francorum rex fecêre: hic Guesclinati, ille Bellisario & Narseti omnem belli administrationem committens.

A

DECVRIA PRIMA,

B

DE ASTROLOGIA.

STELLÆ sua quantitate, lumine, situ, cursu, mouent atque ordinant omnem Mundi materiam, & locum eorum, quæ oriuntur & intereunt: quocirca Astrologię studium apprimè vtile & decorum censendum. Qui putant, inquisitionem astrorum & secretarum virium, ac influxionum ipsorum Dei prouidentiæ derogare, maximè falluntur. nam ipsius Dei maiestas magis illustratur, cùm tam magnas res eum per creaturas suas efficere intelligimus. Qui fatum physicum ex syderali scientia adserere volunt, vt nimium astris videntur tribuere, ita ij, qui astrorum obseruationem irrident, naturæ iniurij sunt. & inter omnes doctos conuenit, inferiora à superioribus, & terrena à cœlestibus gubernari. in hominibus autem astra dispositionem & affectionem ingenerare dicuntur, non necessitatem suis actionibus adferre, vt rectè Aquinas explicat: Dispositionem corporis (inquit) ex Astrologia prædicere possumus, vt motum sensuum ad res varias, aliquo modo etiam horum ratione intellectus. nam corruptis ex aliquo astro sensibus, intellectus etiã patitur, voluntas autem nullo modo attingitur, liberáque semper & incolumis permanet.

C

Alb. Mag.
Thom. Aq.
Bodinus.

D

2 Ad cæteras disciplinas intelligendas Astrologia conducit, & præcipuè Mathematicas. nam impossibile est, absque cœlestium rerum inspectione Geographiam tractare, quoniã ad longitudines vrbium, solis & Lunæ defectuum obseruatione opus est, ad latitudines inspiciendæ climatũ differentię.

Strab. lib. 1

3 Ser-

A 3 Sermone vulgatum, nec ædium constructionem, nec architectum, aut domiciliũ, aut oppidum ædificare posse, absque climatum & cœlestium partium cognitione, nisi etiam formas, magnitudinesqúe didicerit, caloresqúe ac frigora, cęteraqúe generis eiusdem, & nisi totum orbis terræ situm, locáque sibi in animo proposuerit. *Strab.li.2.*

4 Atlas Libiæ filius, qui in Africa imperauit, inuentor Astrologiæ fuisse dicitur, & spheram Astrologicam inuenisse. Alexander Polyhistor hunc Atlãtem Enoch fuisse perhibet, inuentorem peritiæ syderum, quam postea Abraham Phœ-B nicibus & Ægyptijs tradidit, cùm apud illos peregrinaretur. Sunt qui hoc inuentum ad Sethum referunt: ita antiquitate & authorum splendore nobilis scientia maximè illustratur. *Plin.li2.7. Lud.Viues. Iac. Curio.*

5 Astrologi lineam æquinoctialem diuiserunt in trecentas sexaginta partes, quas gradus vocarunt, similiter circuitum alium cœli per polos. Idem fecêre Cosmographi in terra diuidenda. A polo arctico ad antarcticum distantia asignatur centum octoginta graduum, & à quolibet polo ad lineam æquinoctialem nonaginta passuum. Qui sunt sub æquatore, C neutrum ex polis videre possunt, & necesse est, vt alteruter videri posit, duobus ab illo gradibus abesse. *Guicciard. lib.6. Lerius in hist.Brasi.*

6 A Sole, Luna syderibus, vitæ motûsque principia manant, quæ prouidentia nobis videnda præbuit, vt sensibilia sanè sint intelligibilium simulachra, atque imitamenta. *Plutarch.*

7 Distat à nobis Luna quinquagies sexies tantum, quantũ centrum terræ à nobis distat, qua distantia, & insuper quadraginta millibus stadiorum secundum mediocrem supputationem Sol distat à Luna. *Plutar.*

8 Cœli status cùm Sol in arietem ingreditur, vires habet D tam pollentes, vt eum Astrologi ad præuidenda anni facta cæteris omnibus Solis ingresibus in alia signa anteferant. *Iac. Cur. chron.2.*

9 Copernicus in libris resolutionum, perspicuis demonstrationibus docet, solis apsida terris esse propiorem, quàm Ptolomæi ætate duodecim partibus, id est, vno ac triginta terræ semidiametris, Germanicis milliaribus viginti septem millibus, sexcentis, sexaginta. *Phil. Mel.*

10 Guido Bonatus Foroliuiensis ciuibus suis, qui aduersus Pontificem bellum gerebant, horam pugnæ adsignauit,

in qua pugnantes victoriam reportarent: nec fefellit eos. Idem ordinauit horam, qua plebs Sicula Francos, qui inibi erant, adoriretur, & superior euaderet, & ita accidit. condicta enim die, & designata hora, omnes Galli, qui in Sicilia erant, mactati sunt.

Volat. li. 21 Mach. hi. flor. 1.

A

DECVRIA SECVNDA,

B

DE GEOMETRIA ET Geographia.

GEOMETRIA omnis in ratione Cosmicarum figurarum versatur, quas elementa inscripsit Euclides, quòd ab his, tanquam ab elementis & principijs, ad cæteras artes mathematicas ingrediamur. Nam per hæc & in cæteris disciplinis initia exempláque demonstrationum sumuntur. Ea vniuersa aut à principijs, aut ad principia deducitur. A principijs, cùm à cõmunibus sententijs, & sponte credibilibus procedit: ad principia, cùm ea ponit vel destruit.

Volat. li. 35

C

2 Ab Ægyptijs initiũ habuisse dicitur Geometria; vt à Phœnicibus Arithmetica, quòd Sydonij propter mercatum naualem fuerunt multum occupati in computatione: Ægyptij in agrorum dimensione, quam facere coguntur, cùm Nilus auctus terminos confundit.

Strab. li. 16

3 In tellure metienda quale ac quantũ considerari solet. Primum chorographi est, aut cuiusuis periti regionum simul & picturæ: singula enim sectatur & perquirit, maria, montes, flumina, portus, oppida quæq. citra proportionis curam describendo. Secundum verò cosmographi tantũ, aut mathematici, cùm orbis magnitudinem ad cœli rationẽ accommodat, præterea dierum noctiúmq. varietatem, ac incolarum, sitúsq. differentiam & naturam inspicit ac considerat.

D

4 Crassitudo terræ 1600. milliarium Germanicorũ. Milliare autem intelligitur, quod mediocri gressu duab. horis cõfici potest. Ambitus quinquies mille 400. milliaria continet.

Munst. in Cosmogra.

5 Ter-

A 5 Terræ magnitudinẽ ducenties & quinquagies millena stadia, duoque millia stadiorum continere Eratosthenes tradit. Si quis in 360. sectiones diuidat maximum terræ circuitum, septingentorum erit stadiorum vnaquæque sectio. *Strab. lib. 2*

6 Cæsar Augustus ex senatusconsulto censuit, omnem orbem per prudentes viros admetiendũ, & ideo per continuos 30. annos missi sunt dimensores doctissimi in Geometria, vt per omnem terram præsides & duces adirent, & mensurarent terram, aquas, nemora, plana, concaua, montes, colles: & repertum est, quòd omnis orbis habet famosa maria 30. insulas B 27. montes famosos 40. prouincias 78. vrbes insignes 370. flumina nongenta quatuor, gentes centum viginti quinque, & profundissimum mare spacium quindecim stadiorum in perpendiculo continere. Plutarchus profunditatem maris vltra decem stadia non portendi asseuerat. *Naucler. Plu. in Æmyl.*

7 Omnes maris atque terrarum tractus trecentis & sexaginta partib. distincti sunt. Decem gradus circiter passuum millia septingenta conficiunt. Qualibet hora sol quindecim gradus progreditur. *Volat. lib. 1. Osor. lib. 11*

8 Videntur dimidium terræ duæ orbis partes, Europa & C Africa continere: aliud verò dimidium sola Asia. Europa habet terminos à septentrione Oceanum glacialem: ab occidente Atlanticum mare: ab oriente Hellespontum, duos Bosphoros; paludem Mæotidem, & Tanaim fluuium: à meridie Mediterraneum mare. Africæ limites sunt ab oriente Nilus, ab occidente Atlanticus oceanus, à septentrione internum mare, à meridie Æthiopicus oceanns, cætera continet Asia. *Aug. de ciuit. lib. 16. Viues.*

9 Geometriæ auxilio opera admiranda effecta sunt, quæ stuporem cunctis & spectantibus & audientibus peperêre. D Archimedes onerariam nauem ex regijs mercatus est vnam, quam simul ac adiecit onus, trahi maximo labore & ingenti hominum manu solitam, hominibus multis & pondere imposito, procul assidens, nullo corporis nixu, quieta impellẽs manu, vi quadam multifidæ machinæ, tranquillè, planéque quasi mari perlaberetur, adduxit. Idem ligneam columbam volatilem fecit. *Plutarc. in Marcel.*

10 Sorbolus homo Græcę nationis, in Creta ortus, à lacu diui Andreæ per ardua montium decliuia in Benacũ triremẽ v-

nam, & quasdam immensæ molis naues traduxit. Vestigia, quæ diu exiterunt, rem ita factã esse, multis miraculum operis admirantibus ostenderunt.

A

DECVRIA TERTIA,

DE MVSICA.

B

MVSICA non solum oblectationes adfert hominibus, sed ingentes vtilitates: vnde maximum Dei donum æstimanda. Dauid, vir in canticis eruditus, harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexit, eaque Deo suo, qui verus est deus, mystica rei magnæ figuratione seruiens, diuersorum nomine sonorum rationales moderatosque concentus, & concordi varietate compactam bene ordinatæ ciuitatis ecclesię insinuauit vnitatem. Asclœpiades phreneticos, & mente imminuta laborantes, concentu sonorum, mirabili experimento ad sanitatẽ reuocabat. Clinias pythagoricus, si quando flaua bilis exundaret, priusquam prorsus efferuesceret, chordis adaptatis citheram pulsauit, & eo facto dicebat se animo mitigari.

Aug. de ciuit. lib.17.
Alex. ab Al. lib.6.
Ælia. li.14

C

2 Musicam Amphionis inuentum esse Plinius tradit. Thebarum conditor fertur, & mercede cantus, cum pecuniam non haberet, lapides ab agricolis accepisse. Suauitate orationis & musices harmonia, rupium incolas, et incultis moribus rudes ad obsequij ciuilis pellexit disciplinam. Ponticus vetus author Musicam, quæ Chamele nominata est, ab antiquis excogitatam fuisse scribit ab auibus, quæ in solitudinibus canere consueuêre, ad quarum imitationem Musices constitutionem sumpserunt, sic gratum omnibus eius studium, non mirum cùm natura id docuerit. Pythagoras Samius vniuersi mundi machinam ex musicis rationibus compositam esse demonstrauit, cui plerique assensêre.

Plin. lib.6.
Solinus.
Athe. li.9. & 14.

D

3 Vt pueri animus legem sequatur, vt vnà cum ea gaudeat,

odas

A odas à teneris annis addiſcant homines, crebroqúe cantitent, quibus laudes earum rerum cõtineantur, quas lex laudat, aut earum vituperationes, quas vituperat. Cùm enim teneriores anni rationem virtutis non ſuſcipiunt, ludo atque cantu prę-parantur. *Euſeb. de præpa. 12.*

4 Platonis inſtitutum erat, vt iuuentus Muſicæ diſciplinis inter primas artes inſtitueretur, vt grauiora ſtudia honeſta voluptate leniret. Id quod Pythagoras etiã cenſuit, qui repentinos motus animi, & mentis perturbationes nulla rę magis, quàm vocum concentu mulceri putauit. *Ale. ab Al. lib. 2.*

B 5 Arcades tanto in honore Muſicam habuêre, vt non solũ pueri, verumetiam adoleſcentes & iuuenes vſque ad trigeſimum annum in ea exerceri vellent, exiſtimantes mitem atque tractabilem naturam reddi, quæ per ſe ferocior ac durior videbatur. Hymnos itaque & pæanas canere ſoliti erant, omnia apud eos modulaminibus perſonabant, reliquas diſciplinas neſcire nihil turpe ducebant: at turpiſsimum apud eos cenſebatur, ſi quis canere recuſaſſet. Hæc exercitatio nõ modò propter voluptatem, ſed ob ingẽtem vtilitatem in precio fuit, quia innatam animorum ferociam admodum mitiga-C bat, quod deſuetudo illius apertè oſtendit. Cynethenſes enim Arcadiæ populi cùm ſtudium Muſices neglexiſſent, in ſeditiones & bella atrociſsima inciderunt, in quibus nullum genus crudelitatis omiſſum eſt. *Polyb. lĩ. 4. Athe. li. 14.*

6 Harmoniæ Muſices præcipuæ tres numerantur. Dorica, Phrygica, Lydia, quæ quum variè à diuerſis commixtæ fuerint, non planè tamen perfectam eam artem & abſolutam dicemus. quotidie enim additur & variatur. & vt Africa, ſic & Muſica ſingulis annis adfert aliquam nouam feram. *Athe. li. 14.*

7 Guido Aretinus canendi rationem in ſacris per flexuras D & digitorum notas reddidit faciliorem & accuratiorem.

8 Amœbeus citharedus olim habitauit Athenis, qui cùm in theatrum cantaturus prodiret, talentum Atticum in dies merere ſolitus erat: tanti huius artis peritiam Athenienſes fecerunt. *Sab. en. 9. lib. 2.*

9 Tibicen quiſpiam apud Sybaritas olim contumelia affectus, ad Crotoniatas transfugit Sybaritarũ hoſtes paulò antè prælio ab ipſis ſuperatos, & quod è republica illorum foret, pollicetur (ſi fidem modò habeant) ſua opera Sybaritarum e- *Ath. li. 14. Bud. de aſſ.*

quites in ipſorum venturos poteſtatem: credita res, & belli dux creatus à Crotoniatibus tibicen. Conuocat omnes, quot quot eiuſdem artificij in vrbe erant, modulamentumqúe ijs indicat, atque vt viſum tempus illi eſt, procedere in hoſtem iubet. Sybaritæ faſtu præturgidi, quod equitatu ſuperarent, & recenti victoria clari, hoſtes deſpicerent, eunt contra, præliumqúe nulla interpoſita mora conferunt: hic autem repente dato à duce Crotoniatũ ſigno, tibicines vniuerſi modulari incipiunt: confeſtim modulamine agnito equi ſybaritæ, cantuque vernaculo, cui aſſueti fuerant, attollunt ſe eriguntqúe in pedes ſeſſoribus excuſſis, & quod tripudium domi didicerant, etiam in acie exhibent. Ita capti omnes equites humi iacentes, omnes etiam equi tripudia repræſentantes.

Athẽ. lib. 12 Polit. in miſcell.

10 Citharœdus inſignis Ericum Danorum regem, & multos aulicos lyræ ſono ad rabiem incitauit: primum inuſitatæ ſeueritatis muſam ędidit, cuius prima ſpecie præſentes veluti mœſtitia, ac ſtupore compleuit, poſt ad petulantiorem mentis ſtatum vegetiore lyra adduxit: poſtremo ad rabiem vſque modis acrioribus incitauit.

Saxo grammaticus.

DECVRIA QVARTA,

De Eloquentia.

MAGNA vis eſt copioſè, ſapienterqúe dicentis, quem qui audiunt, intelligere etiam & ſapere pluſquã cæteros arbitrantur, inquit Cicero: quo eloquentiæ admirabiles vires declarat: quæ hominum animos impotenter rapere, & quo vult ducere conſueuit. Propterea, qui in ea excelluêre, fuere ab omnibus vbique celebrati: ſed hac laude Græci, & Romani præcipuè floruere. Prodicus demonſtratiuum genus primus inſtituit, ciuitates oberrans, ac demulcens iuxta Orphei, & Thamyrę conſuetudinem, ex quo apud Thebanos in magnis fuit hono-

A noribus, & apud Lacedæmonios, à quibus, vt hæc iuuentutem doceret magnopere rogatus est, à Gorgia postea agitatus, quod obsoleta, sæpiusqúe dicta tractaret ad extemporalem eloquentiam ab eodem inductus est.

Volaterr. lib. 34.

2 Gorgias extemporali eloquentia maximè valuit, cuius etiam inuentor dictus est. Primum Athenis prodiens, ingenioqúe fretus, Proponite, inquit. ostentans se ad respondendum subito paratum, nihilqúe penitus ignorare, & quiduis posse ornatè, & dilucidè exponere.

Volaterr. lib. 34.

3 Platonis tanta eloquentia fuit, vt eius scripta tantum homines qui legebant, permouerent, alios vt se ipsi regendos traderent, alios, spe immortalitatis ad mortem adigerent. Eius orationis suauitas tanta in admiratione fuit, vt vulgo diceretur: Si Iupiter ipse cum hominibus conuersari vellet, nullum aliud loquendi genus, quam Platonicum vsurpaturum. genus dicendi in eo, tersum adeò, politum, & absolutum omnes agnoscebant.

Plut. vit. Cicero.

4 Hegesias Cyrenaicus philosophus tanta facundia fuit, vt cum mala præsentis vitæ oratione declararet, eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingenerarit, ideoqúe à rege Ptolemæo vlterius hac de re loqui & differere coram populo prohibitus fuerit.

Laertius. Valer. lib. 8.

5 Carneades adeò eloquentia valuit, vt quamcumque rem probandam susciperet, adstantibus, & auscultantibus persuaderet. cum semel pro iustitia cum omnium applausu dixisset, postridie pro iniustitia disserens non minori cum attentione & admiratione fuit auditus.

6 Pisistratus dicendo tantum valuisse traditur, vt ei Athenienses regium imperium oratione ipsius capti permitterent, & hoc magis mirum videtur, quod ex contraria parte amantissimus patriæ, & sapientia clarus Solon niteretur. Sed cum illius orationes disertiores essent effectum est, vt ciuitas libertati seruitutem præferret.

Vealr. lib. 8.

7 Pericles tam admirabilis eloquentiæ fuit, vt ab æmulis & liuidis propter illam laudaretur, qui perstringere eum in scena cupiebant, imperium in ciues vsurpatum, carpentes eius facundiam inexpugnabilem fateri cogebantur. Itaque in eius labris melle dulciorē lepôrem habitare, inqúe animis co-

rum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui A prædicabant: quod res ipsa ostendebat. vi enim eloquentiæ suæ, liberis Athenarum ceruicibus iugum seruitutis imposuit. quandoquidem arbitrio suo egit ille vrbem & versauit. cum aduersus voluntatẽ populi loqueretur, iucunda nihilominus, & popularis vox erat. Pisistrati imitator cùm fuerit, maior illo hac in parte euasit, quod potentiam, quam habebat sine armis acquisierit & retinuerit, cùm ille vi armorum suam defenderit.

Plutarch. in Pericl. valer. lib. 8

8 Demosthenis gloria propter eloquentiam valde insignis fuit: hac enim iudicum sententias ad suam ipsius volunta- B tem quando liberet, conuertebat, vniuersam Græciam, quo volebat vel ad bellum, vel ad pacẽ propellebat. Is aliquando plus vt taceret, quàm alij vt loquerentur, accepit. In accurata & inimicitijs incensa contentione, ad quam concursus populi è tota Græcia factus est, grauissimum atque eloquentissimum vicit, qui in exilium pulsus, victoriam Demosthenis insigniorem fecit, cùm se illi longè imparem in dicendo fateretur.

Cic. de opt. gen. orat. Plut. in demosth.

9 Q. Hortensius in dicendi facultate adeò excellens fuit, vt omnes ad se audiendum & spectandum alliceret. Sic verbis C oratorijs aspectus, & rursus aspectui verba seruiebant, vt dici non posset, suauiórne esset oratio in eo, aut gestus decentior. Æsopus & Roscius ludicræ artis peritissimi viri, illo causas agente in corona frequenter adstiterunt vt foro petitos gestus in scenam referrent. Ita oratoriam facultatem exprimebat, vt alterius artis doctores instrueret.

Valer. lib. 8

10 M. Tullius Cicero omnes neruos eloquentiæ sic expressit, vt omnibus Græcis, qui in oratoria facultate excelluerunt coequandus visus sit. Nam vim Demosthenis, copiam Platonis, suauitatem Isocratis, acumen Hyperidis effin- D xisse dictus est. Eius eloquentiæ laudes in immensum auxit, quod à potentissimo viro, & in dicendo exercitatissimo Iulio Cæsare, atque in sua sententia obstinatissimo, eloquentiæ vi quod cupiebat extorsit.

Plut. in Cicer. Fab. lib. 10.

DECV-

A

DECVRIA QVINTA,

DE MAGIA.

HOC præcipuè Magiæ authoritatem conciliauit, quod ex trib. magnis ſcientijs fundamenta ſumſerit, Theologia, Aſtrologia, & Medicina. eò magis deteſtanda & reprehenſione digna, quo res meliores in abuſum conuertat, nempe religionem in ſuperſtitionē, aſtrorum obſeruationem, & plātarum ac lapidum vires, in faſcinationem. A Zoroaſte primùm cœpiſſe, à multis locupletatam fuiſſe, Plinius tradit.

B

2 Huius variæ ſpecies numerantur, Necromantia, quæ ex mortuis vaticinationem ſumit. Hydromantia, quæ ex aqua. Geomantia, quæ ex terra. Coſcinomantia, quæ ex cribro. Cleromantia, quæ ex ſortibus. Lecanomantia, quæ ex pelui. Phyſiognomia, ex natura membrorum. Chiromantia ex manib. Botanomantia ex herbis. Gaſtromātia ex amphora ventroſa, quę à puero ſolet inſpici. Augurium quod ex volatu aut cantu auium. Aruſpicina ex extis animalium. Oneromantia ex ſomnijs. harū mira effecta recenſentur humani ingenij captū excedentia, quibus omnes in admirationem & ſtuporem adducuntur: cauſa ſpiritib. impoſtoribus homines in errorem adducere quærentibus verè attribui poteſt.

C

Plin. li. 15. Aug. de ciuit. lib. 21. Phil. Mel.

3 Artaxerxe Perſarum rege vita functo, cùm regnum Ochus capeſſeret, magi cuidam ex Eunuchis præceperunt, vt poſita menſa animum aduerteret, quibus rebus ex obiectis rex primū manum inijceret, qui cùm oculos ad hoc intentos haberet: Ochus vtraque manu protenſa, dextra vnum ex adpoſitis cultellis arripuit, altera maximum panem accepit, quem carnibus impoſitum ſcidit, & alacriter comedit: quibus auditis magi hæc duo vaticinati ſunt, frugum tempeſtiuam fertilitatem, atque annonæ copiam illo regnante, & cædium frequentiam portendentes, neque falſi fuerunt.

D

Ælia. lib. 2.

4 Philoſtratum referre dicunt, Hiarcham primum inter Indorum ſapientes ſeptem conſtruxiſſe annulos, ſeptem Planetarum nominibus inſignitos & ſculptos, eoſdémque Apol-

lonio Tyaneo tradidisse, singulis scilicet proprijs, statisque diebus pro dierum, & per eos dominantium planetarum discrimine partiendos deferendósq. deinde & affirmasse ipsum hyarbam Apollonio auum suum philosophum centum atque triginta annos simili fretum cœlesti beneficio vixisse, indéque Apollonium ijs annulis magna vtilitate vsum, centesimo etiamnum anno iuuenem retulisse. A

Rueus de gem.2. *Pictorius.*

5 Eudemus philosophus per annuli vim, serpentum morsus, fascinationes & dæmonia vicisse dictus est.

Pictorius.

6 Eleazarus quidam inter Iudæos fuit, qui annulum habuit, sub cuius pala radix erat, secundum (vt dicebatur) doctrinam Salomonis, qui cum dæmoniaci naso admouebatur, solo olfactu per nares extrahebat dæmonium. B

Zonar an. 1

7 Fuit quoddam Veneris fanum atque ibi candelabrum, & lucerna sic ardens, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret, vnde λυχνὸς ἄσβεστος nominata est.

Aug. de ciuit.21.

8 Erutum est sepulchrum memoria patrum; in quo ardebat lucerna condita ibi, vt ex inscriptione apparebat, supra millesimum & quingentesimum annum, eáque tota extemplo vt contrectari cœpta est, inter admotas manus friata, in tenuissimum abijt puluerem. C

Viues super August.

9 Sacerdotes magi ad montis Draconis Rocam obsidione pressam, & aquæ potissimum inopia laborantem, asino pro templi foribus constituto, tanquam agenti animam occinêre funestum carmen: pòst eucharistia in illius os palatúmq. iniecta, viuum tandem eum ibidem pro templi foribus humauêre. vix dum perfecto sacro, horrenda exorta tempestas, & largus imber effusus, qui cisternas obsessi oppidi impleuit.

Iouia. Pon. de bel. Nea.

10 Græculus quidam nomine Demetrius Spartanus, quum pestilentia Romæ supra modum grassaretur, eo tempore quo Rhodus est à Turcis expugnata, ferũ taurũ sumpsit, cui dimidiũ cornu dissecauit, tũ magico carmine dextrã in aurẽ prolato, ita mansuefactum reddidit, vt iniecto tenui filo ad integrum cornu quo vellet perducens, pestilentiæ placando numini eum ad amphitheatrum immolauit. nec credulæ multitudinis spem ex toto fefellit, quum ab ea inanis sacrificij prospera litatione mitescere morbus cœpit. D

Iou. histor. lib.21.

DECV.

A

DECVRIA SEXTA,

MANVARIAE ARTES.

QVÆCVNQVE prudentia & ſolertia admi-niſtrantur, vt admirationem & laudem pariunt, ita amorẽ & fauorem conciliãt tanto maiorẽ, quanto inſigniores vtilitates adferunt. Vulgus enim omnia vtilitate metitur, tanto diuturniorem, quanto monumẽta excellentiora relinquunt: nam ijs aptiſsimè rerum memoria conſeruatur. Ideo nihil ad popularem laudem efficacius inueniri poteſt, quàm mechanicis artibus excellere. ibi enim nec inanis fauor decipit, nec furens inuidia perſtringit oculos, cùm qualis fuerit artifex, opus demonſtret. Immortalis itaque memoria eorum ſeruatur, qui aliquid egregium præ cæteris in aliqua arte communi hominum ſocietati vtili fecerunt. Lyſippus ſtatuarius ad ſexcenta decem opera fabricauit, tantæ omnia ſolertiæ & induſtriæ, vt claritatem arti & celebritatem artifici potuiſſent dare vel ſingula. *Plin.li.35.*

B

C

2 Myrmecidas Mileſius, & Callicratidas Lacedæmonius propter nimiam exilitatem operum, in admiratione fuêre: inter alia quadrigas fecerunt, quæ ſub muſca poſſent abſcondi. *Ælia. lib.1.*

3 Inter egregia Apellis opera, admirabilis viſa pictura equi Alexandri: tanta enim arte fuit elaborata, vt non imago, ſed viuus equus procul aſpectantib. crederetur, & non ſolùm homines, ſed bruta animantia falleret. Siquidem Alexandri equus ad eam introductus tanquam equo viuo illi adhinniit. Laudantur in ea arte Zeuxis, qui aues fefellit, Paraſius, qui artificem, qui potuit hominem iracundum, iniuſtum, inconſtantem, exorabilem, clementem, miſericordem, excelſum, glorioſum, humilem, ferocem, fugacémq. oſtendere, qui primus argutias vultus, elegantiam capilli, venuſtatem oris inuenit, ſed eum, omnésque qui ipſum præceſſerũt, & qui ſecuti ſunt, ſuperauit Apelles. *Plin.li.35.* *Ael. lib. 2.*

D

4 Poſis quidã nomine Romę fuit tẽpore Varronis, à quo fa-

Varro. ctæ vuę. Item pisces tanta arte atque industria, vt non esset aspectu discernere à veris. A

5 Dedalus, statuis, signis & structuris admirandus artifex, adiutus multorum, quos sibi accersiuit, opera, statuas fecit, quæ ambulare & spirare sunt creditæ: tantum propterea æstimatus, vt in prouerbium venerit, scitè & affabre cõstructum, Dedalæum vocari. Refert Aristoteles, Dedalum Veneris signum fecisse, quod infuso argento moueretur. Didicit in Ægypto artes suas, sed breui magistros superauit, in Græciã veniens, non pauciores fecit statuas, quàm apud Ægyptios erant. In Memphi propylea Vulcani visebantur, Dedali opus admirabile, vt etiam apud eos statuam mereretur, cui diuini honores sunt habiti. B

Diodorus. Seruius. Viues.

6 Cambyses sagittandi adeò peritus, vt quò se ferire velle prædixerat, nunquam aberraret, vel multo vino obrutus, cui intemperanter deditus erat. Eius rei insigne exemplum dedit in Præxaspis consiliarij filium, quem ebrius per medium cor transfixit, prout se facturum, antequam collimaret, prædixerat.

Herod. li. 3. Phil. Mel. chron. 2.

7 Domitianus in arte sagittandi ita excelluit, vt centenas vno die feras sterneret, quarum capita ita de industria præfigebat, vt sagittæ vtrinque affixæ, cornuum speciem præberẽt procul spectantibus, innocuas insuper sagittas ad artis ostentationem per omnia digitorum expansæ manus interstitia transmitteret. C

Sab. en. 4. lib. 4.

8 Commodus ea iaculandi peritia fuit, vt interdum centũ leones totidem ictibus in harena prostrauerit: adeò illi certa manus fuit, & visus securus, vt quicquid oculo destinasset, sagitta vel iaculo nunquam aberrante ictu contingeret.

Sab. en. 7. lib. 5.

9 Hormisdas Narsetis Persarum regis filius, iaculator adeò peritus fuit, vt dum iaculum vibrabat, certò prædiceret qua parte hostem percussurus esset. D

Zon. tom. 2

10 Sub Tyberio Cæsare artifex quidam vitrum facticabile obtulit, & in ipsius cõspectu velut cuprum fabricare incepit, magnum præmium, quo stupenda solertia digna videbatur, se reportaturum sperans, sed illum Tyberius mox decollari iussit: dicens, si hæc ars in lucem venerit, pro nihilo aurum reputabitur, nec argentum.

Nauclerus

DECV-

A

DE CVRIA SEPTIMA,

De agricultura.

EST agricultura generi humano vniuerso salutaris, & necessaria In hac repositæ iustæ, parabiles, ingenuæ, & certissimæ diuitiæ, parens & alumna verè dici potest artium cæterarum, in quibus B ij versantur, qui conuenientia ad diuersos vsus, & ad rerum nostrarum amplificationem opera relinquunt. Præcipua fuit olim occupatio, in qua omnes primum versabantur, tanti habita veterum consensu, vt omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur nihil agricultura melius, vberius, dulcius, libero homine dignius, & ad valetudinem firmandam, conseruandam, accommodatius iudicatum sit. Vt scitè Tullius inquit, Agro bene culto nihil potest esse nec vsu vberius, nec specie ornatius: non segetibus solum, & pratis & vineis & arbustis res rusticæ letæ sunt, sed etiam hortis & C pomarijs, tum pecudum pastu, & apum examinibus, tum florum omnium varietate; nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones quibus nihil inuenit agricultura solertius.

Cicer De senect.

2 Qui primus monstrauit artem colendi agri non conuenit inter scriptores: magna pars tamen assentitur Diodoro, qui hoc inuentum tribuit Dionysio, quem Osyrim nominat. Quidam vetustiorem originem quærentes Noé inuentum esse aiunt, rationibus non ineptis colligentes: si ipse vitem coluit, & quomodo colenda sit monstrauit, quod scriptura sacra te- D statur, veri simile est etiam serendi frumenti artem quæ magis necessaria est, tradidisse. Et cũ ante diluuium omnia luxu perdita essent, abundante rerum omnium copia, probabile non videtur agriculturam priscis seculis ignotam. Sed cum Noe videret mundum propter luxum perijsse, noluit exactã agriculturæ rationem demonstrare, sed simplicissimam & laboriosissimam, qui eum sunt sequuti multa addidere, vt Osyris qui aratro proscindere agros docuit, palis adiungere vitem, arborésque agrestes insitione cicurare.

Diodor lib. 1.2.5.
Tibullus.
Ioa. marius.

3 Cum arborum fructus nimis essent acerbi, amputatione etiam adhibita, mitiores quodammodo faciens in pomarijs & viridarijs, easdem arbores ordine descriptas vtiliter ars excoluit, quam ad rem plurimum commendantur & speciosi habentur, in quinquuncem directi ordines, qui in quamcumque partem spectaueris, recti sunt sed in id quoque prosunt, vt terræ succum æqualiter trahant. Ille ordo quinquuncialis duplex est. Alter scacarius, siue alueolatus formam capiens, à postica parte aluei, in qua scrupi promouentur à lusitantibus. Alter reticularius, qui non in quadras, vt prior, sed in rhombos conformatur: interstitium autem inter plantatas arbores fere quaternûm denûm pedum solitum est designari. A B

Fab. lib. 8 Bud. de aß. 1.

4 Cum inter omnes nationes ciuilitate & legibus gaudentes magno in precio fuerit, maximè apud priscos Romanos, quod ex Dionysio videre est, qui scribit Romulum instituisse. Vt sellularias & sordidas artes serui, & peregrini: militarem ac rusticam liberi, & ciues tractarent. Et ex Plutarcho qui ait, Numam summa diligentia populum Romanum ad agriculturam id est pacis & honestatis studium traduxisse, ita vt solertes in ea re homines pręmijs excitaret, ignauos & desides ignominiæ metu accenderet. item ex Plinio, qui tradit C rusticas tribus landatissimas fuisse, in vrbanas vero tranferri ignominiæ loco duci. Et non infimæ sortis homines, quorum forti, fideliqûe opera populus Romanus vsus fuit ex re rustica, in qua multum diuqûe versati fuerant clari nominis cognomenta sumpsere: cuiusmodi fuere Pisones, Cicerones, Lentuli, Fabij, Hortensij, Portij. Ii quicquid à reip. muneribus otij & laxamenti habebant, id plerumque in exercendis agris, & colendis frugibus ponebant, neque vites amputare, sementes terræ iacere, agros stercorare, vel irrigare fastidio vnquam duxêre. Q. Cincinatus ab aratro D ad dictaturam vocatus, postquam deuictis hostibus triumphans vrbem inijt, ad agrum colendum redijt, & rusticam vitam vrbanæ prætulit, vt veteribus Romanis mos fuit, octo dies culturæ agrorum impendere, nonum vrbanis rebus & nundinis destinare, cum quis agrum suum sordescere pateretur, eumqûe segniter & incuriosè coleret, aut vineas & arbores negligeret, censuræ obnoxius erat, Græci etiam agriculturam magni fecerunt, ita vt apud eos execrabilis ille

Cicer. de senect. Gell. lib. 4 Alex. ab Al. lib. 3. Isocrates. in Plat.

campus

A campus esset, qui arari prohibebatur ouium tantum pascuæ destinatus.

5 Nec populis solùm libertate gaudentibus agri colendi studiũ fuit in precio, sed magnis etiã regibus, & principibus claris, quorum alij relicta ciuili vita, rusticam delegêre, alij in aulica & geniali vita pro summa oblectatione habuere: Cyrus minor adeò agricultura oblectabatur, vt Sardis agrum diligenter consereret, proceras & frugiferas arbores in quincuncialem ordinem digereret. nec operis solùm quomodo omnia agenda erant demonstrauit, sed sua manu quamplurima peregit. *Cicer. de senect.*

B

6 Masinissa terram quam desertam & vastam acceperat, perpetuo culturæ studio frugiferam reliquit. Ita suos ad mitiorem vitam transtulit, & regnum locupletius & ornatius reddidit, percepta inde cum ingenti fructu, laudabili voluptate. *Valer lib. 8*

7 Cornelius Sylla satur bellorum, imperij, rerumque vrbanarum, postremò adamauit vitam rusticam, in eaque diem clausit extremum. *App. b. c. li. 5.*

8 Diocletianus post insignem gloriam domi militiæque partam, diuinosque susceptos honores, nihil firmum nec constans in rebus humanis perspiciens, & imperium laboribus, curis, & periculis plenum expertus, reip. administrationem deposuit, & vitam priuatam eligens agriculturæ se dedidit & nullis persuasionibus ab illa abstrahi potuit, maiorem animi libertatem, & suauiorem voluptatem ibi sentiens, quàm in rep. tam ampla moderanda: talem vitam degit annos decem. *Pomp. læt. Auentinus lib. 2.*

C

9 Pompeius Columna cardinalis cum Neapolitanum regnum cæsaris nomine proregis titulo administraret, villam non longè à maris littore, quæ in occasum plaga illa hortorum amœnitate pernobilis ad Cocceij cryptam extenditur, citrorum sylua, & marmoreis fontibus exornauit, in qua mirificè à curis publicis vacuus oblectabatur. In ea enim adeò multus erat, vt sua manu agriculturæ peritissimus, & semper purpuratus arbusculas insereret, spectanteque populo cum Neapolitanis hortorum amœnitati impensè studentibus de vario seminum genere, deque olerum nobilium, & peregrinorum florum plantatione dissereret. *Iou. in vit. Pomp. col.*

D

10 Alfonſus Ateſtinus dux Ferrarienſis adeò Agricultura delectatus, eiuſqúe cõmoda tam bene recognouit, vt aggeres Ferrariæ vrbis vniuerſos intra pomæriũ per decliuia, planaqúe, vti locus poſceret, frugiferis arboribus, & inflexis vinetis, digeſtiſqúe areolis perpetua viriditate veſtierit, quæ omnia diligenti cultura, & perenni irrigatione ad id lata, & nauigabili foſſa ex Pado perducta ad miram vbertatem omniũ terra naſcentium, & peramœnæ deambulationis voluptatem inſtituta clari hoſpites mirabantur. *Iou. de Vit. Alf.*

A

DECVRIA OCTAVA.

B

IMMENSAE PRIVAtorum opes.

PYTHIVS bithynius longè ditiſſimus hominum priuatorum fuiſſe memoratur, tamen munificentia inuſitata magis, quam opibus celebratus, qui platanum auream, vitemqúe illam inſignem Dario regi donauit. Xerxis copias ingentes, id eſt ſupra decies centena millia hominum epulo excepit, & inſuper frumentum, & ſtipendium quinque menſium exercitui pollicitus, vt vacationem militiæ maximo ex quinque filijs impetraret. habuit autem in numerato in theſauro ſuo, & donatione Xerxis, quadragies centena millia daricorum ſtaterum, quę ſumma æquipollet quadringenties centenis millibus aureorum ſolatorum, quæ efficiunt quadraginta milliones. *Volaterr. Bud. de aſſ. 5.*

C

2 Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo, dixit, quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quattuor millia, in numerato pondo ſexcenta millia, & in agris ſeſterſtiûm bis millies poſſidere. Tota illa ſumma præter ſeruorum precium vndecim millionibus coronatorum æquipollet: nam ſexcenta milla pondo argenti ęſtimantur ſexagies centena millia aureorum, valere bis millies ſeſtertiûm quinquagies centena millia. *Plin. lib. 31 Bud de aſſ. 2.*

D

3 M. craſſus priuſquam aduerſus Parthos moueret exercitum, ſeptem millium, & centum talentorum ſummam coegit, cum etiam decimam facultatum ſuarum partem Herculi con

ſecraſſet,

A secrasset, & publicum epulum populo dedisset, ac tres minas in singula ciuium capita contulisset. Seruos circiter quingentos fabrilis artis, & architecturæ peritos habuit, in agris bis millies sestertiûm id est quinquagies centena millia aureorum possedit.

Plut. in Crasso. Bud de asse.3.

4 Demetrius Pompeij libertus tantas opes parauit vt censum trium millium talentorum reliquerit, quæ summa decies octies centena millia coronatorum efficit.

Plut. in Pomp. Bud. de ass. 2.

5 Pomponius atticus Ciceroni familiaris à patre, & ab auunculo Cæcilio equite Romano, centies & vicies sestertiûm B accepit, quæ summa valet trecenta millia coronatorum non adnumeratis, quæ aliunde ei obuenêre.

Cornelius nepos in Vit. eius.

6 Pallas Claudij cæsaris libertus sestertij ter millies possessor fuit, quæ summa septuagesies quinquies centena millia aureorum efficit, id est septem milliones cum dimidio.

Tacit. li. 13 Bud. de ass. 2.

7 Lollius Paulinus tantum diuitijs abundauit, vt illæ solę gemmæ quę ad neptem peruenerunt decies centenis millibus aureorum fuerint æstimatæ.

Plin lib. 9 Bud. de ass. 2.

8 Lentulus augur antequam illum libertini pauperem facerent, quater millies sestertiûm possedit: id est centies centena millia aureorum, quæ decem milliones efficiunt.

Bud. de ass. 3.

C

9 Anneus Seneca Neronis præceptor tam immensas opes parauit, vt quarto imperij Neronis anno ter millies sestertiûm habuisse dicatur, non enumeratis ijs, quæ quattuor postea annis acquisiuit.

Tacit. li. 13 Bud. de ass. 5.

10 Apud batham in Africa non admodum dudum fuit Heremita magni apud eas gentes nominis, qui singulis annis octo millia medimnorum frumenti colligebat, quingentos habebat equos, pecudum decem millia, boum duo millia, tentoria centum, quorum alia peregrinantibus, alia pastoribus, reliqua ipsius familiæ erant destinata.

Leo Afer. in descrip. Afric. li. 4.

D

DECVRIA NONA,

DE IIS, QVI NIMIO gaudio expirarunt.

A

Valer. lib. 9

SOPHOCLES vltimæ iam senectutis, cùm in certamine tragœdiam dixisset, ancipiti sententiarum euentu diu sollicitus, tandem vno suffragio victor, causam mortis, gaudium habuit.

Volater. lib. 9. Plin. lib. 7.

2 Mutius Iuuentius Thalna collega Tyberij Gracchi cons. iterum cùm in Corsica, quam nuper subegerat sacrificaret, B receptis literis decretas ei à senatu supplicationes nunciantibus, intento illas animo legens caligine orta ob nimium gaudium ante foculum collapsus, humi mortuus iacuit.

Plutar. de mulieribus insignibus

3 Polycrate Naxensis cum Crythreis persuasisset, vt naxam, quam obsidebant, soluta obsidione liberam relinquerent, vt in vrbem ingressa est, ab omnibus impensè coli, & patriæ seruatrix & mater vocari cœpta, gaudio nimio perfusa inter ciuium acclamationes supremum clausit diem.

Valer. li. 9 Plutar. in Annib.

4 Nunciata clade Romæ, quæ ad lacum Trasimanum inciderat, duæ mulieres insperato gaudio mortuæ sunt. Altera C sospiti filio ad ipsam portam facta obuiam in complexu eius expirauit: Altera cum falso mortis filij nuncio domi mœsta sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est.

Valer. lib. 9

5 Xeuxis in tam effusum risum prolapsus est, vt deficiente vitali spiritu morte corruerit.

Valer. li. 9

6 Philemon cum paratas ficus, atque in conspectu positas asellus superueniens deuoraret, puerum, vt illum abigeret inclamauit, qui cum iam comestis omnibus superuenisset, quoniam (inquit) tam tardus fuisti da nunc merum asello, ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum pro- D sequutus, protinus expirauit.

Valer. lib. 9

7 Philisto non dissimili mortis genere interemptus est, siquidem in risum tam solutum effusus est, vt extincto vitali spiritu exanimis sublatus sit.

8 Propter fausta allata nuncia tam immenso gaudio perfusi sunt Athleta crotoniates, Diagoras, Chilo, Philipidas, Philetius, Cratinus, Telon & Iuuencus, vt ex eo expirarint.

9 Cum Hariadenus Barbarussa è Gallia Constantinopolim

reduceret

A reduceret classem, Iluam insulam præteruectus, eius regulum rogauit vt adolescentem turcam Sinæ præfecti triremium filium Tuneti captum, amicè restitueret, quem vt recepit, septem triremibus præfecit, misitque honorificè ad patrem ad Snetiam rubri maris portum tunc commorantem. Sinas tam immensam ex recepto filio lætitiam recepit, vt in supremum animæ deliquium incurrerit.

Iou. hist. 41 Honiger lib. 1.

10 Apud Aubenatem in viuaresio vxor cuiusdam nobilis Tourri nomine, cùm ex improuiso maritus adueniret eum teneriter amplexata in deliquium animi incidit, & post quaB triduum mortua est.

De b. c. gal-lico lib. 12.

DECVRIA DECIMA,

De amore captis.

MENANDER dicebat, amorem animi esse morbum, qui fataliter amatores inflammat, qui morbus corpus sæpius depascitur, & mentem è sua C sede deturbat. Nec inconcinnè videtur ab eo dictum, nam amator in conspectu adamatæ nonnunquam perdit vocem, corpus sudore corripitur frigido, pallor subit, & spasma trementibus membris intercipit, aliquando fletibus, & lachrymis oppletus, facit aeremq́ suspirijs, quærimomonijs, imprecationibus resonare. Si læto vultu ab adamata respiciatur hilaris est & iucundus, nec illum fauorem vellet cum Crœsi diuitijs commutare: ideo nõ incommodè dictũ amatoris animum in alieno corpore viuere. furoris species esse plerisque videtur: nec hoc Plutarcho veri dissimile visum D est, qui scribit populos amoribus deditos bellicosiores esse, quales fuere Bœotij, Lacedæmonij & Cretenses, furore scilicet impetum acuente & pericula contemnente. A rationali autem parte tam immodicum affectum non procedere, non modo ex affectis agnoscitur, sed etiam quod brutis animantibus cum homine communis sit, quæ pro femellis magna irarum mole depugnare solent, & homines aliquando depereant: Elephas corriualis Aristophani grammatico Alexandriç fuisse dictus est, draco amore captus puellæ Ætoliç, An-

Plut. li. de cupidit habendi & li. vtrũ animalia sagonora terrestria an aquatilia.

ſer amore flagrauit adoleſcentis Æſopi, aries tibicinę Glaucię nomine. A

2 Antiochus Seleuci filius nouercæ Stratonices venuſtate, ac amore captus, reuerentia patris & pudore motus, nemini quicquam communicare audebat: cum autem ſe cupiditate ſuperatum eſſe perſpexit, ſimulato corporis morbo, abſtinentia cibi ſe necare conſtituit, cum aliter ab illa animi ægritudine ſe vindicare nõ poſſet. perſpecta autem à medico Eraſiſtrato doloris cauſa, & patri declarata Seleucus, qui filium miro amore proſequebatur, ei regno & vxore ceſſit.

Plut. in Demetrio. App. in Syriac. Valer. lib. 5.

3 Quidam Athenienſis adoleſcens cum ſæpius contemplatus fuiſſet marmoream ſtatuam, quæ in publico loco quodam Athenis collocata erat, ita eius amore captus fuit, vt prope illam ſemper adſtare, eamque tenerrimè complecti, & blandè diſſuauiare vellet, vixque ab ea ſe diuelli pateretur, cum ab ea auelleretur plorabat, & adeò indignanter lamentabatur, vt conſtantiſſimos homines ad miſericordiam commoueret. Is affectus immodicus ita eum tandem domuit vt continere ſe non potuerit, quin eam à ſenatu poſtularet, vt in ædibus ſuis quocunque precio eam habere liceret, quod impetrare non potuit, repulſa indignatus coronam auream cum ſumptuoſis ornamentis fieri curauit, quibus eam decorauit: poſtea cœpit eam tanta animi inſanientis pertinacia contemplari, & adorare, vt populus illius inſaniam amplius ferre nõ valens ad eam accedere prohibuerit. dolore victus & impatientia animi, quod re adamata frui non liceret, ſeipſum interemit. B C

Ælia. lib. 9. Rauiſius in offic.

4 Pyramus adoleſcens, & Thyſbe puella incredibili amore flagrantes, quum impediente parentum ſuſpicione, ſuis votis ſatisfacere nequirent, pepigerunt vt certo die in remotum locum ſe reciperent: quo quum prior veniſſet Thysbe, metu leænæ ibi repertæ in latebras profugit, relicto capitis regumento, quod arripiens leæna venienti poſt Pyramo coniecturam præbuit & argumentum deuoratę amaſiæ, vnde mortem ſibi propterea conſciuit. Thysbe paulo poſt eò reuerſa vbi mortuum amantem conſpicata eſt, longioris vitæ pertæſa, ſuo ſe gladio confodit. D

Rauiſius.

5 Vir plebeius L. Virginius, filiã omniũ Romanorũ formoſiſſimã habuit, quã virginẽ deſponſauit Iulij filio. Hãc puellã

cum

A cùm ſpectaſſet iam nubilem Appius Claudius decemuiratus princeps, legentem in ludo literario: ſtatim captus eſt amore illius, quòd forma tam egregia ei videretur. Cùm autē non poſſet eam ſibi matrimonio coniungere iam nuptam alteri, ipſe etiam vxorem haberet, potiri ea tamen decreuit. Primò conatus eſt puellam donis corrumpere, mittens aliquas ad ipſius nutricem fœminas, ac multa erogans, plura pollicens. Vbi verò nutrici nihil perſuaſit, ſed maiori quàm prius cuſtodia ſeptam puellam animaduertit, inflammatus ex affectu, cogitauit impudentiorem viam, ac ſummittens ex clientibus ſuis quendam M. Claudium hominem confidentem, B & ad omne facinus paratum, declarato illi affectu ſuo. Emittit itaque eum ducentem ſecum complures impudentiſsimos homines, atque ad ludum veniens puellam capit. Clamore exorto, multaquê concurrente turba prohibitus ducere illā, vadit ad magiſtratum. Poſtulante turba expectari, donec virginis cognati adeſſent, iuſsit Appius ſic fieri. breui adfuit auunculus puellæ, neque multò pòſt ſponſus. Claudius, qui puellam ceperat, aſſeruit eſſe ſuam, & ad ſe pertinere. Rediu, multumquê exagitata, Appius ſententiam tulit, vt puellæ cognati eam acciperent, ſed in craſtinum eam ſiſterent. C Virginius pater, qui tunc in caſtris erat, huius facti certior factus, noctu confecto itinere & eluſis, qui eum iuſſu Appij perſequebantur, ſatis in tempore Romæ ad iudicium adfuit, ſed probationibus eius reiectis, Appius eam Claudio adiudicauit, iuſsitquê ducere. Virginius petita amplexandi filiam venia, & colloquendi cum ea, quæcunque vellet remotis arbitris conceſsit Claudius, vbi prope lanij tabernam fuit, arreptum de menſa eius cultrum per viſcera adegit filiæ, mox conſcenſo equo contendit ad exercitum, ibi militibus indignitate facti denarrata, maximam exercitus partem ſecum adduxit ad vlciſcendum facinus. D Plebe fauente, Virginius Appium accuſauit, Appius ductus in carcerē, vt ſeruaretur vſq. ad finem iudicij, ante diem iudicio deſtinatū in vinculis moritur, reliqui ex decemuiris, priuſquam illis dies diceretur, ſe voluntario ipſi exilio mulctarūt, bona eorū omnia tam mortuorum, quàm in exilio viuentium quæſtores vrbani in publicum retulerunt, & M. Claudius, qui virginem rapuerat, in exilium actus.

Polyb. li. 11

6 Cùm Marcus Antonius, rei militaris gloria clarus, Cleopatræ reginæ denunciasset, vt ad se veniret, cum insigni pompa ei obuiam processit, quæ simul ac in eius conspectum deuenit, ita ipsius reginæ exarsit amore, vt neglecta omni imperij cura, tantùm illi placere omni obsequij genere studuerit. Eam autem ita amauit & coluit, vt ad extremum vsque spiritum non deseruerit. A

Appia.b.c. lib.5.

7 Iuditham, Caroli calui filiam, Edelulfo regi Anglo nuptā, quæ mortuo marito ad patrem remeabat, Balduinus Arduennæ saltuarius intercepit, dum fretum traijcere conaretur: excellentis eius formę amore captus, & incōsulto patre thoro sibi iunxit. Excidio eius exercitus coactus imminebat: precib. mulieris, cui rapi non displicuerat, animus paternus motus, ex hoste prædoneqúe sanguinis sui generum salutauit, Flandriaqúe eum donauit, eundem comitatum instituit. B

Aemy.li.3.

8 Scelerus quidam in aula Manuelis Comneni cúm nubilem quandam virginem, à qua contemnebatur, adamaret, ac manifestè solicitaret, nec gratum responsum ferre posset, per lenam ei malum Persicum misit, quo puella in sinum recepto, amore & libidine insaniens, properè eum adijt, atque ab illo corrumpitur. C

Nicetas.

9 Antracius vir fortis Gallus, à Carolo octauo Gallorum rege in Pisana arce cum imperio constitutus, Delantiam Pisanam nobilem puellam tam impotenti amore deperijt, vt non expectato regis mandato, in gratiam adamatæ puellæ arcem Pisanis vendiderit atque tradiderit.

Iou. hist. 1.

10 Hypolytus Arestinus Cardinalis cùm fœminam quandam deperiret, & fratrem spurium Iulium riualem haberet, indoluit admodum, quòd is in amore sibi præponeretur, & cognita fauoris causa ab adamata, nempe quòd Iulius pulcherrimos haberet oculos, iussit illi effodi, nihilominus ob D diligentem medicorum curam ita sanatus est, vt visum non amiserit.

Guicciard. lib.6.

DECV-

A

DECVRIA VNDECIMA,

DE INFELICITATE MVlierum causa.

GRAVIA damna, quæ multæ nationes propter mulieres perpessæ sunt, ostendunt, nimis huic sexui tribuendum non esse, & fatale malum plerunque attrahere, cùm illarum consilia viros sequi contigerit. Bella ob mulieres orta, quæ diuturna & exitialia fuêre, variæ historiæ testantur, & maximè in Græcia: cùm Phaceus Theanonem Thebanam cepisset, adeò Thebani invindictā exarsêre, vt Phocæis bellum indixerint, quo per decennium continuato, tandem Philippo Macedone auxiliante, Thebani Phocidem ceperunt. Cirrhei etiam cùm Megistonem Pelagontis Phocensis filiā rapuissent, Argiuorūmq. filias ex Pythici sacello redeuntes, motū est illis bellum quod per decennium durauit, tandem Cirrha decimo anno capta fuit. Priami filius Alexander violato iure hospitij Helenam vxorem Menelai regis Græci hospitis sui cùm rapuisset, Greci principes decem annis (moto aduersus Priamum bello) Troiam oppugnarunt, tandem dolo ceperunt, ignéque vastarunt, desiderata vtrinque eo in bello supra decies septies centena millia hominum. Sic Io Inachi regis Argorum filia à Phœnicibus rapta, Europa Tyria à Cretensibus, Medea regis Colchidis filia à Græcis argonautis, magnam discordiam inter Græcos & barbaros concitârunt, & magnarum calamitatum causæ fuerunt, non raptoribus solùm, sed etiam ijs, à quibus raptæ fuerunt, vt non inconcinnè ab Herodoto dictum sit: Iniurij sunt, qui fœminas rapiunt, amentes, qui raptas vlciscuntur, prudentes, qui nihil curant raptarum pulchritudinem, quippe quæ nisi voluissent, raptæ non fuissent.

Athē. lib. 13. *Herod. li. 1.*

2. Ægyptus quoque mulierum causâ infelix fuit. nam post varias belli clades Persarum iugum pati coacta est, quod hac ratione cōtigit. Cùm audisset Cambyses Ægyptias mulieres

differre ab alijs in congressibus, ad Amasim regem Ægyptiorum misit, qui vnam filiam eius in matrimoniū sibi dari peterent. Is suam non dedit, quia eam suspicabatur vxoris honorem non esse consecuturam, sed pellicis, interim Apryæ filiam misit. Exciderat autem Apryes Ægyptiorum imperio, quia victus fuerat in pugna, atque ab Amaside fuerat occisus. Cùm gauisus esset Cambyses ob Niterim acceptam (sic enim vocabatur petita vxor, quam Amasidis filiam esse putabat) cùm omnia ex illius sermonibus gesta percepisset, grauiter indignatus est. Cùm Niteris Cambysem virū suum grauiter commotum videt, eum enixê orat, vt de Apryæ patris morte pœnas sumat. ab vxore persuasus Cambyses, Ægyptijs bellum infert, in quo superior religione, legibus, & institutis mutatis Persis parêre coegit.

Herod. li. 3. Abe. li. 13.

3 Iudæa, in qua Dei populus sanctißimis legibus regebatur, á mulieribus calamitates etiam sensit. Salomon muliebribus illecebris captus, paganicum & gentilem cultū instituit: vnde Deus iratus decem tribus filio abstulit, propter Abisag Sunamitidem polluit se fratris Adoniæ cæde. Athalia, quæ regnum inde per septem annos gubernauit, omne semen regium interfecit, & populum vicinis odiosum reddidit. In regno Israel Iesabel falsorum deorum cultum introducens, qui purê Deum inuocabant, occidit, aut eiecit, insontes imposito falso crimine, vt eorum agris potiretur interfecit, vnde regnū vindicante numine in aliam familiam cum internecione regiæ stirpis translatum.

Reg. 3. 4.

4 Romani itidem multa ac grauia damna ob mulieres perpeßi sunt. Sabinarum raptus, graue bellum illis concitauit, quod vrbem nascentem ferè perdidit. Lucretia atque Virginia bis statum reip. mutauêre. Octauia deinde repudiata ab Antonio, grauißimi ciuilis belli initium fuit. Messalina atque Agrippina confusionem magnā attulêre. Placidia Theodosij secundi mater nimia remißione in repub. administranda, incuria, imperitia, & feritate Romanū imperium in summas & inextricabiles angustias coniecit, delatoribus nimis leuiter credens contra Bonifacium Africæ rectorem, quem desperatione actum, ad solicitãdos Vandalos cōpulit, qui ex Betica in Africam transfretantes, eam Romano imperio ademerunt. Eudoxia Valentiani vxor Gensericum Vandalum

in

A in vltionẽ cædis mariti ex Africa accersiuit, qui nauib. ad oram Italiæ appellẽs, Romã statim inuadit, vi capit, immaniter spoliat, ac diripit, dein Capuam expugnat & euertit, Neapolim manu capit, Nolam obsidet, & reliquas Apuliæ & Calabriæ vrbes in prædam vertit.

Liuius. Plutarch. Tacitus. Auen. li. 2. Sigon. li. 11

5 Neapolitanum regnum diu miseréque mulierum causa adflictatum fuit. Ioanna regina obnoxia crimini necati mariti regis Andreæ Hungari, iram vindicum Hungarorum, impetumq́ue metuens, in comitatum Prouinciæ suæ Phocensis fugit, ibi cùm esset, Auenionem vrbem pontifici maximo ad-B dixit, pôst in Italiam redijt, vbi pluribus connubijs se iunxit. Ludouicum Andium ducem rectorem Franciæ in spem regni adoptat: postea rescissa adoptione Alfonsum Arragonium. vnde postea atrocia bella exorta, quæ Italis, Siculis, Hispanis calamitosa, Gallis exitialia fuére, vt donatio Auenionis in causa fuit, cur schisma diu in ecclesia aleretur.

demy. li. 9. Froissard. Iouius.

6 Nec minus Insubria propter mulieres infelix fuit. Isabella cognomento Fusca è Fliscorum gente apud Ligures nobili, quæ Luchino Vicecomiti nupsit, ingenio procax & leuis, ac impudica mulier, vt Venetias spectaret, à viro impetrauit, C vt ornatissima classe per Padum deueheretur, delectis in comitatu fœminarum nobilissimis, quibus & ambiguus inesset pudor, nec viri earum tuendæ pudicitiæ cura tangerentur. Verùm luxuriosissimæ nauigationis exitus fuit, vt cum insigni probro prostratæ pudicitiæ apud Vgolinum Gonzagam Mantuanum, Dandulúmq. Veneti senatus principem redierit: pari infamia deflagrantibus nonnullis illustribus fœminis ex comitatu, quum à pudicis pariter, atque in eodem crimine maculosis leuitate muliebri per mutuas delationes singularum adulteria proderentur. Fusca cùm detectum marito D scelus videt, ipsum podagra laborantem veneno lento atque tabifico necat. Ita familiam, & mariti domum infamia replet, & grauissimi belli causam dat, quod postea inter Mantuanos & Mediolanenses infensissimis animis gestum. Catharina Iohannis Galeacij vxor maritum in patrem Barnabam, & mariti patruum ita irritauit, vt obuiam honoris causa prodeuntem per proditionem ceperit, atque in carcerem coniectum mori coegerit, Mediolani imperio, cuius mediam partem iam tenebat, occupato. Blanca Philippi vltimi è Vice-

comitum familia filia Francisco Sfortiæ connubio iuncta, A & Valentina ipsius soror Ludouico Caroli Quinti Gallorum regis filio nuptui data, acerbissimæ contentioni materiem dedêre: quòd hæc ex legitimo matrimonio suscepta, successionis prærogatiuam quæreret, illa quamuis spuria, quòd viro Italo, & qui belli iure Insubriam maxima ex parte acquisierat, possessionis firmissimum titulum vendicaret. Hæc autem contentio atrocissimum bellum excitauit, quod sæpius repetitum, totam penè Europám concussit, & supra centum myriadas hominum bellicis cladibus, fame, peste, gladio confecit. B

Volater. Guicciard. Iouius. Bellayus.

7 Chilperici regis Burgundionum filia Clotildis Clodoneo magno Francorum regi in matrimonium data, occasio fuit, cur Franci in Gundebaldum arma mouentes, primò dimidiam partem, deinde totam Burgundiam regno suo adiecerint. Vnde varias belli clades regio sensit, & bellicosa natio auito imperio, & parto honore in perpetuum spoliata est, & ferocibus vicinis seruire coacta.

Aemy. li. 1.

8 Fœminea etiam culpa Bauaria in Francorum manus incidit. Lytopyrga mulier imperiosa & elati atque irrequieti animi, maritum Thessalonum Bauariæ ducem ad rebellandum contra Carolum Magnum impulit: vnde cùm bellum in se attraxisset, à suis propter perfidiam desertus, coactus est ad Carolum in castra venire, & veniam admissi criminis suppliciter petere, quam ea conditione impetrauit, vt tredecim obsides daret, in queîs Theodo filius fuit. Suasu coniugis iterum rebellat, & Hunnos atque Auares aduersus Francos concitat. Vbi hæc Carolus resciuit, concilium cogit, in quo secundum legem Salicam, Thessalonus læsæ maiestatis reus peractus, capitali supplicio condemnatur: & Bauaria Carolo adiudicatur. Vbi hæc sententia ritu solenni pronunciata est, Thessalonus ad genua regis procidit, eum more religiosorum tonderi iubet, ac in monasteriũ relegat, vxor in monialium cœtu degere iussa, qui cum Thessalono senserant, in exilium acti. Ita consilium mulieris sibi & marito peperit exitium, & gentis suæ imperium ad exteros transtulit. C D

Anon. li. 3.

9 Anglia à duabus mulieribus præcipuè adflicta est.

Ma-

A Mathildis Henrici primi filia, quæ ſuſcepto bello contra Stephanum regem non Angliam modò, ſed fœderatos populos varia belli clade adflixit. Margareta Rhenati Andegauenſium ducis filia, quæ Henrico ſexto nupſit deſumpta regni adminiſtratione, propter regis imbecillitatem mentis, & inde deiecto Gloceſtrenſi duce, (qui per viginti quinque annos adminiſtrarat) & necato, cum factiones albæ roſæ, & rubræ aleret, tam atrox, & cruentũ bellum ciuile excitauit, vt per triginta annos, quibus illud geſtum eſt, amplius octoginta regiæ ſtirpis homines cæſi fuerint, Militarij ſobole prope deleta, ita vt quæ per quadringentos annos in Gallia Angli varijs titulis obtinuerant, fœdê amiſerint, & nunquam poſtea recuperare potuerint. B

Polydor. lib. 19
Lilius in Chronic.
Argento.
Æmyl lib. 1

10. Franci etſi lege Salica ſapienter prouidêre, ne regnum, quod in Gallia condidêre ad fœminas deuolueretur, tamen illud mulierũ cauſa tot & tantas clades accepit & tam varia detrimenta ſenſit, vt prope à fundamẽtis conuulſum fuerit. Aleonora Guilielmi Aquitaniæ ducis, Pictonum comitis filia, à Ludouico Gallorum rege repudiata, Henrico Andegauenſi Mathildis Auguſtę filio nupſit, ad quem inuito Gallorum rege priorem attulit dotem Pictones, & Aquitaniam, quod auitæ hereditatis eſſent. Hoc infauſtum connubium deinceps perpetui belli ſeminarium fuit inter Gallos & Anglos. Poſtea Iſabella Philippi pulchri filia, quæ Eduardo ſecundo nupſit, materia exitialis belli fuit, quod inſtigante Roberto areteſio Eduardus tertius ipſius Iſabellæ filius ſuſcepit. Alteri bello Galliæ infœliciſſimo cauſam dedit Catharina Caroli ſexti Gallorum regis filia, quæ Henrico quinto Anglo nupſit. Infœlix etiam admodum regnum illud fuit muliebri gubernatione: teſtis Fredegundis, Brunechildis Plectrudis, Iuditha, Blanca, Iſabella, Anna. Fredegundis vidua Chilperici primi ſuſcepit adminiſtrationem regni ſub nomine Clotarij filij, quam tenuit per tredecim annos. In ea adminiſtratione grauiſſima flagitia perpetrauit, primum veneno Childebertũ patruum filij ſui vna cum vxore ſuſtulit: commouit Hunnos contra liberos ſuos; ciuile bellũ atrociſſimum excitauit per vniuerſum regnum. Brunechildis mater Childe C D

berti, & vidua Sigeberti ita malè educauit filios Theodobertum & Theodoricum, vt vix ex ephœbis excedentes tanto arserint inter se odio, vt ad bellum internecinum descenderint: quod cruentissima prælia, & vastationes prouinciarũ, tandem vtrique ruinam & excidium attulit. Postea sua manu occîdit Theodeberti filium Meronæum. Theodebertum solum ex filijs superstitem veneno sustulit, necis decem principum causa fuit, episcopum eam resipiscentiæ admonentem in aquam proijci iussit. Plectrudis vidua Pipini, qui maior palatij fuerat, suscitauit atrocissimum & crudele bellum inter principes Franciæ, deiecto Martello, & substituto in eius locum Theobaldo impio homine, quo bello fermè à fundamentis interijt regnum. Iuditha mater Caroli Calui, & vxor Ludouici Pij coniecit maritum & liberos in perniciosissimũ bellum, quò ita pressus est Ludouicus, vt cedere regno & imperio coactus sit. postea in carcerem à suis coniectus. Blanca mater diui Ludouici simul ac administrationem regni sumpsit, principes Franciæ sumpserunt arma, & Philippum comitem Bononiæ, rectorem & administratorem regni elegêre. Illa exteros principes fœderatos in suas partes statim traduxit. Cùm autem sibi sociasset Ferdinandum Hispaniæ regem, dux Britanniæ, & comes Eboracensis rectoris partes tutati sunt, vnde accensum atrocissimum ciuile bellum, quod reginam Cypri attraxit, quæ totam Campaniam vastauit & Anglos, qui multa Aquitaniæ damna intulêre. Anna soror Caroli octaui, qui mortuo patre tredecim erat annorum, quamuis ordinum consensu administrationem regni suscepisset, tamen quia proceres non libentet se muliebri imperio subijcerent, grauissimi tumultus excitati fuerunt, adeò ingrata & infelix mulierum gubernatio Francis.

Aimon. lib. 3. & 4.
Abb. Vrsp.
Ionuilla.
Aemy. lib. 5. & 10.
Lilius in chron.

DECV-

A

DECVRIA DVODECIMA,

DE MIRABILI SIMILITVDINE *in quibusdam viris, & politijs.*

DVO Atteones, quorum alter Syrus, alter Arcas ab apro interempti. Duorum Acteonum alter ab B amatoribus, alter à canibus discerptus est. Duorũ Scipionum ab altero victi Carthaginenses, ab altero funditus euersi. *Plutar. in Sertor.*

2 Pugnacissimi duces quattuor altero oculo orbati fuere: Philippus Macedo, Antigonus Syriæ, Annibal Pœnus, Sertorius Romanus. *Plutar. in Sertor.*

3 Eodem anno tres bello illustres duces, Annibal, Philopœmen & P. Scipio Africanus mortui sunt, nullusque eorũ satis dignum splendore vitę exitum habuit. Annibal, & Philopœmen veneno absumpti: Annibal proditus ab hospite, C captus Philopœmen. Scipio reus absens citatus voluntarium sibi & funeri suo exilium indixit. *Liu. dec. 4. lib. 9.*

4 Constantinus Helenę filius primus Imperator Constantinopolitanus fuit, quo vrbis nomen accepit, & post annos mille centum viginti vnum, Constantinus huius nominis octauus, qui vrbem, & imperium amisit Helenæ etiam filius fuit. *Iou. in vit Mahom. Godolen. de Turc. aula.*

5 Carolus Magnus eiusdem pene fati fuit cum Augusto Cęsare, vterque labantem, & fere prostratam remp. Rom. erexit, vterque victis, & deletis hostibus imperium vnius adeptus D est, pacis artes vterque amauit, vtrique filiæ molestæ fuêre vterque obijt anno ætatis septuagesimo secundo. *Iacobus Cu rio chronolog. 2.*

6 Crucis lignum recuperatum è manibus Cosioe Persarum regis per Heraclium Imperatorem, amissum tempore Heraclij patriarchę hierosolymitani. Hierusalem occupata à Christianis tempore Vrbani secundi Romani pontificis, redijt ad barbaros tempore Vrbani tertij. *Æmyl. 5. Ginandus in chron.*

7 Glocestrense nomen honoris causa comitibus, ducibusque datum fatale fuit ad ipsorum perniciem, quibus, illud

fuit datum. Hugo ſpenſerius, Thomas Eduardi tertij filius, ille comes, hic dux miſerabili ſupplicio vitam finiêre. Humfredus dux Gloceſtrenſis Henrici ſexti adoleſcentiæ rector ab vxore Margareta ſtrangulatus eſt. Richardus tertius, qui fuerat Gloceſtriæ ciuili bello trucidatus eſt.

Polydor. li. 23.

8 Annotatum eſt decimo quarto calendas ſextiles principium incendij Romæ Neronis opera excitati ortum, quo & Senones captam vrbem inflammarunt, totidemque annos, menſes, & dies inter vtraque incendia numerari, id eſt tantum temporis interuallum à condita vrbe ad Gallorum incendium, quantum ab illo ad Neronianum.

Tacit. li. 15

9 Regnum Perſarum à Cyro vſque ad Alexandrum ſtetit annos ducentos viginti. Totidem annos regnarunt Longobardi, tamdiu Caletum tenuere Angli, reges Syriæ, & Aſiæ minoris à Nicanore primo rege vſque ad Philippum regem vltimum totidem etiam annos imperarunt.

P. Diacon. Phil. Mel. Bodinus.

10 Ab exactis vrbe Roma regibus vſque ad Cæſarem Iuliũ: ab Auguſto primo Imp. Rom. ad Auguſtulum: à Conſtantino magno vſque ad Carolum magnum: ab Alba condita ad eius euerſionem per Tullum Hoſtilium: à Saule primo rege Hebræorũ vſque ad captiuitatem: à ſecunda templi hieroſolymitani conſtructione per Zorobabelem, vſque ad eum annum, quo Herodes à ſenatu rex eſt appellatus: ab Arſace primo rege Medorum vſque ad Alexandrum, à Carano Macedonum rege primo ad obitum Alexandri magni, ſunt pares anni nempe quadringenti nonaginta ſex.

Bodinus.

DECVRIA TREDECIMA,

Nationes.

1. *Reges Aſſyriorum.*

Belus.
Ninus.
Semiramis.
Zameis.
Arius.
Araſius.
Xerxes.
Armametres.
Belotus.
Balæus.
Altades.
Manithus.
Mancaleus.
Iphereus.
Mamilus.
Sparetus.
Aſcades.
Amyntes.
Belotus.
Belopares.
Lamprides.
Soſares.

Lampa-

A Lampares.
Panius.
Sosarmus.
Mithræus.
Tantanes.
Tantæus.
Thinæus.
Decilus.
Eupales,
Laosthenes.
Piriciades.
B Orphrateus.
Orphratanes.
Orcrazapes.
Sardanapalus.
Regnarunt hi per mille, ducentos, quadraginta duos annos.
Ctesias dicit mille trecentos sexaginta.

2. *Reges Medorum.*

C Arbaces.
Sosarinos.
Medidus.
Cardiceas.
Diocles.
Phaortes.
Cyarxes.
Astyages.
Regnarunt per annos ducentos quinquaginta.

D 3. *Reges Sicyoniorum.*

Ægialæus.
Europs.
Stelchin.
Apis.
Thelasion.
Ægidius,
Thurimachus.
Leucippus.
Mesappus.
Eratus.
Plemmeus.
Orthopolis.
Marathus.
Bolechus.
Echireus.
Chorax.
Epopeus.
Laomedon.
Sycion.
Polybius.
Inachus.
Phestus.
Adrastus.
Polyphides.
Pelasgius.
Xeuxippus.
Regnarunt per annos octingentos sexaginta duos.
Augustinus de ciuitat. dicit illud regnum per nongentos quinquaginta nouem annos durasse.

4. *Reges Persarum.*

Cyrus.
Cambyses.
Darius.
Xerxes.
Artabanus.
Artaxerxes.
Xerxes.
Sogdianus.
Darius nothus.
Artaxerxes mnemnō.
Artaxerxes ochus.
Arses.
Darius
Regnarunt per annos ducentos sexaginta quatuor.

5. *Reges Atheniensium.*

Cecrops.
Cranaus.
Amphitryon.
Erichtonius.
Pandion.
Erichteus.
Cecrops.
Pandion.
Ægeus.
Theseus.
Mnestheus.
Demophoon.
Oxintes.
Aphidas.
Timoetes.
Melanthus.
Codrus.
Regnarunt per annos quadringentos octoginta octo.

6. *Reges Ægyptiorum post Alexandrum.*

Ptolomæus Lagi.
Ptolomę9 philadelph.
Ptolomęus euergetes.
Ptolomę9 philopator.
Ptolomæ9 epiphanes.
Ptolom. philomætor.
Ptolom. Soter.
Ptolomæ9 Cleopatræ filius.
Ptolomæus Dionysi9.
Cleopatra.
Regnarunt per annos ducentos septuaginta septem.

7. *Reges Hebræorum.*

Saul.
Dauid.
Salomon.
Roboam.
Abias.
Aſa.
Ioſaphat.
Ioram.
Ochoſias.
Gotholia.
Ioas.
Amaſias.
Ozias.
Ioathan.
Achas.
Ezechias.
Manaſſes.
Amon.
Ioſias.
Ioachas.
Ioachim.
Iechonias.
Sedechias.
Ariſtobulus.
Alexander.
Alexandra.
Hircanus.
Herodes.
Archelaus.
Agrippa primus.
Agrippa ſecundus.
Regnarunt per annos ſexcentos viginti duos.

8. *Reges & imperatores Romanorum.*

Reges.

Romulus.
Numa Pompilius.
Tullus hoſtilius.
Ancus Martius.
Tarquinius priſcus.
Seruius Tullius.
Tarquinius ſuperbus.
Regnarunt annos ducentos octo.

Imperatores.

C. Iulius Cæſar.
Octauius Auguſtus.
Tiberius.
C. Caligula.
Claudius.
Nero.
Galba.
Otto.
Vitellius.
Veſpaſianus.
Titus.
Domitianus.
Nerua.
Traianus.
Hadrianus.
Antonius pius.
M. Antoninus.
Commodus.
Pertinax.
Seuerus.
Baſsianus caraculla.
Macrinus.
Heliogabalus.
Alexander Seuerus.
Maximinus.
Gordianus.
Philippus.
Decius.
Gallus.
Valerianus.
Claudius.
Aurelianus.
Tacitus.
Probus.
Carus.
Diocletianus.
Galerius.
Conſtantinus magnus.
Conſtantius.
Iulianus Apoſtata.
Iouinianus.
Valentinianus.
Valens.
Gratianus.
Theodoſius primus.
Arcadius.
Honorius.
Theodoſius ſecũdus.
Valentinianus.
Martianus.
Leo primus.
Zeno.
Anaſtaſius primus.
Iuſtinus primus.
Iuſtinianus
Iuſtinus ſecundus.
Tiberius ſecundus.
Mauritius.
Phocas.
Heraclius.
Cõſtantinus ſecundus.
Heracleonas.
Conſtans.
Conſtantinus tertius.
Iuſtinianus ſecundus.
Philippicus.
Anaſtaſius ſecundus.
Theodoſius tertius.
Leo ſecundus.
Conſtantinus quartus.
Carolus magnus.
Ludouicus pius.
Lotharius primus.

Ludouic-

Ludouicus ſecundus.
Carolus caluus.
Carolus craſſus.
Arnolphus.
Ludouicus tertius.
Cunradus primus.
Henricus auceps.
Otto primus.
Otto ſecundus.
Otto tertius.
Henricus ſecundus.
Cunradus ſecundus.
Henricus tertius.
Henricus quartus.
Henricus quintus.
Lotharius ſecundus.
Cunradus ſueuus.
Fridericus barbaroſſa.
Henricus ſextus.
Philippus barbaroſſæ.
Otto quartus.
Fridericus ſecundus.
Cunradus quartus.
Vvilhelmus Hollandꝰ.
Rudolph. Habisburg.
Adolphus nanſeus.
Albertus Auſtriæ.
Henricus ſeptimus.
Ludouicus Bauarus.
Carolus quartus.
Vvenceslaus.
Rupertus palatinus.
Sigiſmundus.
Albertus Auſtriacus.
Fridericus tertius.
Maximilianꝰ primus.
Carolus quintus.
Ferdinandus.
Maximilianꝰ ſecundꝰ.
Rudolphus ſecundus.
Imperarunt per annos 1622.

9. *Reges Anglorum.*

Egbertus.
Edelphus.
Ethelbadus.
Ethelbertus.
Ethelreus.
Aluredus.
Eduardus ſenior.
Adelſtanus.
Emundus primus.
Eldredus.
Edninus.
Edegarus.
Eduardus martyr.
Etheldredus.
Edmundus ſecundus.
Canutius primus.
Heraldus primus.
Canutius ſecundus.
Eduardus ſanctus.
Heraldus ſecundus.
Gulielimꝰ cõqueſtor.
Guilielmus ruffus.
Henricus primus.
Stephanus.
Henricus ſecundus.
Richardus primus.
Ioannes.
Henricus tertius.
Eduardus primus.
Eduardus ſecundus.
Eduardus tertius.
Richardus ſecundus.
Henricus quartus.
Henricus quintus.
Henricus ſextus.
Eduardus quartus.
Eduardus Quintus.
Richardus tertius.
Henricus ſeptimus.
Henricus octauus.
Eduardus ſextus.
Maria.
Eliſabetha.
Regnarunt per annos ſeptingentos octoginta.

10. *Reges Francorum.*

Pharamundus.
Clodiocomatus.
Meroneus.
Childericus.
Clodoueus primus.
Childebertus primus.
Clotarius primus.
Cherebertus.
Chilpericus primus.
Clotarius ſecundus.
Dagobertus primus.
Clodoueus ſecundus.
Clotarius tertius.
Childericus ſecundus.
Theodericus primus.
Clodoueus tertius.
Childebertus ſecundꝰ
Dagobertus ſecundus
Chilpericus ſecundus.
Theodericus ſecundꝰ.
Childericus tertius.
Pipinus.
Carolus magnus.
Ludouicus pius.
Carolus caluus.
Ludouicus balbus.
Ludouicus & Carolomannus.
Carolus craſſus.
Odo.
Carolus ſimplex.
Rodulphus.
Ludouicus transmar.
Lotarius.
Ludouicus quintus.

Xx

Hugo capetus.	Philippus pulcher.	Carolus octauus.
Robertus.	Ludouicus Hutinus.	Ludouic9 duodecim9.
Henricus primus.	Philippus longus.	Franciscus primus.
Philippus primus.	Carolus quartus.	Henricus secundus.
Ludouicus crassus.	Philippus Valesius.	Franciscus secundus.
Ludouicus septimus.	Ioannes.	Carolus nonus.
Philippus Augustus.	Carolus sapiens.	Henricus tertius.
Ludouicus octauus.	Carolus sextus.	Regnarunt per annos
Ludouicus nonus.	Carolus septimus.	mille centum sexa-
Philippus tertius.	Ludouicus vndecim9.	ginta.

DECVRIA DECIMA QVARTA.

Qui pro patria se deuouêre.

CODRO Athenis regnante, Heraclidę, qui in Peloponneso regnabant, bellum Atheniensibus mouerunt: consultum ab illis oraculum respondit, superiores fore Lacones, ni regem Atheniensium occidissent, si rex interficeretur, victrices Athenas fore. Diuini responsi rumor, vt ad Athenienses peruenit, Codrus patriæ amans, & gloriæ appetens posito regio cultu castra Laconum ingressus, prouocatis iurgio militibus, se interficiendum præbuit. Lacones postea prelio fusi, reliqua exacti Attica, solam Megaricam terram tenuerunt.

Cic. Tusc. 1. Iust. lib. 3. Viues.

2 Leonidas Spartanus cum trecentis ciuibus apud Thermopylas toti Asiæ obiectus, grauem illum & terra & mari Xerxem pertinacia virtutis ad vltimam desperationem redegit. Cæterùm loci opportunitate, qua plurimum adiuuabatur, spoliatus, cadere dimicans, quàm assignatam sibi à patria stationem deserere maluit, & pro vniuersa Græcia morti se deuouit.

Plut. in Pelopida. Valer. lib. 3

3 In Phrygia sub rege Mida factus terræ hiatus, oraculum consultum declarauit, coadunari iterum posse terram, si rem omnium preciosissimam, quam rex possideret, in hiatum inijceret. iniecit aurum & argentum, sed ille iactus nihil profuit;

Plutar. in parall.

A fuit: tum illius filius Michurus pro salute patriæ se deuouit, iudicans se ab oraculo designari, quòd regi patri charissimus esset. conscenso itaque equo, in ipsum hiatum se præcipitem dedit, & terra, quæ horrendum in modum dehiscebat, cum maximo incolarum gaudio se coniunxit.

4 Cùm Xerxes satisfactionem pro legatis à Lacedæmonijs contra ius gentium interfectis peteret, & videretur rem armis vindicaturus, nisi aliqui mitterentur, qui flagitium admissum morte sua expiarent: Buris & Sperchis se vltrò obtulerunt, qui pro patriæ salute sanguinem, si ita casus ferret profunderent, & coram ipso Xerxe iugulum præbentes se sisterent. *Herod. li. 7*

B

5 Cùm in medio foro Romæ vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumque esset, illam tantummodò posse compleri ea re, qua populus Romanus plurimũ posset, Curtius & animi & generis nobilissimus adolescens, interpretatus vrbem virtute armisque excellere, militaribus insignibus ornatus equum conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud barathrum egit. super quem vniuersi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt, continuóque terra pristinum habitum recuperauit. *Liu. dec. 1. lib. 7. Valer. li. 5. Tacit. li. 2. Oros. lib. 3.*

C

6 P. Decius cùm Latino bello Romanam aciem proclinatam, & penè iam prostratam videret, caput suum pro salute reip. deuouit, ac protinus concitato equo in mediũ hostium agmen patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit, factaque ingenti strage, plurimis telis obrutus corruit, eius audaciȩ incitati Romani gradum intulerunt, & hostes victoriæ imminentes superarunt. Eius filius eiusdẽ nominis in prælio contra Senones quadraginta annis post paternos spiritus gerens, simile officium patriæ præstitit. *Liu. dec. 1. lib. 8. Valer. lib. 5 Zon. tom. 2*

D

7 Cùm inter Carthaginem & Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset, ad vltimum placuit vtrinque eodem tempore iuuenes mitti, & locum, in quem ij conuenissent, finem ambobus haberi populis: verùm hoc pactum Carhaginensium duo fratres, nomine Phileni, perfidia præcurrêre, citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis. quod cùm intellexissent Cyrenensium iuuenes, diu de fallacia eorũ questi, postremò acerbitate

conditionis iniuriam discutere conati sunt, dixerunt nam- A
que, sic eum finem ratum fore si Phileni viuos se ibi obrui pas
si essent. Illi nulla interposita mora corpora sua terra operienda
tradiderunt: longiores patriæ, quam vitæ suæ terminos
constituere cupientes.

Valer. lib. 5
Pomp. mel. lib. 1.

8 Romanis in Sicilia bello Carthaginensi primo castra habentibus, Imperator Pœnus colles, locosquê idoneos, & æquiores occupat, milites Romani in locum se insinuant fraudi, & perniciei obnoxium. Q. Cæditius tribunus ad consulem venit, ostendit exitium Romano exercitui paratum de loci iniquitate, & hostium constantia: Maturum exitum B censeo (inquit) si rem Rom. seruare vis, faciundum, cuius ratio expedita ostenditur, vt quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire iubeas, eamquê vti occupent imperes, Horterisquê hostes: profecto vbi id viderint fortissimus quisque, & promptissimus ad occursandum, pugnandumquê in eos ex hostili exercitu mittetur, illi quidem omnes quadringenti proculdubio obtruncabuntur, sed tu interea occupatis in ea cæde hostibus tempus educendi exercitum habebis, alia nisi hæc salutis via est. Consul tribuno respondit consilium quidem fidum, atque prouidum sibi videri; Sed istos (inquit) C milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit, qui ducat? Si alium (inquit tribunus) neminem reperis, me ad hoc periculum vtare. Ego hanc tibi, & reip. animam do. Consul tribuno gratias, laudesquê egit. Tribunus & quadringenti ad moriendum proficiscuntur: mittit aduersum illos Imperator Carthaginensis ex equitatu, & peditatu, quos habuit in exercitu viros strenuissimos, Romani milites multitudine circumueniuntur, Circumuenti repugnant, fit prælium atrox, & diu anceps, tandem superat multitudo. Quadringenti omnes cadunt. Consul dum ea pugna D fit, se in locos tutos atque æditos subducit.

Gell. lib. 3.

9 Cum Pompeius decreuisset Mamertinos, quod contra ipsum rebellassent, grauiter punire, eius hospes Stheno professus est, se solum fuisse causam rebellionis, quod beneuolentia amici inducti fuerint, vi inimici: non esse æquum vt vnius culpa multi innoxij interirent.

Plut. in Pomp.

10 Caletenses cum per vndecim menses obsidionem ab Eduardo tertio pertulissent, fame domiti, & omni spe auxi-

A liorum destituti, deditionem facere decreuêre, si tolerabilibus conditionibus reciperentur, sed cùm ab irato hoste impetrari non possent, qui obstinato animi proposito petebat, vt sex ciuitatis primores ad supplicium traherentur, cæteri oppidani cum singulis abirent vestimentis: qui in concessu primus erat, se iræ hostium offerre, ac patrię vitam condonare professus, æmulationem pietatis in patriam reliquis iniecit, ita surrexit secundus, & deinceps alij, quoad iustus quem victor petebat, numerus optimatum est effectus, qui pro communi ciuium suorum salute B vitam deuouêre.

Froissard. lib. I. Aemy. li. 9

DECVRIA DECIMAQVINTA,

DE VARIA PERFIDIA.

C *Perfidia pœnam in suos authores retorquens.*

ACHILLES, qui Hectorem & Troilum crudeliter & perfidè occiderat, à Paride ex insidijs est occisus, ipse Paris non diu impunitus ob perfidiam mansit. à Philoctete enim paulò pòst est ex prouocatione trucidatus.

Nauclerus

Perfidia in vltionem commissa.

2 Gn. Domitius iratus Betulto Auernorum regi, quòd cùm D suam, tum Allobrogum gentem ad C. Fabij successoris sui dextram confugere hortatus esset, per colloquij simulationẽ accersitum, hospitióque exceptum, vinxit, ac Romam naue deportandum curauit.

Valer. li. 9 Oros. 5.

Perfidia vtilitatis prætextu commissa.

3 Sergius Galba summæ perfidiæ trium Lusitaniæ ciuitatum conuocato populo, tanquam de commodis eius acturus, septem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, ele-

Valer lib.7 *Orosius. li. 4.*

cta, & armis exuta partim trucidauit partim vendidit: quia vera vi, & armis subiugare non poterat, existimauit è re populi Rom. esse, si quacumque ratione debellaret. A

Perfidia sub specie amicitiæ commissa.

4 Theodorus Epiri princeps cum bellum aduersus Petrum Antisiodorensem Imperatorem gessisset, quod victoriam de illo nimis difficilem, aut impossibilem videret, se fœdere pacis icto cum eo reconciliauit, post magna comitate, & beneuolentia simulata ad conuiuium inuitauit, ad quod cum ipse venisset in medio conuiuarum obtruncatus est. B

Sab. en. 9. lib.6.

5 Marcellinus Maximiani filius Gabinium regem Quadorum ne quid ad Danubij ripam, vbi sedes habebant innouaretur rogantem, ne ad arma venire necesse esset; conuiuio inuitatum fœdissime trucidauit.

Sigon. de occid. imp. lib.16.

Perfidia cum summa ingratitudine, & crudelitate commissa.

6 Carthaginenses Xantippum Lacedæmonium, cuius optima & fideli opera primo Punico bello vsi fuerant, quo iuuante Attilium regulum ceperant, simulantes sese domum remittere eum plurimis muneribus donatum in alto demerserunt. C

Appia. in Lybico. Valer. lib.7 Zonar. an. tom. 2.

Perfidia per iocum excusata.

7 Pontifex Alexander Borgia cum Vrsinos regulos, quos prius infensos habuerat, & sibi pacis fœdere reconciliarat, astu ferme omnes cepisset, & in ijs Cardinalem, & Reginaldum archiepiscopum Florentinum, & protonotarium contraque datam fidem cæsar ipsius filius interemisset, qui cum ob id, crudelitatis & perfidiæ accusaretur, respondebat Alexander filio: optimo iure fidem frangere hostibus reconciliatis licuisse, quia prius illi fregerant. fide enim inter se data promiserant se numquam ad eum simul omnes venturos, & promissorum iuramentique immemores omnes simul ad ipsum accesserant. Cum pontifex autem ipse, & filius ambo fide fluxa essent & ad fallendum si spes commodi affulgeret intentissimi essent, non eadem via incedebant, sed dissimiliter D

artificio

A artificio simulationis in eumdem scopum vtebantur. siquidem pater numquam faciebat, quæ promiserat, filius numquã dicebat quæ facturus erat.

Perfidia callida promissi interpretatione elusa.

8 Cum bellum esset inter Armenios, & Iberos, imperantibus illis duobus fratribus Pharasmane, & Mithridate: Rhadamistus Pharasmanis filius simulata aduersus patrem discordia, tanquam nouercæ odijs impar, pergit ad patruum: ibi benignè exceptus cum primores Armeniorum ad nouas res sollicitasset reuersus ad patrem, magnas copias ab eo accipit, & subita irruptione Mithridatem compulit in castellum loco, & valido præsidio militum tutum; quod cùm expugnare non posset, præfectum pecunia corrupit, Is Mithridati persuasit, vt in conditiones fœderis descenderet. & præsidiarios in sententiam suam adducit, qua necessitate Mithridates adductus, diem locumque fœderis accepit, castelloque egreditur. Ac primo Rhadamistus in amplexus eius effusus simulare obsequium, socerum, & patrem appellare, adijcit insiurandum, non ferro non veneno vim allaturum, simul in lucum propinquum trahit, prouisum illic sacrificium imperatum dictitans, vt dijs testibus pax firmaretur: sed cum illic fuit, concursu plurium cathenæ, & compedes inijciuntur, sequuta cum paruis liberis coniunx cuncta lamentatione complebat: diuersis, & contectis vehiculis abduntur, & Rhadamistus quasi iurisiurandi memor non ferrum, non venenum in sororem, & patruum expromit, sed proiectos in humum veste multa, grauique opertos necat. *Tacit. li. 12.*

D 9 Cleomenes Lacon assumpto ex familiaribus suis Archonide, eum consortem & adiutorem sui propositi fecit. Iurauit itaque ei, si voti compos fieret, se omnia cum capite eius transacturum esse. Cum rerum potitus fuit, occiso socio caput eius vasi pleno melle imposuit, & quotiescumque aliquid agere instituebat, oculos in vrnam deflectebat, atque eo pacto promissum non violare, neque iusiurandum fallere dicebat quoniam consilium cum Archonidis capite capiebat *Æl. lib. 12.*

10 Cum Habraymus bassa summa Solymanni domini sui

gratia potiretur, timens ne commutata aliquando voluntate, præcipiti casu, inuidia, quæ gratiosos sequitur, stimulante, rueret, familiari sermone postulauit, ne se tantis honoribus onerare contenderet, ne demum amplitudine odiosa, supra æquum florentem è gradu tanquam è fastigio summæ fortunæ præcipitem dare atque occidere necesse haberet: fidem in hæc verba ita princeps dedit, vt nunquam ei viuo vitam se erepturum polliceretur. Accidit, vt inimicorum circumuentus insidijs, Christianis nimis fauere, & domini causam prodere accusatus, & quibusdam suis literis interceptis conuictus vltimo supplicio dignus iudicatus sit. Solymannus autem ne datam fidē fefellisse diceretur, in puluino dormientem eum iugulari iussit: Talismane sacerdote diuini iuris interprete, dormientem nequaquam censendum inter viuos asseuerante, quum vna vigilia totius vitæ actus constaret.

A B

Iou. hist. 33.

DECVRIA DECIMASEXTA,

DE VARIO ASTV.

C

OLIM in Lybia Psapho quidam quamplurimas aues cepisse dicitùr vocales, & humani sermonis dociles, easque hæc verba sonare docuit, Magnus Deus Psapho. atq. ita doctas emisit in montes. Illæ verò quæ didicerant, canebant, reliquas item aues eadem sonare docebant. Porrò Lybes cùm commentum ignorarent, credentes id diuinitùs accidere, Psaphoni rem diuinam facere decreuerunt, & eum in deorum numerum retulerunt.

Max. Tyr. serm. 19.

D

2 Eunus Syrus quum nuce iuglande in os inclusa ignem euomeret, simulans deæ Syriæ numine afflatam, apud seruos & infimam plebem diuinus habitus: primò duo hominum millia in Sicilia spe rapinarum adsciuit, mox effractis carceribus ad sexaginta millia coegit, Manliúmque & Lentulum consules iusto prælio uicit & profligauit.

Alex. ab Al. lib. 2.

Cûm

A 3 Cùm in bello nauali contra Xerxem Architeles, qui in prætoria naui Græcorum trierarchus erat, Themiſtocli rem ad certamen deducere properanti in plurimis aduerſaretur, & deficientibus ad nautarum ſumptum pecunijs, ad reditum ſpectaret, in eum iam infenſos ciues Themiſtocles magis concitauit, adeò vt impetu facto cœnam ei diriperent. qua iniuria indignatus admodum cùm eſſet trierarchus, panem illi & carnes in ciſta, ſummiſſo argenti talento in cœnam miſit Themiſtocles, iubens & in præſenti cœnare, & prima luce triremium curam ſuſcipere. quod ſi recuſaret facere, ſe ciuibus delaturum, quòd argentum ab hoſtibus miſſum cōditum apud ſe haberet. Hoc pacto irã aduerſarij leniuit, & ad nauandum ſedulam operam promptiorem reddidit.

Plut. in Themiſt.

B

4 Annibal ex captiuis Romanis in prælio Cannenſi electos decem in vrbem miſit, hac cum eis inita pactione, vt ſi populo Romano videretur, permutatio fieret captiuorum, & pro ijs, quos alteri plures acciperent, darent redēptionis precium, ſi hoc efficere non poſſent, in caſtra Punica reuerterentur. Veniunt Romam decem captiui, mandatum Pœni Imperatoris in ſenatu exponunt. Permutatio ſenatui non placuit.

C Parentes, cognati, affineſque, captiuorum amplexu gaudentes, eos poſtliminio in patriam redijſſe dicebant, ſtatumque eorum integrum, incolumémq. eſſe, ac ne ad hoſtes redire vellent, orabant. Tum octo ex ijs, poſtliminium iuſtum non eſſe ſibi reſponderunt, quoniam iuramento deuincti eſſent, ſtatimque vti iuramento ſe obſtrinxerant, ad Annibalem profecti ſunt: duo reliqui Romæ manſerunt, ſolutos ſe eſſe, ac religione liberatos dicentes, quoniam cùm egreſsi caſtra hoſtium fuiſſent, commentitio conſilio regreſsi eodem die, tanquam ſi ob aliquam fortuitam cauſam redijſſent: ideò ſe iureiurando ſatisfeciſſe aiebant, quod ad hoſtem reuerſi fuiſſent.

Gell. lib. 7.

D

5 Cùm quidam in Hiſpania ſuſpicionem res nouas moliendi Scipioni præbuiſſent, literas in omnia loca eodem die miſit, ac redditis omnib. eo ipſo die arma ademit, & mœnia euertere coegit, contumacib. mortem minatus, ne qui vim paſsi erant alios, vt ſibi cauerent, admonerent, & re confecta, quòd eodem modo tractati fuiſſent, commune eſſet ſolatium.

Zon. ann. tom. 2.

6 Seuerus Imperator volens Pertinacis mortem vindicare, datis ad tribunos centurioneſque literis, hortatur multa pol-

licens, persuadeant militibus vrbanis, vt sibi dicto obedientes sint. pòst edictum proponit, vt relictis intra castra armis exeant pacatorum habitu, quales procedere in pompam, aut ad ludos celebrandos consueuissent, iurentque in Seueri nomen, ac bona spe cõcepta præstò adsint, vt nouum Imperatorem comitentur. His persuasi milites, relictis armis laureati, vt in pompis fieri solet, obuiam Imperatori processére. Vbi ad exercitũ peruenerunt, iubet Seuerus in campum frequentes cõuenire, quasi salutaturus, ac benignè excepturus esset vniuersos. Cùm ad tribunal principis accesserũt: dato repenté signo à circumfusa militum multitudine comprehenduntur: ita enim præceperat militibus suis Seuerus, vt cùm stare pendentes ab ore principis vidissent, circumdarent eos, neminemque vulnerãtes, aut pulsantes, pila duntaxat & hastas intendentes, vt scilicet metu vulnerum nudi restistere armatis, paucique plurimis minimè auderent. Milites tùnc Illyrici breues gladiolos, quos vrbani auro argentóque ornatos in vsum pompæ suspensos gestabant, detrahunt dein zonis vestituque & cæteris militiæ insignibus per vim ablatis, nudos ad vnum exantoratósque dimiserunt.

7 Bonosus si quando legati barbarorum ad eum venissent: ipsis largius propinabat, vt eos inebriaret, atq. ab ijs per vinum cuncta cognosceret. ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius erat, & in vino semper prudentior conspiciebatur: nec vnquam largiter potando, aut eius pectus, aut venter, aut vesica grauabatur.

Zon. Spart.

8 Fredegundis Andoneram primam Chilperici primi Francorum regis vxorem hac fraude euertit. Absente Chilperico cum fratre Sigeberto ad Saxonicum tumultum, Andoneræ puerperæ morum imperitæ sub recentem fœtum persuasit, vt die lustrico ipsa mater filiam, quæ nata erat, è sacro delubro exciperet, nullam maioris nobilitatis inueniri posse dictitãs, quæ regiam sobolem sacra imbueret aqua. Reuersus vir, Fredegundis forma blanditijsque expugnatus, vxorem in cœnobium monialiũ ablegauit, velut incesto futuro deinceps matrimonij vsu, si apud se de more retineret.

Æmyl lib. 1

9 Helias quidam tumultus circa Constantias in Normania excitati author, à Guilielmo rufo Anglorum rege captus, magna animi confidentia ad regem dixit: Cepisti me fortuito

A to rex, quum parum cautè obuersarer: qui si liber essem, facerem, vt intelligeres, me haud contemptui habendum. Cui rex, Vade, ac quàm pessimè potes, contra me agito. Sic Helias custodia liberatus nihil postea in regem molitus est.

10 Bertrandus Glesquinas Comes stabilis Franciæ ab Eduardo Vualliæ principe bello captus, cùm ab illo semel quomodo se haberet interrogaretur, alacri animo, & renidenti vultu respondit, Nunquam melius, ô princeps illustrissime, quia tuus carcer, quo detineor, me quammaximè honoratum reddit: peruagatur enim fama, me tibi adeò formidabilem, B vt de redemptionis meæ precio nunquã verba facere volueris, ne liberatus acceptam cladem tuo insigni damno resarciam. Princeps illius inexpectato & libero responso extimulatus, Solue, inquit, Francicarum librarum centum millia, & liber esto, ac ad belli conditiones rediens, quid tua tam insignis virtus possit, breuiter ostende. Cui Bertrandus, Magnas illustrissime princeps gratias tibi ago, hanc conditionem grato animo accipio. qui tum aderant è proceribus, ne id faceret, dissuadere volebant: sed princeps promissi decorique tenax, etsi id dixisse nollet, mutare sententiam noluit. breui C itaque persoluta illa summa carcere liberatus est, & bellum acrius, quàm antea mouit, quo sibi gloriam peperit, & principi damnum attulit.

Froissard. lib. 2.

DECVRIA DECIMASEPTIMA,

D *De metu & pœna tyrannorum.*

VETERES olim reges omnes principésque quosuis appellabant Tyrannos. Introducta ab Atheniensibus populari administratione: eos multæ ciuitates sunt æmulatæ. tunc cœpit tyranni nomen in odium adduci, & tyranni vocati sunt, qui suis commodis respublicas administrarent, non publicis, & præcipuè, qui in ciuitatibus do-

minabantur, quæ solebant esse liberæ. Ob illos magis odiosum tyranni nomen fuit. nam quod talis principatus non posset, nisi per vim retineri, quæ falsis suspicionibus sæpius indulget, tyranni vocati sunt sæui, & crudeles principes, qui arbitrio suo & voluntate, non legibus nec æquitate rempublicam administrant. Dicti etiam tyranni sunt, qui non legitima successione aut electione ad principatum euasêre, sed rebellione aut factione: vt illi, qui tempore Gallieni imperium Romanum inuaserunt, qui vocati sunt triginta tyranni. Tyrannica autem facta principum omnium hominum & præcipuè subditorum, à quib. amari & coli deberent, odium conciliant, ipsorum principum statum & dignitatem, nónnunquam etiam vitam in discrimen ineluctabile ac pœnas atrocissimas coniiciunt, in continuoquê metu viuere cogunt: cuius rei historiæ multa exempla suppeditant. Clearchus ponti tyrannus se in cista includebat, vt dormiret sicut serpens in suo latibulo.

Spartianus Plutar. de doct. princ.

2 Aristippus Argiuorum tyrannus per scalam exemptilem ascendebat in cubiculum, cùm ascendisset mater illius concubinæ, auferebat scalam, & ne falli posset, lecto cataractæ superposito incubabat, pronus inde descendere cogebatur, & præ nimio timore in vnius anus custodia vitã suam ponere.

Ibidem.

3 Vsque adeò diffidebat omnibus & aduersus cunctos mortales, maior Dionysius Syracusanus, erat suspiciosus, vt nec capillum cultris tonsoriis tonderet, sed quempiam aduocaret, qui carbone capillum adurebat: in cubiculum ipsius non fratres, non filius admittebatur amictus, sed oportebat quemque priusquam ingrederetur, posita stola aliam sumere, atque excuti à satellitibus nudum.

Plutar. in Dione. Cic. Off. 2.

4 Alexander Phæreus cùm vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum districto gladio iubebat anteire, præmittebátque de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis occultaretur telum exquirerent, thalamus, in quo dormire consueuerat, in fastigio erat, atque ante illum custos canis ligatus terribilis omnibus, præterquam illis, qui consueuerant ibi versari, & ei qui dabat cibum.

Plut. in Pelopid. Cic. Off. 2.

5 Actiolinus Patauinorum tyrannus propter acerbissimam cru-

A crudelitatem suis exosus & inuisus, magnum corycæorum, & delatorum numerum alebat, quibus præsentiscere posset, quid homines dicerent, aut molirentur, nec satis adhuc fidens suis alumnis & domesticis, qui mortem plurimorum procurabant, saracenorum turmas militares habebat, quibus magis, quam indigenis & familiaribus in castris vitam credebat suam.

Iou elog.1.

6 Phalaris crudelissimus Agrigentinorum tyrannus, quòd exquisitissimis tormentis sibi inuisos, aut suspectos cruciaret, à populo victus, & captus vnà cum coniuge, & filijs B crematus est, adulatores insuper & asseclæ post ipsius tyranni mortem torti, excoriati, & combusti fuêre, quod dominum deprauârant, Idem supplicium de Apollodori, & Dionysij asseclis, & intimis seruis sumptum.

Plut. titul. Quod phil. debent cũ princip. conuersari. Volater. 6.

7 Aristodemus quum Cumis optimatibus de medio sublatis, ab alijs ciuibus arma abstulisset, & tribus custodijs tyrannidem communisset, ex sordidissimis & nequissimis ciuibus, ex impijs seruis, & barbaris immanissimis, masculam occisorum prolem conatus est vna die perdere, sed deprecantibus matrum maritis, vita illis concessa, iussit omnes vrbe excedere: C postea dedit operam, vt effœminaretur tota vrbana iuuentus. Aliquot annis post per vicos iter faciens cùm animaduertisset iuuentutis validę maximum numerum, timens ne in ipsum conspirarent, cogitauit omnes ex improuiso interficere: hoc vbi sensêre iuuenes, fugerunt in montes, his se adgregarunt Cumanorum exules, qui Capuæ agebant, & in festo quodam publico, quo tempore plebs vniuersa potationibus vacabat, alijsqúe hilaritatibus, improuisò irruunt in vrbem, & regia facile occupata Aristodemum cum liberis, & cógnatis comprehensum, omni tormentorum genere excruciatum, interfecerunt: ita radicitus extirpata tyranni famil D lia, vt nec paruulos liberos, nec vxorem nec vllum ex vniuersa cognatione relinquerent.

Halicarn. lib. 1.

8 Domitius Nero Ænobardus crudelissimus tyrannus, qui vitricũ Claudium, à quo adoptatus fuerat, & Britannicum fratrem veneno sustulit, vxorem Octauiam, matrẽ Agrippinam ferro occidit, Lucanum poetam, Senecam præceptorem mori coegit, optimum quemque trucidauit, vrbem Romam incendit, & lusitabundus è turri incendium prospectauit; à

ſenatu hoſtis populi Rom. iudicatus, & ad Gemonias ſcalas A cõdemnatus, quod genus ſupplicij ignominioſiſſimum erat, cũ nudi ſcilicet hominis ceruix furcę inſerebatur, corpus virgis ad necem cædebatur, cadauer per vrbem trahebatur, atque in cloacum abijciebatur, cùm talem ſententiam in ſe latam reſciuit, & equites, qui eum comprehendere debebant, appropinquare: ſeipſum ingulauit. dum fugiebat, ingens terrę motus factus eſt, & terra tyranno dehiſcere viſa eſt, ſpectraq́ue interfectorum ab eo, occurrerunt: plebs Romana audita morte illius pileata per vrbem diſcurrit tanquam ſeruitute crudeliſſimi domini liberata, atque manumiſſa.

Suet. Tacit. li. 15 Abb. Vrſp. Auentin. 2.

B

9 Andronicus comnenus Imperator Conſtantinopolitanus, cùm omne ſęuitiæ genus in ſubditos exercuiſſet, & nihil à priſcis tyrannis, qui olim in Græcia regnarant differret: cum victus prælio fuit, & in vrbem adductus, altero oculo priuatus aſinæ dorſo impoſitus eſt, facie ad caudam obuerſa, & per totius vrbis vicos, & plateas circumuectus cauda beſtiæ pro ſceptro manibus adligata, & alliorum reſte capite præcincto diadematis loco, viris mulieribuſq́ue promiſcuè in prætereuntem multa probra & lutum, aliaq́ue fœdiora iacientibus. Hæc ad populi ſatietatem perpeſſus latronum more laqueo ſtrangulatus, poſtea à muleribus, vncis & harpagonibus miſerabilem in modum laceratus.

Sab. en. 9 lib. 5.

C

10 Ioannes maria Vicecomes, Mediolani principatum tenens tam ferum, & immanem in ſua gubernatione ſe exhibuit, vt damnatos, & ſibi inuiſos voraciſſimis canibus laniandos obijceret, eoq́ue atroci, & ſæuo ſpectaculo magnopere lætaretur, haberetq́ue in dilitijs eum, qui ad illam carnificinam ingentes moloſſos humana carne alendos ſuſceperat, vnde tam exoſus, & execrabilis omnibus factus eſt, vt indignum vita nedum imperio iudicarent. Cum ferri amplius non poſſet nouem ſummæ audaciæ ciues in necem ipſius D coniurarunt, atque condicta die in templum diui Gothardi deſcendentem ſacrorum cauſa, trucidarunt, media fronte ad oculos vſque diſciſſa, & altero crure detruncato nemine cadenti opem ferente. Eodem die Giranus, qui moloſſos alebat concurſu populi latebra extractus, pro ianua domus horribili ſupplicio affectus eſt, ædeſque eius ſolo æquatæ.

Iou. in Vit. ipſius.

Decuria

A

DECVRIA DECIMA OCTAVA,

DE MALE PARTIS *male dilapsis.*

Assyrij, qui maiore Asiæ parte sibi subiugata immensas opes in vnũ congesserant, & Niniuẽ tam potentem, & superbam reddiderant, vt parem B terra non haberet, extructa ibi regia amplissimæ molis, & magnificentiæ admirandæ, breui momento eas amisêre. cũ enim vrbem ab Arbace obsessam amplius tueri Sardanapalus non posset, incensa regia tam raras, & exquisitas opes, ingentemqúe thesaurũ, in quo millies centena talentorũ millia censebantur, vno rogo cũ seipso & familia consumpsit. *Diodor. li. 3.*

2 Græci expugnata Troia cum dite præda onusti dum in patriam reuerterentur, intellexit Nauplus Palamedem filiũ per insidias Vlyssis, & de consilio Græcorum fuisse interfectum, qua de causa cum audisset Græcos mare ingressos, C quibus necesse erat per fines regni sui iter facere, ipse vindictę auidus, iussit in scopulosis montibus ignes accendi, vt nocte nauigantes decepti in scopulos impingerent. ad littus itaque, vbi ignes collucere videbant appellentes Græci, in scopulis supra ducentas naues naufragio amisêre. præterea Oileus Aiax Locrensium rex cum triginta duabus nauibus tempestate actis cum remigando naufragium euadere conatus esset cum suis, per noctem fluctuantes ad collucentes flammas appulsæ, omnes periêre. Agamenon ab Ægysto occisus fuit. Diomedes exulans ad partes Apuliæ se contulit. Mene- D laus diu per ęgyptum vagatus est antequam in patriam reuerteretur. Vlysses multis spolijs onustus cum in patriam velificare niteretur tempestate suborta in Siciliam delâtus est, ibi bonis spoliatus & in carcerem detrusus; tandem vero liberatus clam cum socijs discessit, abnauigansque in Æolidem insulam peruenit, deinde ad Circen diuertit, postea ad Calypso, inde ad Syrenas, demum in syrtæos scopulos incidit, vbi mediam partem classis amisit, in manus postea Phœnicum pyratarum incidit, qui ipsum omnibus bonis

spoliatum in carcerem conijciunt, paulo post nudum dimit- A
Nauclerus tunt, ad regem Apuliæ inde venit, qui eum donatum duabus nauibus ad suos redire permisit.

3 Philippus Macedonum rex cum aduersus Scythas nulla iusta de causa bellum mouisset, & magnam pecoris vim abduxisset, domum rediens in Triballos incidit, commisso cum ijs acri prælio grauiter in femore vulneratur, & equo deturbatur. *Iust. lib. 9* cum omnes eum occisum putarent, pugnandi ardor à suis remissus, & præda omnis amissa est.

4 Tectosagi aurum argentumque bello, sacrilegijsque quæ situm in Tolosanum lacum demersêre. Auri autem fere centum, & decem millia pondo: argenti quinquies decies centena millia. *Iust. lib. 32. Gell. lib. 3.* B

5 Sylla in ciuili bello Mariano, quum Præneste à Lucretio captum venisset, multitudinem inermem iussit in campum prodire, vbi admodum paucos exemit, quorum opera aliquando vsus fuerat, reliquos dimisit trifariam: postquam aliò Romani, aliò Samnites, aliò Prænestini secessere: Romanis per præconem monitis commeruisse quidem mortem ipsos quoque, habituros tamen veniam, alios omnes confixit, iaculo oppidum diripuit ditissimum illo seculo. Norba nihilominus resistebat totis viribus donec Æmylio lepido per proditionem intromisso, indignabundi oppidani pars suamet manu, pars mutuis vulneribus ceciderunt, alij præfocarunt se laqueis, aut obturatis foribus ignem tectis subdiderunt, quorum conatum fortuitus ventus adiuuit in tantum, vt præda omnis absumpta sit incendio. C *Appia. b. c. lib. 1.*

6 Crassus in parthos expedione suscepta cum ab Aristobulo accersitus Hierosolymam venisset, templum spoliauit, ablatis inde sex millionibus: post in Syriæ ciuitatibus supputatis reditibus, sacras pecunias in Hierapoli, pondere ac mensura examinauit: populis, ac regulis milites imperans, mox accepta pecunia eis militiam remisit, cùm Parthis congressus prius filium, deinde opes & vitam amisit. D *Plut. in Crass. Appia. in Parthico Phil. Mel. chron. 2.*

7 Quæ à prouincialibus populi Romani per prætores impotenter expilabantur, à Caligula, Tyberio, Nerone, Vitellio, Commodo, Bassiano, Heliogabalo, Galieno in Ludis, spectaculis, & prodigiosis conuiuijs dilapidata sunt.

8 Spolia de deuictis gentibus Asiæ, Africæ, atque Europæ à plu-

A à plurimis Imperatoribus Romam aducta, tot victorijs quę- ſita, græcarum artium decora, monimenta excellentium in- geniorum antiqua & incorrupta per vim extorta, & ambitio- ſè in plurimis vrbis locis collocata, incendio Neroniano magna ex parte periêre quę intacta remanſêre vel apud priua tos vel publicis in locis, quę auaritia Romana vniuerſo pene terrarum orbe ſpoliato, potuerat accumulare, capta ab Ala- rico & Genſerico Roma, Vandali & Afri aſportarunt.

Suet. Vopiſcus. Capitol. Spartia. Tacit. li. 15 Sig. de occid. imp. lib. 10.

9 Vandali Arriana labe infecti cū per nonaginta quinque annos in Africa catholicos miſerè diuexaſſent, & eorū bona B paſſim in prædam vertiſſent, eccleſias donarijs, & theſauris ſpoliaſſent: Græcis prædæ fuêre, qui numero pauci ductan- te Beliſario ingentes illorum copias toti Europæ antea for- midabiles, deuicêre: & Gilimerum regem cum male partis opibus in triumphum Conſtantinopolim deduxêre.

Procopius. Zonaras.

10 Saraceni cum Aſiam & Europam iuxta Propontidem & Boſphorū Thracium deuaſtaſſent & ingentia ſpolia col- legiſſent, coacta ingenti claſſe cui numeroſas pedeſtres copias adiunxêre, Conſtantinopolim terra, mariquê per triennium obſedêre: cùm autem in caſtris fame, peſte, frigore multi pe- C rijſſent ſuperſtites domum remeare decreuêre. Collectis ita- que vaſis claſſem conſcendunt, ſed exorta maris tempeſtate & igne de cœlo cadente partim igni: partim aquis cōſumpti ſunt. tanta accepta clades eſt vt ex claſſe trium millium na- uium quinque tantum euaſerint.

Drechſlerus.

DECVRIA DECI- MA NONA,

D

De monachis.

MONACHISMVS natus ex metu tyrannorū, qui ferro, flamma & alijs cruciatibus extirpare Chriſtū de hominū pectorib. conabantur. In mo- naſticis cœtibus olim probabantur literarum ſtu- dia, & diciplina canonica obſeruabatur, Literas diſcebant omnes & vt veteres ipſorum bibliothecę oſtendunt, ſolebant mathemata, & naturæ cognitionem ſacris ſcripturarum ſtu-

dijs coniũgere. propter hęc honesta exercitia credebatur monastica vita omnium esse optima, & quicquid eruditionis & virtutis mundus habebat, id ferme latêre sub monasticis pallijs: ideo monachi in tanta existimatione apud vulgus fuêre, vt qui prius labore sibi victũ durum quærebant, largitate populorum copiosè nutriti fuerint.

Iacobus Curio chronolog. 2.

A

2 Mendicantium ordines institutã abs se disciplinam diu seruarunt, tanto cum hominum applausu, vt cæteri monachi alijque ecclesiastici sordescere viderentur. Tempore Clementis Papę cùm in Gallia Carolus sextus regnabat, disciplina Ecclesiastica tantum in illis mendicantiũ ordinibus visebatur. Symonia regnabat & morum turpido apud omnes Ecclesiasticos. Academia Parisiensis ea teterrima vitia in ijs qui exemplar bene viuendi alijs debent esse, palam tunc damnabat, nihil reformidata Præsulum ira.

Girardus in chronic.

B

3 Franciscus Cordigerorum antesignanus putauit nihil tam esse secundum naturam, quam viuere frugaliter, demissè, castè & sanctè, & ideo laboribus, & iniurijs ferẽdis se exercuit, ieiunijs, precibus, & pijs meditationibus. Narrat Sabellicus Franciscum monasteria habere sexagesies mille.

Iac. Curio chron. 2.
Sab. en. 9. lib. 6.

4 Magister ordinis Franciscanorum, pollicitus est aliquando Pio Pontifici maximo expeditionẽ in Turcas paranti, ex seraphici Francisci secta, triginta bellatorum millia se posse conficere nihil interpellato sacrorum cultu.

C

Iacobus Curio.

Bertholdus Niger monachus Franciscanus artis chymicę peritus, Machinas bombardicas inuenit.

5 Bernardinus, qui sub signis Francisci militauit, in cõtagiosissima quadã peste, desertos & omni ope destitutos ægros cũ duodecim fratrib. suis iuuit, baiulauit, & mortuos sepeliuit.

Idem.

6 Petrus Cretensis Franciscanus ad pontificatum electus, post depositos à cardinalibus Gregoriũ & Benedictum, Alexander quintus dictus, adeò in pauperes munificus fuit, vt nil sibi reliquerit: vnde iocabundus dicere solebat, se diuitẽ fuisse episcopum, pauperem cardinalem, mendicum pontificem.

Nauclerus
Sab. en. 9. lib. 6.

D

8 Prædicatorum cœnobia quater mille centũ quadraginta tria recensentur.

9 Eremitani ordinis conuentuum, quorũ ratio iniri potest, circiter duo millia esse dicuntur: Initiatorũ ad triginta, millia, virginũ loca trecenta, viri theologia clari amplius centũ.

Sab. en. 7.

10 Bernardus

A 10 Bernardus natus Castilioni Burgundiæ, sine doctore euasit in magnum virum, religionis amantissimum, disciplinæ obseruantissimum, & lectioni, meditationiq́ue scripturarũ additissimum. fundauit centum, & sexaginta monasteria ordinis sui.

Nauclerus. Girardus.

DECVRIA VIGESIMA.

B. *Quorumdam numerorum consideratio.*

RATIO numeri (inquit Augustinus) contemnenda non est, quæ in multis sanctarum scripturarũ locis quam magni æstimanda sit, diligenter intuentibus apparet: nec frustra in laudibus Dei dictum, Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti: Illorum autem consideratio vt in quibusdam iucunda, & admirabilis videtur: ita ratio abdita & imperscrutabilis.

C Ternarius numerus apud priscos ideò sacer habebatur, quod competeret Ioui, Soli, & veneri, primus in tres partes æquales diuiditur, & numerum parem, & imparem continet primos. proportio omnis eo numero continetur, triplex enim illa recensetur, Geometrica, Arithmetica, harmonica. In corporis humani fabrica eius numeri ratio consideratur. Tres intellectus actiones sunt: simpliciũ apprehẽsio, cõpositio, & diuisio. tres sẽsus interiores, sẽsus cõmunis, cogitatio, memoria. tres spiritus, vitalis, animalis, naturalis. tres ventriculi in cerebro, anterior, medius, pesterior. tres humores in oculo, albugineus, vitreus crystallinus. potentiæ loco motiuæ tria organa, nerui, musculi, chordæ. In rerum administratione consideratio eius etiam habetur. Tres reip species sunt, democratia, aristocratiæ, monarchia. Tria mundi tempora tempus sine lege, tempus legis, tempus gratiæ.

D

Aristoteles de anima. Aug. de ciuit. 11. Rhodiginus. lib. 12

2 Quaternarius omnis sacer & solidus habetur, propterea quod quæ consistunt, omnia ex puncto producuntur, punctum fluens lineam efficit, linea superficiem, superficies solidum. In hominis natura & mundi fabrica huius numeri

consideratio non leuis. Anima quaternitate constare videtur, mente, scientia, opinione, sensu. Tunicæ oculorum quatuor numerantur, coniunctiua, cornea, vuea, aranea. Quatuor cibi digestiones sunt, prima in ventriculo, secunda in hepate, tertia in venis, quarta in membris. Quatuor humores in corpore, sanguis, phlegma, flaua bilis, atra bilis. Quatuor itē extantia. Quatuor sunt primæ qualitates, calidum, frigidum, humidum, & siccum. Quatuor elementa, ignis, aer, aqua, terra. Quatuor tempora anni, ver, æstas, autumnus, hyems. Quatuor partes orbis, oriens, occasus, meridies, septentrio. Quatuor terræ partes, Asia, Africa, Europa, America. Quatuor etiam monarchiæ recensentur, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum. Quatuor virtutes cardinales, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Quatuor magni prophetæ. Quatuor euangelia.

Iustinus. Aristotel. Rhodig.

A. B.

3 Quinarij numeri etiam in corpore humano consideratio est. Animæ potentiæ quinque numerantur, Vegetatiua, sentiens appetitiua, loco motiua, intellectiua. Nutritionis organa quinque, os œsophagus, ventriculns, epar, venæ deferentes sanguinem. Quinque obiecta communia, quæ à pluribus sensibus percipiuntur, magnitudo, figura, numerus, motus, quies. Quinque sensus exteriores, visus, auditus, gustus, olfactus, tactus. Quinque mundi zonæ seu plagæ numerantur. quinque etiam mundi ætates. Prima mundi ætas, quam sub Saturno fuisse aiunt, aurea dicta est: quia in magna concordia tunc homines vixêre sine bellis, sine litibus, sine magnis querelis. Secunda dicta est argentea, cùm bella iam pullulascebant, & curæ, & fraudes, & odia, sed absque immanitate & truculentia. Tertia ænea, cùm genus mortalium totum vndique bellis concutiebatur, non neglecto tamen iustitiæ studio. Quarta heroum ætas dicta est, quibus iustitia quidem cordi erat, sed insano ardore belligerandi flagrabant. Quinta ferrea nominata est, in qua nullus malorum modus est, apertæ fraudes, aperta odia, & bella internecina, cædes, rapinæ, incendia, vastationes.

C. *Aristoteles. Viues.* D.

4 Senarij numeri perfectio hinc præcipuê notanda venit, quòd primus suis partibus in summam redactis ipse perficitur. in quo perfecit Deus opera sua. Primus est ex quatuor perfectis, qui ab vno ad decem millia reperiuntur. Sex sunt

nu-

A tritiuam potentiam conseruantia; Aer, somnus & vigilia, euacuatio, cibus & potus, motus & quies, adfectus animi. sex sunt intestina, duodenum, ieiunum, Ilios, cæcum colon, rectum. Ætates mundi sex secundũ scripturam sacrã. prima ab orbe condito ad cataclysmũ. Secunda à cataclysmo ad Abrahamum. Tertia ab Abrahamo vsque ad Dauidem. quarta à Dauide ad captiuitatem babylonicam. quinta à captiuitate ad natum Christum. sexta à nato Christo ad finem seculi. sex armaturæ genera contra tentationes numerantur à Paulo, veritas, iustitia, pax, fides, spes, verbum dei.

Aug. de ciuit. 11. *Auentinus lib. 3* *Phil. Mel.*

B 5 Septenarius numerus cum in rebus humanis tum diuinis maximè consideratur. Septem cranij ossa coniuncta suturis visuntur, & septem neruorum paria in corpore reperiuntur. Iliorum ad hominis longitudinem ratio septuplex deprehenditur, modus summus adolescendi humani corporis septem pedes. Cum in vterum mulieris genitale semen illapsum est, primis septem diebus conglobatur coagulaturquê, fitquê ad capiendam figuram idoneum, septima fere hebdomade, id est nono, & quadragesimo die totus homo in vtero absoluitur. ante mensem septimum neque masculus, neque fœmina salu-C briter, ac secundum naturam nasci potest, septimus masculus scrõphulis medetur. septimus dies, inedia necat. septem dies totidemquê noctes philomela assiduè cantitat. septenarius Euripi fluxus sapientes mundi diu frustra fatigauit. septenarius numerus septemtriones maiores, minoresquê facit in cœlo, item vergilias, quas pleiadas vocant, stellas etiam, quæ erraticæ appellantur. Lunæ curriculum conficitur integrum quater septenis diebus, & ita is septenarius ab vno perfectus dum ad se regreditur omnes, per quos progressus est numeros comprehendit, ipsumquê se addit, & facit octo & viginti, D quot dies sunt curriculi lunaris. Septimum solet pro toto computari quoniam septem diebus voluitur tempus, & finito septenario rursus ad caput redditur, vt eadem forma voluatur, per huiusmodi volutiones secula transeunt; à septenario tamen numero non recedunt. In diuinis scriptis dispositum est, vt septenarius præ cæteris numeris præstabilior reperiatur. Sacratus numerus à conditione mundi autoritatem obtinuit, quoniã in sex diebus prima Dei opera patrata sunt & septima cõsecrata quieti; celebritates Israeliticæ ecclesiæ

septimo die, septima hebdomada, septimo mense indictæ. septimo anno agrorum quies, nec fas erat cuiquam eo anno serere vel metere quippiam. eo anno seruorũ manumissio, post annum septies septimum iubilęus fuit, liberatio omnium debitorum, agrorúmque ad pristinos dominos reuersio. In septem dieb. summi sacerdotis consecratio cõsummabatur. septem diebus in pascha edebatur azyma. septem diebus mense septimo tabernaculorum sollennitas celebrabatur. In septẽ annis templum à Salomone extructum. septem brachijs, & totidem luminibus candelabrum adornabatur. septem sacerdotalibus tubis clangentibus Hiericho corruit. læprosi septimi diei inspectione à sacerdote iudicabantur. generationes septem ad medietatem mundi, id est, ad tria millia annorũ peruenêre: nam Adam attigit Mathusalah, Mathusalah attigit Sem, Sem Iacob, Iacob Amram, Amram Ahia, Ahia Eliam. Christus ab Adam secundum generationes, quas Lucas commemorat, septuagesimus septimus inuenitur. Ipse Christus de septem panibus quinque millia hominum refecit: septem petitionib. orandum patrem docuit: septem spiritus sanctis donis ecclesiam illustrauit. septem angeli à Iohanne visi sunt, effundentes septem phialas iræ Dei. liber mysteriorum, qui non potest aperiri, nisi à Iesu Christo septem sigillis obsignatus visus est. Mos scripturæ, numero isto indefinitè vti, vt multitudinem indeterminatam assignet, vt, Redde vicinis septulum: Sterilis peperit septẽ. hic totum agnoscentibus numerum septenarium quod prophetabatur eluxit, quo est vniuersæ ecclesiæ significata perfectio. propter quod & Ioannes apostolus ad septem ecclesias scribens, eo modo se ostendit ad vnius plenitudinem scribere: & in Prouerbijs Salomonis hoc antea præfigurans sapientia ædificauit sibi domum, & suffulsit columnas septem.

Iust. in qu. Cypr. Aug. de ciuit. 11. et 17 Gell. lib. 3.

9 Nouem orbes in cœlo numerantur: Lunæ, Veneris, Mercurij, Solis, Martis, Iouis, Saturni, cœlum stellarum, primum mobile. Membra similaria in corpore humano nouem, caro, chartilago, chorda, neruus, vena, panniculus, ligamentum, arteria, os. Partus hominis vulgariter nono mense editur. Periculosi morbi, qui in nouenarium numerum incidunt. nouem discrimina vocum philomela ingeminat.

Bodinus. Phil. Mel.

7 Denarius numerus maximus est, & perfectissimus. nam licet

A licet infinitæ myriades numerentur, ex eo multiplicato conflatæ sunt: & omnes perfectæ summæ, siue centuriarum, siue myriadum, siue millionum, denarij numeri sunt multiplicati. Continet denarius numerandi genera vniuersa, numerorum fons, & complementum ex vno, duobus, tribus, & quatuor constans, Arithmeticas numerorum, & Musicas harmoniæ, & concentus rationes complectens. Eo numero vt perfecto Deus suæ legis præcepta comprehendi voluit, quæ perfectionis regula est. Omnes decimæ terræ Domini sunt. Decem magnæ prouinciæ Romani imperij fuêre, & decem B reges puniendi in Apocalypsi monstrantur.

Athenag. Rhodigin.

8 Duodenarij numeri magna in multis consideratio habetur. Adfectus animi duodecim sunt: lætitia, tristitia, spes, metus, amor, odium, ira, misericordia, pudor, inuidentia, zelus, æmulatio. duodecim costæ in quolibet latere. duodecim tribus Israelis fuêre. duodecim gemmæ in epomide Aaronis. duodecim tintinabula in veste pontificis. duodecim sunt apostoli, duodecim portæ ciuitatis Dei, & duodecim fundamenta ex duodecim gemmis, duodecim item fructus ex ligno vitæ. duodecim signa in zodiaco. duode- C cim menses in anno.

9 Quadragenario numero multa in sacris literis considerantur. Quadraginta dies ad pœnitentiam Niniuitis concessi. quadraginta dies ieiunauerunt Moses, Helias, & Christus. quadraginta annos manserunt Israelitæ in deserto. quadraginta dies Christus mansit in terris post resurrectionem.

10 Quingentesimus numerus in temporum reuolutione consideratur. Ab exitu Israelitarum ex Ægypto vsque D ad Salomonem fuerunt anni, vt numerantur, quingenti. Inde ad exilium Babylonicum rursus quingenti. A reditu vsque ad vltimum excidium quingenti. A Traiani imperio vsque ad Phocæ & Heraclij tempora quingenti. Ab eo tempore vsque ad Henricum quartum Imperatorem Germanum quingenti. Ab eo tempore vsque ad annum millesimum sexcentesimum erunt quingenti anni. Hic numerus in administratione Ecclesiæ Christianæ consideratur: nam in annis mille quingentis à temporibus Christi & Aposto-

lorum, primi quingenti inter ingentia certamina aduersus ethnicos & hæreticos, discussis atque elisis mendacijs, veritatem victricem demonstrant: sequentibus annis quingentis cum rectitudine sententiarum sophistica, cum seueritate disciplinæ, laxatio & confusio ita colluctata est, vt superstitione referta fuerit Ecclesia, & dogmatum & religionum cōfusiones emerserint. Reliquis annis quingentis tyrannis inualuit, & omnia per vim & simulationem acta: nam disciplinæ seueritas in inanem vmbram vetustæ consuetudinis exoleuit.

Beroaldus in chron. Peucerus chron. 4.

ATAKTOI.

Aenigmatis varia explicatio.

1 Res antiquissima tempus, maxima mundus, sapientissima veritas, formosissima lumen, communissima mors, vtilissima Deus, perniciosissima diabolus, potentissima fortuna, facillima quod placet. Ita respondit rex Æthiops Amasi regi Ægyptiorum.

Plut. in conuiu. 7. sapientum.

Antiquissima res Deus, maxima locus, formosissima mundus, sapientissima tempus, communissima spes, vtilissima virtus, perniciosissima vitium, fortissima necessitas, facillima quæ est secundum naturam. Ita respondit Thales.

De Sibyllis.

Sibylla dicta quasi θεοβουλή. σίους enim deos, βυλὴν consilium veteres vocabant Æolico genere sermonis. Sybillæ autem decem numero fuêre: prima fuit ex Perside, secunda Lybica, tertia Delphica, quarta Cumæa in Italia, quinta Erythræa, sexta Samia, septima Cumana nomine Amalthea: ea nouem libros attulit ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulauit, qui valorem trium millium aureorum æquabant. Rex precij magnitudinem admiratus, aspernatus est libros, mulierem insanire putans. Illa in conspectu regis tres combussit, ac pro reliquis idem præmiū postulauit. Tarquinius mulierem magis insanire putauit, & petitionem reiecit, quæ denuò tribus alijs exustis, cùm idem præ-

A premium peteret, motus est rex, ac tres libros, qui è nouem restabant, trecentis philippeis emit, illisquè inspiciendis duos viros præfecit. Illi soli libros eos Sybillinos adibant, cùm opus erat. Dicti sunt Duumuiri sacrorum. Siti erant libri in Capitolini Iouis templo in arca lapidea, loco subterraneo magna cura studióque seruati, qui vsque ad Cornelij Syllæ tempora mansêre incolumes. tunc verò incenso Capitolio, quum omnia perflagrarent, ipsi pariter absumpti fuêre. Capitolio reparato, quicunque inueniri potuêre libri, cuiuscunque Sybillæ nomine insigniti fuerint, Augustus, cùm suo tem

B pore multa vana nomine Sibyllarum diuulgarentur, iussit conquisita Samo, Erythrea, Ilio, Africa, & per Italicas colonias carmina ad præfectum vrbis adferri, & iudicium quindecim virorum adhiberi, & quæ verè Sibyllina iudicarent, ita seruarentur, vt priuatim ea habere non liceret, quod à maioribus erat cautum. Mortis autem supplicium aduersus Sibyllinorum lectores Romani constituêre, quia cultum falsorum deorum taxabant, & ruinam Romani imperij prædicebant. De aduentu Christi, de excidio Rom. Imperij, de infelicitate extremæ ætatis mundi, de regno Antichristi vaticina-

C tæ sunt Sibyllæ, & manifestissimè omnium Cumana, cui Heraclitus dicit non humanitùs, sed diuinitùs res futuras ostensas fuisse. Iustinus, Augustinus, Lactantius Erythreæ meminerunt, quòd de aduentu Christi multa scripserit. Octaua Sibylla Hellespontica nominata, in agro Troiano nata. Nona Phrygia, quæ Ancyræ vaticinata est. Decima Tyburs, nomine Albumea. Feruntur & aliæ nonnullæ, vt Colophonia, Elissa, Cassandra Priami filia, Epirotica, Thessalica, sed illæ decem maximè insignes fuêre.

D *Imago quatuor Monarchiarum ex Daniele.*

3 Leæna regnum Assyriorum significabat. Alæ præter naturam bestiæ innatæ, elationem regum illorum significabant, quorum animi superbia nubes transcendebant. Vrsa regnum Persarũ denotabat ob sæuitiam gentis, & immanitatẽ. Nam Persæ atrocitate pœnarũ omnes barbaros vicerunt, scaphis & excoriationibus grauiora supplicia & diuturniora reddentes. Panthera regnum Alexandri repræsentabat ob celeritatem & agilitatem, quod & alæ innuebant, quarum qua-

ternio quatuor mundi partes notabat, quas instar volucris est A peruagatus, ac propè omnium potitus. Quatuor capita diuisionem imperij post eius obitum in partes totidem declarârunt. Ægyptum Ptolomæus Lagi obtinuit, eiúsque posteri vsque ad Cleopatram. Seleucus Syriæ & adiacentibus regionibus est potitus: Antigonus Asiam subegit: Macedoniæ Antipater imperauit. Quartum animal terribile ac formidabile à Daniele anonymum dictum, imperium Romanum significabat, magnis ferreis dentibus vorans & comminuens, & pedibus conculcans omnia. Terribile dictum est, quod cæteris potentius fuit, & quæ Macedones non attigerant, subegit: Græciam videlicet vniuersam, Carthaginem B cum Lybia, Siciliam, cæterásque insulas, Hispaniam, Galliam, Britanniam: ferreis dentibus edere & comminuere dictum, propter tributum, exactiones & expilationes. qui tributa pendere detrectabant, eos bestia conculcabat, exterminabátque. pedes significabant exercitus, quibus gentes subigebantur. decem cornua, imperium in multa regna diuidendum.

Zonar. an. tom. 1.

Lex literaria à Budæo promulgata.

C

4 Qui discendi cupidi sunt, iuratissimi cuiusque scriptoris maiestatem comiter conseruanto. quod secus (vt sunt humana) dictum in eorum cuiusque libros irrepserit, obrepserit, fefellerit, qui de eo dicto indagandæ veritatis ergò addubitet, addubitauerit, quæstionem referat, retulerit, quod eorum ab vnoquoque absque dolo malo liuore animi factum sit, eius rei mulcta ne sit, nec bonorum offensio, quod instar est vltimi supplicij.

Bud de ass. 1.

Certamina excellentium artificum.

D

5 Descendit in certamen cum Zeuxide Parasius. Zeuxis detulit vuas pictas tanta arte atque successu, vt in scenam aues aduolarent pastus gratia. Parasius detulit linteum pictũ ita veritate repræsentata; vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam. pòst intellecto errore palmam Parasio concessit ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parasius artificem. Apelles cùm Rhodum, vbi Protogenes viuebat, adnauigasset, auidús co-

gnoscen-

A gnoſcendi opera eius fama tantùm ſibi cogniti, continuò officinam petijt: aberat ipſe, ſed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ, anus vna cuſtodiebat. Hæc Protogenem foris eſſe reſpondit, interrogauitque à quo quęſitum diceret. Ab hoc inquit Apelles, arreptoque penicillo lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam. Reuerſo Protogeni quæ geſta erãt anus indicauit. Protogenes ſubtilitatem contemplatus, dixit Apellem veniſſe: non enim cadere in alium tam abſolutum opus. tunc alio colore tenuiorem lineam in illa ipſa duxit, præcepitque abiens ſi rediſſet B ille oſtenderet picturam, adijceretq. hunc eſſe quem quæreret: atque ita euenit. Reuertitur Apelles, ſed vinci erubeſcens tertio colore lineas diſſecuit, nullum relinquens amplius ſubtilitati locum. At Protogenes victum ſe confeſſus, in portum deuolauit, hoſpitem quęrens, placuitque ſic eam tabulam poſteris tradi, omnium quidẽ: ſed artificum pręcipuo miraculo. *Plin. li. 35.*

Opera longiſſimi temporis.

6 Protogenes Cannius in pingenda Ialyſi figura, ſeptem annos conſumpſit: Iſocrates in pangendo panegyrico decem annos. *Plutar. in Demetrio.*

C *Victoria in ludicris certaminibus.*

7 Præ cæteris proditur Theogenes curſu, lucta, & pugillatu, ita celebris famæ, vt mille & ducentas coronas tulerit. *Alex. ab Al. lib. 5.*

Ingeniorum probatio.

8 Pythagoras diſcipulorum ſuorum ingenia probabat ex inſomnijs, quæ per quietem vidiſſent. Plato in conuiuijs, & in potu. Ariſtoteles ex ſermonis obſcuritate. *Politianus*

Gymnaſia Athenis.

9 Academia, Lycæum, Prytaneum, Canopum, Stoa, Tempe, Cynoſarges. *Viues.* D

Gloria noxia.

10 Mycenas Argiui ſola æmulatione moti exciderunt, indignè ferentes, quòd ipſis quieſcentibus, Micenæ miſsis octoginta militibus Lacedæmoniorum gloriæ participes factæ fuiſſent. *Pauſanias in Achaic.*

Iudicum integritas.

11 Cùm ad Senatum Rom. Macedonia de D. Syllano T. Manlij Torquati filio, qui eam prouinciã obtinuerat, querelas per

legatos detulisset, à patribus conscriptis petijt Torquatus, ne quid ante de ea re statuerent, quàm ipse Macedonum filijq. sui causam inspexisset. Summo deinde cùm amplissimi ordinis, tum etiam eorum, qui questum venerant, cõsensu, cognitione causæ suscepta domi consedit, solúsque vtrique parti per totum biduum vacauit, ac tertio plenissimè die, diligentissiméq. auditis testibus ita pronuntiauit. Cùm Sillanum filium meum pecunias à socijs accepisse mihi probatum sit, & rep. & domo mea indignum iudico, protinúsq. è conspectu meo abire iubeo. Helpidius ad præfecturã promotus à Constantio, cùm ei innocentem quendam torquere Constantius iussisset, æquo animo sibi abrogari potestatẽ orabat, hæcque potioribus alijs ex sententia principis agenda permitti. Ludouicus XI. Galliarum rex cùm exitium curiæ Parisiorum intentaret, nisi leges à se latas promulgaret: patres re intellecta purpurati regẽ adeunt: causam tã inopinati aduentus cùm ab illis quæreret, Lanacrius primus præses nomine omnium respondit, vt mortem potius oppetamus, quàm leges iniquas ferri patiamur. Rex oratione præsidis & mirabili constantia magistratuum perterritus, eos humaniter accepit, & leges quas promulgari iusserat, coràm lacerari mandauit, iuratus se nihil posthac, nisi quòd æquitati congrueret edicturum.

Valer. lib. 5 *Am. Marc. lib. 21.* *Bodinus in method.*

Diligentiæ & laboris fructus.

12 C. Furius Cresinius è seruitute liberatus, cũ in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrẽ à Sp. Albino Curuli die dicta, metuens damnationem cum in suffragium tribus oporteret ire: instrumentum rusticum omne in forũ attulit, & adduxit filiam validam bene curatam ac vestitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos: postea dixit, Veneficia mea Quirites hęc sunt, nec possũ vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque & sudores. Omnium sententijs absolutus est.

Plin. li. 15.

Ineuitabile fatum.

13 Dedalus à Minoe captus, seruitutem seruire coactus, tum patria, tum libertate orbatus, cùm aufugere vnà cum filio conaretur, filium amisit, ipse quidem euasit, sed ad barbaros

A ros delatus, rursus ibidem seruiuit, mutans solum non mutauit vitæ conditionem.

Xen. mem. Soc. lib. 4

Dij consentes maiores, selecti.

14 Duodecim numerati sunt dij consentes, sex mares & sex fœminę: hos Ennius disticho est complexus. Iuno, Vesta, Minerua, Cæres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis Neptunus, Vulcanus, Apollo. Consentes appellarunt Veteres quasi consentientes in eo, quod est gerendum: his enim velut cōsiliarijs Iuppiter vti dictus est in magnis rebus agendis. B Singulis illorum deorum suus mensis erat sacer. Ianuarius Iunoni, februarius Neptuno, martius Mineruæ, Aprilis Veneri, Mayus Apollini, Iunius Mercurio, Quintilis Ioui. Sextilis Cæreri, September Vulcano, October Marti, Nouember Dianæ, December Vestæ. Caldæi triginta astra deos consultores dixerunt. Duodecim signiferi signa, quorū vnumquodque suo mensi præest deos principantes nominarunt. Dij selecti secundum Varronem, Ianus, Iuppiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerua C Venus, Vesta: in quib. numero viginti duodecim mares sunt octo fœminæ. & duodecim illis consentibus adduntur octo, vt veluti senatus amplior, & augustior reddatur. Hoc modo autem coniunguntur. Iuppiter & Iuno, Saturnus & Tellus, Mercurius & Minerua, non coniugio, sed cōmunitate artiū: sicut Liber pater & Ceres, tum fratres Apollo & Diana. Hinc amasij Mars & venus, tum duo ignes vulcanus & Vesta, & duo lumina mundi Sol & Luna. Ianus Neptunus, Genius, & Orcus sunt sine paribus.

Diodor. li. 3 Seneca lib. natural. quæst. 2 August. de ciuit. lib. 7 Pomp læt9 Viues.

Dij ignoti.

D

15 Cum regio Attica pestilentia laboraret, consultaque Pythia respondisset expiari oportere vrbem & agros, nec cui deo sacrū fieri oporteret dixisset: Epimenides, qui tum Athenis erat iussit dimitti hostias per agros, sequiquę eas sacrificos, & quo in loco quæque constitisset, ibi mactari eam, immollariquę deo ignoto propitio. Itaque ex eo tempore frequentes visebantur per pagos Atticæ terræ, aræ sacræ sine nomine.

Viues. Laertius.

Hecatombe. A

16 Sacrificium tale fuit. Centum aræ vno in loco cespititię extruebantur, & ad eas centum sues, centū oues mactabantur, si Imperatores sacrificabant centum leones, vel centū aquilæ.

Lectisternium.

17 Lectis olim cubantes epulabantur: at quoties in templo aliquo publico placandæ deorum iræ causa conuiuium exhibebatur, aut nocturnum erat sacrum, dijsque tanquam epulaturis, aut cubituris lecti sternebantur: lectisterniū vocabatur. Laborante pestilentia ciuitate Roma paucis annis ante B Gallorū aduentū, Brenno duce ex libris Sibyllinis primum lectisterniū in vrbe factū per dies octo, tribus tunc lectis apparatis, Apollini & Latonæ, Dianæ & Herculi, Mercurio & Neptuno. Illud primū quidā asserunt: ludis autē secularibus quos primus Publicola fecit, lectisterniū per trinoctiū fuit.

Liu. lib. 5 Valer. li. 2. Viues.

Morum & consuetudinum tenax obseruatio.

18 Darius cum imperaret, Græcos percontatus quanta pecunia vellent defunctis parentibus vesci, illis negantibus vlla pecunia se facturos: Darius dehinc Græcis præsentibus, & quæ dicebantur per interpretē intelligentibus, interrogauit C Indos, qui Callitię nominantur, quibus mos erat defunctorū parentum carnibus vesci, quantum pecuniarum accipere vellent, vt patres defunctos igne comburerent: Indi vehementer reclamantes, meliora ominari regem iubebant. recte itaq. Pindarus videtur dixisse, Morem omnium esse regem.

Herodot. lib. 3.

Insitata animaduersio & pœna.

19 Cum maris imperium tenerent Mytylenenses, socijs qui desciuerant, hanc pœnam imposuêre, vt liberos suos non docerent literas, neque artes liberales: omnium suppliciorum hoc grauissimum iudicantes, in inscitia & ignorantia libera- D lium artium transigere.

Ælia. lib. 7

Sæuum in miseros supplicium, & indigna pœna.

20 Tamerlanes vbicumque leprosos reperiebat, interfici curabat, nequaquam fas esse dicens, vt ij superstites essent, qui homines reliquos interficerent.

Chalcond. lib. 2.

Nequitia honesta ratione gubernata.

21 Apud Roskildam Vvthemanno autore piratica ortum habuit, cuius hæc fuit disciplina: Nauigia piraticæ magis idonea

A idonea ſibi viſa, abſque poſſeſſoris venia aſſumendi poteſtatem ſibi vendicabant, octauam acquiſitorum partem pro naulo daturi. Nauigationem incepturi apud ſacerdotes præteritæ vitæ piacula deplorabant, cuncta proſperius ceſſura rati, ſi rite Deũ ante bella placaſſent. paruo viatico ſumpto, onera & impedimenta vitabant, armatura & cibo ſimpliciter contenti, nihilque quod nauigationem remoraretur amplexi. Multę illis vigiliæ, multaque parſimonia erat. remorũ manubrijs conſidendo innixi ſomnum carpebant. Crebrum illis cum hoſte certamen, ſed vbique facilis, & pene incruenta victoria fuit, prædam ex æquo partiebantur, nec maior gubernatoris portio, quam priuati remigis fuit. Octogenas, & binas piraticas naues cepêre, numquam ipſi claſſem viginti duabus nauibus ampliorem habuêre. B *Saxo grã.*

Inopia ad præclarè audendum incitans

22 Regnante in Dania Suenone, propter ingentem annonæ caritatem, ceruiſiæ vſus fuit interdictus, poſtea plebiſcito prouiſum, vt ſenibus, ac paruulis cæſis, tantum robuſtis patria ſeruaretur. ſed edicti atrocitas in exilium validiorum, qui ſorte electi ſunt mutata eſt. extorres ad Gutlandiam primum appulerunt: vbi Longobardorũ nomine adepto aliquandiu manſère: poſtea ad Rugiam, dein in Hungariam, tum demum in Italiam migrârunt. C *Saxo grã.*

Coniugalis amor, & fides.

23 Vxor Rabbi Benxamutij Mauri, Hota nomine, cùm illius vir in pugna occiſus eſſet, funus multis cum lachrymis, & eiulatu procurauit, & corpus in ſepulchrum magnis ſumptibus extructum intulit. Deinde nouem diebus à cibo & potu abſtinuit, viro mortuo ſuperſtes eſſe nolens. antequam D autem ſpiritum emitteret, ſuis mandatum dedit, vt ipſam cũ viro ſepelirent, indignum arbitrata, à viro quem vnicè amarat, aut morte, aut ſepultura diuelli. *Oſro. lib. 10*

Benignitas in hoſtem maximè ab hoſte probata.

24 Alexander magnus clementẽ, & benignũ erga Darij vxorem & matrem ſe præſtitit, ita vt hanc matris loco, illam ſororis haberet. Cum Darius reſciuit, optare ſe dixit, vt dignã gratiam pro beneficijs in ſuas chariſſimas, vxorem & matrẽ *Zon. ann. tom. 1.*

referre posset, aut vt ne alius, quam ille in Cyri solio sederet. A

Tedium rei familiaris tuendæ.

25 Crates Thebanus pertæsus curas, & sollicitudines œconomiæ, deseruit patrimonium valoris quattuor millium, & octingentorum coronatorum, baculumque, ac peram philosophicam arripuit.

Plutarch. de nõ accip. fœnore.

Frugalitatis studium luxu perditi propter officium.

26 Nero dum munere ædilitio fungebatur, ne quid cocti in popinis veniret præter legumina, & olera interdixisse fertur, quinetiã ędilitiam potestatem cohibuit, statuitque quantum pignoris plebei caperent, quantumque pœnæ irrogarent, B

Alex. ab Al. lib. 4

Ingentes thesauri.

27 Sardanapalus sexcentos milliones auri in thesauris habuisse proditur, Cyrus quinquaginta, Dauid centum viginti, Athenienses sexaginta, Darius Ochus octoginta, Tyberius Imperator sexaginta septem, Papa Ioannes vigesimus secundus vigintitres.

Paralip. 10 Xenophon. Suet. Bodinus.

Sordidi mores.

28 Albicius natione Bohemus arte medicus archiepiscopus Pragensis factus, claues cellæ vinariæ nulli alteri, quam sibi ipsi credidit: cum turba copiosa discumbentium, quam C alere ex officio tenebatur illi displiceret, maluit se dignitate episcopali abdicare rustico sacerdotio contentus, quam familiam copiosam alere, quamuis ad id superabundaret reditus.

Aen. Sylu. hist. Boh.

Adulatio pro merito compensata.

29 M. Antonius Athenis degens cũ se bacchum iuniorem nominaret, & ita appellari ab alijs vellet: Athenienses eius insaniæ blandientes, Mineruam desponderunt: accipere se illam conditionem dixit, sed quia virginem Deam indotatam elocare præter dignitatẽ erat, ab eis dotis nomine decies centena millia drachmarum exegit. D

Plutar. in vit.

Leue munus magnificè remuneratum.

30 Cum esset priuatus Amasis, atque vulgarem vitam degeret, in Ægypto coronam ex pulcherrimis floribus composuit, quam dono misit ad Partamidem regem Ægypti eo tempore, quo natalẽ suum celebrabat. Hic eius coronę pulchritudine delectatus Amasim ad cœnam vocauit, & bellantibus Ægyptijs ducem misit.

Athẽ. lib. 15

A

Nestoris poculum.

31 Solius Nestoris poculum inter heroas excelluit, sicut scutum Achillis: militabat enim ille non aliter cum poculo, quàm Achilles cum clypeo. *Athẽ.li. 10*

Modus bibendi.

32 Anacharsis dicebat primum vini craterem ad sitim pertinere, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam. *Laertius.*

Gratitudo principe digna.

B 33 Pamphaes Pyrenensis Crœso Lydo, viuente adhuc patre, triginta minas dono dedit, qui cum imperium accepisset, currum argento plenum ei remisit. *Æl. lib. 4.*

Violentia festiuè excusata.

34 Agathocles piraticam exercens in Corcyram appulit: cũ incolæ ab eo quærerent quam ob causã insulam vastaret, quoniã (inquit) patres vestri Vlyssẽ susceperunt: quũqúe pariter Ithacenses conquererentur sua pecora à militib. abigi, At vester (inquit) rex ad nos cum accessisset pastorẽ excæcauit. *Plut. de sera numinis vindicta.*

Periurij pœna.

C 35 Periuri olim puniebantur tanquam ij, qui duplici tenerentur scelere, vt qui pietatem in Deos violarent, & fidem inter homines, quæ communis societatis maximum vinculum est. Senatorum Romanorum vno interrogante Carthaginensium legatos, qui pacem à Romanis petebant, per quos Deos fœdus icturi essent, per eosdẽ, inquit Asdrubal, qui tam infesti sunt violantibus fœdera. *Diodor. li. 1 Liu. dec. 4. lib. 10 Nauclerus.*

Veritatis studium.

36 Artaxerxes adeò mendacium auersatus est, vt mendacis hominis linguam triplici clauo affigi iusserit. Epaminon- D das tam seuerus veritatis cultor fuit, vt ne ioco quidem mendacium protulisse fuerit deprehensus. *Alex. ab Al. lib. 5.*

Gloria ex labore quæsita.

37 Maximinus tribunus legionis quartæ, quæ ex tyronibus constabat, quinta quaque die iubebat milites decurrere, in se simulachra bellorum agere, gladios, loricas, galeas, scuta, tunicas, & omnia arma quotidie circumspiciebat. cum eum quidam barbari repręhenderent: dicentes, quid tantum laboris sumis cum eo in loco iam sis, vt ducatum possis acci- *Iul. capitolinus.*

pere: respondit, Ego quò maior ero, tantò plus laborabo. A

Pertinax fortitudo.

38 M. Sergius Romanus secundo stipendio dextram manũ perdidit, sinistra manu quater pugnauit, dextrã sibi fecit ferream, eaque religata prçliatus, Cremonam obsidione exemit: Placentiam tutatus est: duodena castra hostium in Gallia cepit: cæteri hominũ victores fuêre, Sergius vicit etiã fortunã.

Plin. li. 9. Solinus.

Militiæ studium, & amor.

39 Nicephorus Phocas Constantinop. Imperator adeò militiæ studiosus fuit, & militariũ virorum amans, vt decreto sanxerit, vt milites in bellis interfecti pari cũ martyribus honorè colerentur, & similibus hymnis ac veneratione laudarẽtur. Decretũ tamen reclamante patriarcha nõ fuit cõprobatũ. B

Zon. ann. tom. 3.

Stupenda & inaudita nauigatio.

40 Ioannes Sebastianus de Cano, anno domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo naui sua, cui Victoria nomẽ erat, totũ orbem circumnauigauit, vnde in scuto suo orbis effigiẽ posuit, his circũscriptis verbis: Primus circũdedisti me.

Viues.

Præsidium mirabile.

41 In quadam planicie, quæ vocatur Monga, qua iter est ab Asia profunda ad Asiam maiorẽ, sunt in hyeme quædam aues magnitudine Phasianorum, quæ ingredientibus in planiciem turbis statim fugiunt ad præsidia, quç iuxta fossas & valla sunt disposita, vnde præsidiarij aduentum hostium cognoscunt, & ad defensionem continuò se parant. In castello sancti Petri in Caria fuêre canes quinquaginta pro præsidio loci, antequam Mahometani eam regionem occupassent, quos incolæ nocte extra munitionem excubiarum causa tenebant, ad quos cùm Christianus aliquis veniebat, benignè excipiebatur, & cum plausu ad oppidum ducebatur, si hostis occurrebat dilacerabatur. C

Haithonus de Tartaris. Aretinus.

D

Sacrificium cruentißimum Marti & Mercurio.

42 Sacrificium olim Marti & Mercurio ita peragebatur, vt post adeptam victoriã equi, viri, cuncta victa occidioni darentur.

Tacit. li. 13

Sacra Cereris.

43 Proserpina significat fœcunditatem seminum, quç cum defuisset, & sterilitate terra mœreret, exorta est opinio, quòd filia

A filia Cereris,id est ipsa fœcunditas,quæ & Proserpina à proserpendo dicta esset, Orcus abstulerat, & apud inferos detinuerat,quæ res cum fuisset luctu publico celebrata,quia rursus eadem fœcunditas rediјt, Proserpina reddita exorta est lætitia: ex hoc illi solennia instituta sunt.

Varro rer. diuin.li.16

Diuersum anni initium.

44 Græci annum ab æstiuo solstitio inceperunt,Latini ab hyberno: cæteri, qui ad occasum habitant,à verna sectione: Arabes ab ingressu solis in Leonem, Chaldæi, Persæ, Indi, B Ægyptij,Hebręi ab autumno: nunc Tartari prima die februarij annum ordiuntur. In quadam synodo Cæsariensi definitum fuit, mundi initium fuisse æquinoctium vernum: quia moses primū mensem collocat,qui nostro martio respondet.

Ioseph. antiq. 1. Solinus. Funccius lib. 4. M. P.Ven. lib.1.

Mensis Lunaris.

45 Mensis Lunaris dupliciter consideratur, vel dum Luna discedit & redit ad idem punctum,id fit diebus septem & viginti: vel dum solem percurso signifero circulo consequitur,id fit diebus vndetriginta,horis duodecim, minutis quadraginta quattuor

Viues.

C *Dies natalis in honore.*

46 Eum præcipuè diem supra reliquos omnes venerari Persarum legibus sancitum erat, quo quisque vitæ initium orsus fuerat: in lucem nempe æditus, in eo plura conuiuia parari dignum esse arbitrati sunt. Diuites bouem, asinum, equum, camelum, totos in fornacibus assatos conuiuijs apponere soliti erant: pauperes oues exiguas. Id moris,institutique maiores Romani tenuerunt, vt cùm die natali munus annuale genio soluerent,manum à cæde,ac sanguine abstinerent,ne die, qua ipsi lucem accepissent, alijs adimerent.

Ricchob ex fragm. Varr.

D *Ius annulorum.*

47 Cautum fuit apud Rom. ne ius annulorum aureorum alicui daretur, nisi ipse ingenuus,pater & auus ingenui fuissent,cuique sestertia quadringenta census fuissent,quod peculium equestre habitum est. Tyberio imperante tribunis militum gestare licebat aureos, gregario militi ferreos tantùm. Apud Persas donari annulo à rege fœdus inexplicabile, & summi amoris vinculum putabatur.

Bud.de ass. 2. Alex.ab Al. lib.2.

Inuitis fatis nil fieri potest.

A

48 Cum Iulianus Imperator templum Hierosolymitanum vellet restaurare, ac negotium Alipio Antiochensi dedisset: metuendi flammarum globi propè fundamento erumpentes, & operarios exurentes, talem terrorem dederunt, vt opus imperfectũ relictũ sit. Aquilæ impedierunt ædificationem vrbis è regione Byzantij, & lupi restaurationem Carthaginis.

Ammia.li. 23.
Pomp.læt9

Legum authoritas subtiliter & festiuè elusa.

49 Athenienses bellum Æginetis illaturi, à Corinthijs commodari sibi naues rogauere. Corinthij per id tempus amicissimi Atheniensibus, ideo vtilem operam illis nauare cupientes, dedêre rogantibus naues viginti, sed vt legi, quæ classem dare vetabat, satisfacere viderentur, singulas quinis drachmis vendiderunt.

B

Herodot. lib.6.

Tenax propositum vindictæ.

50 Cum audisset Darius Sardos captas, incensasque ab Atheniensibus, interrogauit quinam essent Athenienses. id cum audisset, arcũ poposcit, & sagittã in cœlũ excussit, ac ita exclamauit: ô Iuppiter cõtingat mihi vt Athenienses vlciscar. atque hæc loquutus, cuidam familiarium præcepit, vt sibi semper apposita cœna ter diceret; memento Atheniensium.

Herodotus.

C

Picturæ initium valde rude.

51 Cum ars pingendi iam ortum duceret, adeo rudi & impolito stylo depinxerunt animantia, vt adscribere ad ea pictores necesse esset, hoc est bos, illud equus, hoc arbor.

Æl. lib. 10.

Statuarum amor.

52 Rhodi supra septingenta tria millia signorum fuêre, nec pauciora Athenis, Delphis, atque Olympiæ: Romæ verò tantum statuarum, vt alter populus lapideus videretur.

Alex. ab alex. lib. 4.

Carè vendita opera.

D

53 Theombrotus medicus Antiochũ regem talentis centũ sanauit. Erasistratus Chrysippi discipulus Aristotelis filia genitus, Antiocho rege sanato, centũ talentis donatus est à rege Ptolemęo filio eius, id est sexaginta millibus aureorum. Charondes ægrum vnum prouincialem sanandum quinque millibus coronatorum suscepit. Apelles pictor Alexandrũ regẽ viginti auri talentis pinxit. Tadæus Florentinus medicus Bononiæ docuit, ibique octogenarius è vita decessit: cuius tanta fuit nominis celebritas, vt ad curam extra vrbem vocatus,

non

A non vilius, quàm quinquaginta aureorum mercede in singulos dies peregrinaretur. vocatus ab Honorio quarto pontifice, centum sibi statui voluit: reuersus ab eo iam curato decem millia reportauit.

Plin. li. 29. & 34. Bud. de aß. 3.

Paria amicorum celebria.

54 David & Ionathas, Theseus & Pirithous, Alexander & Ephestion, Chariton & Menalippus, Achilles & Patroclus, Pylades & Orestes, Damon & Pythias, Epaminondas & Pelopidas, Nisus & Eurialus, Mileus & Amisius: hi adeò facie fuêre similes, vt alter ab altero discerni non posset. Insignis B etiam amicitia fuit inter Gregorium Nazianzenum & Basilium magnum.

Plut. in paral. Aelia. li. 2. Sab. en. 8.

Ingratitudo in magnis viris.

55 Marius à Metello elatus, Sylla à Mario, Pompeius à Sylla, quisque suæ fortunæ authorem contempsit.

Sabellicus.

Summa peruicacia.

56 Sicarij, qui in Ægyptum Thebásque elapsi erant, comprehensi, omne genus tormentorum & vexationum corporis perferre maluerunt, quam Cæsarem dominum fateri.

Ioseph. bel. Iud. 4.

C *Mira erga magistratus obedientia.*

57 Gens Chasiorum suos principes ita reueretur & obseruat, in eorumque iussis exequendis adeò alacris esse dicitur, vt si supercilio tantùm innuerint, statim de rupibus se præcipitent, in enses irruant, in vndas desiliant, in ignem se abijciant, & in manifesta pericula, vt principum suorum hostes vlciscantur. Chiansbasi præfectus Basilicæ apud Turcas, eius est authoritatis, vt cùm subditum aliquem principis cuiuscunque status, qualitatis, aut conditionis fuerit, siue Bassa, siue Bellerbechus adit, & dicit, se missum esse, vt caput il- D lius habeat, & magno domino adferat, continuò illi paretur, etiam nullo mandato aut commisione commonstrata.

Nicetas. Godolenæ de Tur. au.

Honos ambitiosè & astutè quæsitus.

58 Laurentius Celsus Venetorum dux cùm à patre obtinere non posset, vt sibi tanquam duci assurgeret, meritósque honores tribueret, crucẽ auream ducali pileo affigi iussit, quam vel inuitus pater reuereri cogeretur.

Baptist. Egnat. li. 3.

Adulatio magnanimis viris odiosa.

59 Alexander Magnus librum Aristobuli, in quo multa

de se in certamine cum Poro Indorum rege inito ad laudem ipsius Alexandri mentiebatur, in fluuium proiecit, eadẽ pœna dignum esse authorẽ dicens. ad hoc addebat, cupere se aliquanto post mortem suam ad viuos redire, vt perspiceret, an homines se postquam à vita cessisset, tantoperè laudarent. A

Arrianus. Robertel.

Sæuitia cum proditione, & ingratitudine coniuncta.

60 Mantinenses cùm ab Achæis ad Ætolos & postea ad Lacedæmonios defecissent, iterum ab Achæis duce Arato capti sunt, sine facultatum iactura, & corporum seruitute recepti, & suis legibus viuere permissi: inter se seditiones veriti, & Ætolorum, Lacedæmoniorum conatus, mittũt ad Achæos legatos, qui vrbem eorum fidei traderent, ac subsidium postularent. Achęi sine mora trecentos viros ex suis deligunt, quos Mantineam mittunt. Non multo interiecto tempore seditio inter Mantinenses oritur: quamobrem aduocatis Lacedæmonijs vrbem ijs tradunt, & Achæos omnes obtruncarunt. B

Polyb. li. 2.

Maxima stoliditas.

61 Thraces ad 4. vsque olim tantũ numerare didicerunt. Albani vltra 10. computare non nouerunt. Meletides adeò vecors fuit, vt vix toto ingenij captu ad 5. numerare disceret.

Alex. lib. 2.

Egregiè laudandum, & à laudando abstinendum. C

62 Turpius esse dicebat Phauorinus philosophus, exi ,uè ac frigidè laudare, quàm insectãter & grauiter vituperare: quoniam (inquit) qui malè dicit, & vituperat, quanto id acerbius facit, tanto magis pro iniquo & inimico ducitur, & propterea plerunque fidem non capit: sed qui infœcundè & ieiunè laudat, destitui à causa videtur: & amicus quidẽ creditur eius quem laudare vult, sed nihil posse reperire creditur, quod iure laudet.

Gell. lib. 19

Innocentia frustra oppugnata.

63 Cato Censorius amplissimum innocentiæ testimonium tulit, quòd ab inimicis quinquagies criminis postulatus, in foro causam dixit, & iudicum votis absolutus semper fuit. D

Plutarc. in Cat.

Mirabilis Echo.

64 In vrbe Cyzico 7. turres fuêre, quæ acceptas voces numerosiore repercussu multiplicabãt. Olympiæ in porticu quadã septies eadẽ vox reddebatur, ob id heptaphonos appellata.

Plutarch.

Miraculosum ferrum & æs.

65 In Persia decidunt, cûm coruscat, corpora ærea similia

sa-

A sagittis hamatis, quæ in fornacibus non liquescunt, sed eorum humor in fumum resoluitur: residuum fit cinis. Decidit prope Largeam è cœlo ferri massa 50. librarum, quæ præ duritia frangi nequiuit: cuius pars ad regem Dorati est missa. Is vt enses inde cuderentur iussit, sed illa nec frangi nec cudi potuit. *Georg. Agric. ex Auicenna.*

Mirabilis ausus.

66 Theodotus Ætolus sub Antiocho militans castra Ptolomæi tunc hostis sub auroram ingressus, rectà ad tentorium regis proficiscitur, & regem quærens, ac non inueniens, duobus, qui ibi cubabant, vulneratis, & medico Regis interfecto, B tutò in propria castra reuersus est. *Polyb. li. 4*

Ab Aquilone omne malum.

67 Gothi, Vandali, Gepidæ, Heruli, Longobardi, Burgundiones per Hungariam ab vlteriori Scythia venientes, Christianas resp. miris afflixêre modis: Turca Græciam & Asiam. *Bessario orat cōtra. Turcas.*

Cursu maximè nobiles.

68 Ladas quidam cursu tam citatissimo longū itineris spacium emensus est, vt nulla pedum vestigia extarent, ita vt sæpe visum falleret. Philonides, Alexandri Magni cursor, perC nici cursu valuisse fertur: cui annumeratur Laithenes Thebanus, qui pernicitatis tantæ fuit, vt à Thoramo Thebas vsque cum equo cursore contenderit, & victor euaserit. Plinius notauit puerū annos nouem genitū, à meridie ad vesperā quinque, & septuaginta passuū millia pręcipiti celeritate cōfecisse. *Alex. lib. 2.*

Visus acutissimus.

69 Hominem quendam Siculum adeo perspicaci, exactóque visu in Sicilia fuisse perhibent, vt è Lilybeo vsque ad Carthaginem intentis oculis nihil falleretur, & numerum nauium, quæ Carthagine soluebant, indicaret, neque vllam D prætermitteret. *Ælia. lib. 11*

Mulier doctrinæ insignis.

70 Corinna tanta eruditione claruisse dicitur, vt Thebis cum Pindaro carminibus sępius certarit, & quinquies victrix euaserit. *Alex. lib. 6.*

Bellum Sophisticum.

71 Sophisticum bellū à Petro Abelardo & aliquot Britannis excitatum est, in quo palmam merebatur, qui ab altero poterat firmiter dissentire, ingenij acumen maximè ostentare, subtiliter nugari, & aduersario silentium imponere;

Concordiæ adeò ibi nulla laus erat, vt ignominiæ tribueretur, si quis de sua sententia vel absurdissima decederet, & sectam professam desereret. Durauit hoc bellum amplius annos quadringentos. A

Iac. Curio

De primatu ecclesiæ contentio.

72 Controuersiæ de primatu ecclesiæ per trecentos fermè annos durauit inter Hierosolymam, Antiochiam, Constantinopolim & Romam: tandē adiudicante Phoca primatus delatus Romano pontifici, Græci obedientiam detrectârunt, quod horribiles tumultus, odia, & schismata inter ecclesias peperit. Lis autem non de rebus leuissimis fuit, sed de imperio in ecclesias, de possidendis & transferendis regnis, de potestate prætoria instituendi cultus, & interpretandæ scripturæ. Hæc controuersia in concilio Ferrariensi multum agitata fuit, modò Græci faterentur, Constantinopolitanum Patriarcham Rom. pontifici subijci debere, Romani permittebant illis, vt celebrarent in fermentato, & baptizarent sub alia forma, videlicet: Baptizetur seruus Dei N. in nomine patris. Ordinati præterea in sacris vterentur matrimonio contracto ante susceptionem ordinum sacrorum, barbam nutrirent, darent sacramentum sub vtraque specie omnibus, etiam paruulis. In principio pontifices Rom. defensores suæ dignitatis habuêre Imperatores, sed orta inter eos cōtentione propter imagines, confugêre ad Francorum reges. Primus Rom. pontifex, qui ad eos confugit, fuit Stephanus huius nominis secundus. Mediolanensis etiā ecclesia Romanę ecclesiæ, quantum ad primatum, se opposuit, & nihil cum ea commune habuit per ducentos annos: ad obsequium retracta per Stephanum pontificem huius nominis nonum. B C

Sab. en. 9. lib. 2.
Nauclerus.
Phil. Mel. chron. 3.

Approbatio imaginum in templis ex authoritate Conciliorum. D

73 Concilij Nyceni sub Irene summatim duobus versibus comprehensum:

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Lateranensis Concilij decretum.

Receptum est omnibus ciuitatibus bene institutis, vt ijs, qui de suis ciuibus bene meriti sunt, publicè decernātur sta-

tuæ

A turæ, vt grata in tales viros sit ciuitas, simul vt ad illorum facta imitanda cæteri inuitarentur: Dei optimi maximi, & sanctorum imagines ponere nō licebit, si eius merita erga genus humanum, si naturæ diuinæ dignitatem inspicimus. *Sab. en. 8. lib. 6.*

Crudelitas sectarum.

74 A Genserico Vandalorum rege Arriano, Leo pontifex Romanus impetrare non potuit, vt prȩda ciuili contentus cū Romam cepit, sacra dimitteret intacta, cùm antea ab Attila idololatra obtinuisset, ne Romam diriperet, & tributo contentus Italia excederet: sed Romā ingressus, omnia sacra & profana promiscuè diripuit. *Ibidem.* B quatuordecim dies in egerēda prȩda consumpti sunt, abductáq. est vis ingens hominū omnis sexus & ȩtatis. Sacerdotes Arriani & episcopi catholicos, quos apprehendebāt, iugulabāt, armati incedebāt, tēpla diripiebāt.

Sectæ Iudæorum.

75 Pharisæi fatum firmantes quædam in nostra esse potestate, ac quædam fortuitò euenire, nec omnia fieri necessariò statuebant, præclarè cùm Peripateticis conuenientes. Sadducæi repudiato fatò nostræ voluntati omnia adscribebant. Essæi omnia fato contingere, sicut Stoici, censebant. Discebant hi piè sanctéque viuere ac iustè triplici regula: C vtentes amore Dei ardentissimo, cultu virtutis diligentissimo, charitate proximi ardentissima. Iudas Galonites è secta Pharisȩorum, quartum apud Iudæos philosophandi genus induxit, cuius sectatores seditionib. remp. repleuêre. Profitebantur, solum Deum esse principem Iudæorum, supplicia, mortem, amicorúmq. amissiones contemnendas, dummodo nullum hominem dominum dicere compellerentur. Hæc secta altissimas egit radices, & populo à Romanis abalienato, excidium regionis, & vrbis ruinam attulit. *Iose. antiq. 18. Euseb. de præpar. 8. Zonar. an. tom. 1.*

D *Arabia religionis vastatrix.*

76 Arabia malorum omnium mater. In ea Cham & eius progenies malorum dæmoniorum cultum induxerunt. Mahometes veri Dei cultum mira virtute constitutum sustulit, & errorem, quem introduxit, longissimè propagauit. *Sab. en. 8. lib. 6.*

Magna religionis authoritas.

77 Traditum est, in Merbe Iouis sacerdotes adeò superstitione implesse animos, vt nonnunquam misso nuncio necem regi Æthiopiæ demandarent, nullo detrectante, aut mandatū

Alex. ab al. lib. 2. iussionémue abnegante, donec ad regem Erganem peruentum, qui omnes occidit, & sacerdotium sustulit. A

Amplum sacerdotium & magnæ dignitatis.

78 Regum Ponticorum tempore diebus festis, qui Dianæ sacri erant, sacerdos Commanorum diadema regium gestabat, & secundum regem in honore maximo habebatur. Cõmana autem regio eius imperio suberat cum sacris seruis, qui Hierodulí dicebantur, numero non pauciores sex millib. in quos omnem potestatem habebat, præterquam eos vendendi. Strab. l. 12. Bud. li. 3.

Sanctimonia morum obseruata.

79 Epiphanius Papiæ episcopus à Gundebaldo Burgundionum rege 6000. captiuorum ob solam sanctitatis reuerentiam impetrauit. B

Paulinus item Nolæ episcopus multos captiuos catholicos ob pietatis opinionem ab Arrianis Vandalis recepit.

Eudoxius, & Valens cùm plurimos episcopos catholicos è sedibus suis exegissent, Basilium tamen Cæsariæ & Gregorium Nazianzi episcopos ex Cappadocia, & Athanasium Alexandriæ non attigerunt, homines pietate atque eruditione inter cæteros eminentes. Auen. li. 2. Abb. Vrsp. Sigon. de occid. imp. lib. 8.

Theonas abbas in eremo Scythiæ nunquam mentitus dicitur, cùm tamen tribus millib. monachorum præfuisset. mirum inter tantam multitudinem non fuisse lingua lapsum. C

Hor abbas veritatis etiam studiosissimus fuit. De eo commemorat Heraclides in sua historia, primum quod nunquã sit mentitus: secundum, nunquam alicui malè dixerit: tertium nunquam citra necessitatem loquutus sit.

Exilitas & leuitas corporis incredibilis.

80 Archestratus vates ab hostib. captus, sub iugumque missus, ita leuis, & tenuis inuentus est, vt ad oboli pondus accederet. Philetas Cous poeta, ob corporis tenuitatẽ pilas plumbeas sub pedibus habere consueuit, ne vento subuerteretur. Athe. li. 12 D

Flumina epota ab exercitu Xerxis.

81 Scamander, & Onachorus in Thessalia, Simois in Phrygia, Chydorus in Bœotia, Lysius in Samothracia, Menala iuxta Hellespontum in Lysimachia, & lacus in eodẽ sinu 30. stadiorum, quẽ sola iumenta Persarũ paucis dieb. exiccauêre. Herod. li. 6

Summa magistratus seueritas.

82 Athenienses missos in Arcadiam legatos, quoniam alia

via,

A via, quam imperatum fuerat, profecti erant, tametsi mandata perfecerant, morte eos mulctarunt. *Ælia. lib. 6*

Insolentia ac petulantia magna contra leges.

83 Neratius homo diues & petulans solebat colaphos impingere cuilibet occurrenti cum animo adlubescebat, postea præcipiebat seruo, qui eum sequens saccum assibus plenũ deferebat, 25. soluere, mulcta ita taxata per 12 tabulas.

Nimia affectatio periculosa & ridicula.

84 Ioannes Logotheta princeps senatus Constantinopolitani sub Constantino Monomacho, Grammaticæ artis adeò B curiosus, vt in affectatione atticismi neque rectè loqui, neque citra errorem scribere posset. *Zon. tom. 2*

Ridiculum prodigium.

85 Anno 366. sub horã diei tertiam, Pistorij, spectantib. multis, asinus excelsum tribunal ascendit, atque ibi ruditum vsque adeò compositum edidit, vt populum adcurrentem alloqui, & quædam velle dicere videretur. *Sigon. de occid. imper. lib. 16*

Stupenda pernicitas & sagacitas in bestijs.

86 Sub tẽpora Aureliani Imp. Hellanico bello captus fuit equus tantæ pernicitatis, vt vno die perpetuo cursu 100000. C passuum cõficeret, in eáq. celeritate octonos dies perseueraret. Probus Imp. equum habuisse dicitur celeritate tanta, vt diurnis spacijs centum obiret milliaria, vel in decimum diem, labore haud interpolato. Andreas quidam ærarius faber canẽ raræ sagacitatis Byzantium adduxit tempore Iustiniani, qui canis multorum annulos in vnũ aceruum congestos suis dominis citra errorem suum cuiq. ore attulit. Idem rogatus, quis ex eis qui adessent diues esset, quis pauper, quæ mulier meretrix, quæ vidua, quę maritata, & id genus alia, absq. vllo errore demõstrauit, veste cuiusquã ad quæstionẽ ore appræhensa. *Sab. en. 7. lib. 7. Zon. ann. tom.. Nauclerus*

D *Polygamia memorabilis.*

87 Tempore Damasi pontificis duo Romæ ê nobili plebe connubio iuncti, quorum vir viginti sepelierat vxores, vxor viginti duos habuerat maritos. *Hieron. ad Ageruch.*

Virginitas inaudita, & stupenda.

88 , Pulcheria soror Theodosij secundi Martianum in religione Christiana percelebrẽ ad se accersiuit, eique dixit, quoniam Imp. mortuus est, & ego te eligo tanquam beneplacentẽ ex omni senatu: promitte quòd virginitatẽ custodies quã deo

Abb. Vrsp. deuoui, & pronunciabo te Imperatorē. Hac conditione contractum matrimonium, & conditio seruata. A

Henricus I. Imperator perpetuam in matrimonio cum vxore, quæ Sinegunda nominata est, castitatem seruauit. *Bap. Ægn.*

Henricus II. Imperator, & Cunegunda Sigefridi Palatini Rhenensis filia, iuuenes & principes inuiolatum virginitatis florem in coniugio seruauêre. *Alb. Crant. lib. 4.*

Boleslaus Polonorū princeps Cunnegundim, Belæ Vngarorū regis filiam, vxorē duxit, quam nō attigit, sed cōfirmata mutuo cōsensu religione, ambo perpetuā vouêre cōtinentiā. *Crom. li. 9.*

Chimæra. B

89 Hesiodus Chimęram fuisse monstrum prima parte leonis imagine ac ingenio, media draconis, postrema capræ, quæ χιμαίρα dicitur, à qua totum animal nomen inuenit, flammas ore euomebat: idcirco Virgilius Æn. 6. flammis eam armatā dicit. quo loco Seruius narrat, reuera montem esse in Lycia, cuius cacumen ardebat, iuxta quod erant leones, media pascua esse, & ima serpentib. plena. hunc montem Bellorophontem fecisse habitabilem ferunt, & chimęram occidisse dictus est, quia totum montem incendit, & ita feræ periêre. *Viues.*

Exprobratio crudelitatis stupenda. C

90 Iuxta Methonem cùm oppidulum Venetorum ditionis expugnasset Mahumetes Turcarum Imperator, iussit oppidanos numero quingentos in duas partes dissecare. Cùm cadauera interemptorum eò loci essent proiecta, quo Mahumetes ipse iusserat, bos quidam in eum locum veniens, visis cadauerib. flebilem in modum mugijt: postea medietatem vnam cadaueris sustulit, denuò reuersus etiam alterā medietatem abstulit, & ambas deinceps composuit. Obstupuêre omnes ad illud factum. Cùm Mahumeti renunciatur, iussit cadaueris partes ad eum locum, vnde à boue ablatæ fuerant, reportari. Bos iterum veniens, fragmenta cadaueris diligenter conquirit, & ab reliquis seorsum ponit. Mahumetes rei miraculo stupefactus, dissectū cadauer sepulturæ tradi mandauit. Bos in regiam ductus, optimè habitus est *Chalcond. lib. 10.* D

Lemnia mala.

91 Lemnij cùm instructis copijs Atheniensium vxores, diem festum Dianę apud Branconem agētes, permultas rapuissent, eas in Lemnum delatas pro concubinis habuêre. hæ verò fœminæ

A minæ filios, quos enixę sunt, lingua Attica, & moribrs Atheniensium imbuerunt. Illi consuetudinem cum Pelasgidum filijs habere abnuebant, & si quis è suis ab vllo illorum vapularet, cuncti auxilio aderant, qua re animaduersa, Pelasgi inter se collocuti minimè id ferendũ esse censuêre, dicentes, si nunc cum adhuc pueri sunt dignoscunt sibi mutuo opitulari aduersus filios legitimarum quas virgines duximus, quid facient cum erunt adulti? Itaque re diliberata decreuêre eos filios à matribus Atticis susceptos necare: his necatis addunt cędes matrum. ex hoc facinore vsu receptum per Græciam, vt B teterrima quæque facinora Lemnia mala vocitata sint. *Herodot. lib.6.*

Camarina.

92 Camarina palus est in Sicilia iuxta oppidum eiusdem nominis, quæ cum olim siccata pestilentiam creasset: consuluerunt oraculum, an penitus desiccare præstaret: vetuit oraculum Camarinam moueri. At illi oraculo non obtemperantes exiccarunt. cessauit quidem pestilentia, sed per desiccatam paludem ingressis in vrbem hostibus pœnas neglecti oraculi dederunt. *Nicetas.*

Desperatæ nequitiæ insolens facinus.

C 93 C. Fimbria cum in funere C. Marij, Q. Scæuolam virũ ornatissimum, & sanctissimum vulnerandum curasset, vbi ferrũ non altè descendisse accepit, diem illi dixit: admirantibus cunctis, quod optimus totius ciuitatis ciuis accusaretur, & crimen, cuius insimulabatur expectantibus, dixit se illum accusare, quod non totum telum corpore excepisset. *Cicero pro. Roscio.*

Nequitia pro merito compensata.

94 Audronicus Comnenus Constantinopolitanus Imperator cum perfidè Alexium Manuelis filium, cui iuramentũ D præstiterat occidi, & eius cadauer in maris profundum demergi iussisset: Annam Imperatoris Alexij sponsã regis Francorũ filiã matrimonio sibi iungit, nihil verecundatus sobrini vxorem attingere: à patriarcha & eius concilio petit, vt iureiurando, quod Imperatori Manueli, & infœlici eius filio dederat, solueretur. Illi statim literis publicè affixis impunitatem scelerum perfido homini, eiusq. asseclis concessêre: pro illo beneficio indulsit, vt subsellijs ad soliũ Imperatoris collocatis, ei assiderent; sed illud priuilegium flagitiosè quæsi-

tum paucos dies durauit. Nam cum ſolito honore frui vellent, ipſe Andronicus non admiſit, ſed eos reijciens ridendos omnibus propoſuit. A

Nicetas.

Prudens conſilium in diſſipandis ſeditionibus.

95 Calaninus Capuanus homo popularis, & tamen ſapiens & ſolers, vt Capuanum populum ad rationem adduceret, qui decreuerat omnes ſenatores neci dare: populo furenti, cuius tribunus erat, nõ cõtradixit, ſed eius decretũ probauit. Admonito autẽ ſenatu de populi furentis conſilio, & voluntate, & clã in vno loco incluſo, vt eũ à populi furore ſeruaret, populum alloquutus ita dixit: Quoniam decreuiſtis trucidare omnes ſenatores, oportet prius eligere magis idoneos inter nos, qui in ipſorum locum ſuccedant, & incipiens à magis exoſo ſenatore, primum (inquit) trucidabimus illum. exclamauit ſtatim populus, bene dictum, bene factum. videamus igitur (inquit) quem in ipſius locum ſufficere poſſumus. Coqui, & artifices certatim ad illud officium ſe obtulerunt, rixas, & lites mouentes, cum nemo alteri cedere vellet. Eodẽ modo fecere de quolibet ſenatore, qui nominabatur: ita, vt non minus turbarum, & tumultus inter eos fuerit, quàm aduerſus ſenatores fuerat, quod in cauſa fuit, quod populus maluerit vt antiqui ſenatores manerent in ſuo officio, quàm pati vt vnus alijs præferretur. B C

Crudelis diſciplina ex præcipiti iudicio.

96 Piſo proconſul cum videret militem ſolũ in caſtra redeuntem neci adiudicauit, quoniam ſine commilitone reuerſus eſſet: exiſtimabat eum occidiſſe: miles affirmabat ipſum ſequi, & breui affuturum. Piſo eam excuſationem non admittens, vltimo ſupplicio affici iubet. Cum iam occidendus eſſet, ecce aduenit ſocius. tunc copiarum, dux cui ſupplicij cura demandata fuerat, ad proconſulem accedit, ambos milites ſecum adducens: proconſul irritatus eos tres neci tradit: primùm quia damnatus fuerat: ſecundum, quia iniquæ damnationis cauſa fuerat: & ducem, quia imperata non fecerat. D

Seneca li. 3. de ira.

Prælium ad extremum, & pertinaciter depugnatum.

97 Argiui cum Lacedæmonijs de agro contendentes conuenêre, vt trecenti vtrinque dimicarent, & vtri ſuperiores extitiſſent, eorũ regio foret. Illi in certamen deſcendentes tanta animorũ obſtinatione dimicarunt, vt ex ſexcentis tres omnino

A nimo reliqui manserint, ex Argiuis duo, Alcenor, & Cromius, qui tanquam victores Argos cursu contenderunt: ex Lacedæmonijs vnus Othryades, qui spoliatis Argiuorum cadaueribus eorum arma ad suorum castra detulit, & se in suo ordine tenuit: cui victoria adiudicata est.

Herodot. lib. 1.

Grauia bella ex leuissimis causis.

98 Ætoli, & Arcades diu inter se bellis & acerrimo odio contenderunt pro capite apri.

Byzantij imperante Iustiniano seditio grauis exorta propter æmulationem colorum viridis, & cerulei, quæ in vno B die triginta millia absumpsit, & Imperatorem in vitæ periculum adduxit. Bellum inter Ligures, & Byzantios ortum est propter pomum à puero ablatum.

Procop. li. 1. de b. Persic. Chalcondyles.

Scoti, & Picti, qui per sexcentos annos in pace vixerant, propter canes, quos Scoti à Pictis abstulerant, bellum acerrimum gesserunt.

Hector boethius.

Bellum inter ducem Burgundiæ, & Heluetios originem sumpsit propter plaustrum onustum ouium exuuijs ab Heluetio mercatore ereptum.

Argētonus.

C *Seuæ hyemes.*

99 Imperante Nerone dum Corbulo aduersus Parthos moueret, adeo sæua hyems fuit, & obducta glacie, vt ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sint: inuentusque miles, qui fascem lignorum gestabat, cuius manus ita præriguerant, vt oneri adhærentes truncis brachijs deciderent.

Tacit. li. 13.

Sub Constantini Croponymi imperio sæuissima hyems fuit, adeo, vt non tantum flumina, sed & mare septemtrionale ad complura stadia frigoribus cõglaciaretur: ingens postea D æstus sequutus est, quo & perennes amnes siccati sunt, & fontes penitus defecerunt.

Zon. an. 2.

Anno domini octingentesimo vigesimo primo: tam longa & aspera fuit hyems, vt non solum minores riui, ac mediocres fluuij, verum etiã maximi amnes Rhenus, Danubius, Albis, & Sequana cęterique per Galliã, atq. Germaniã Oceanũ petentes adeo solida glacie constringerentur, vt triginta, vel eo amplius diebus, plaustra huc atque illuc cõmeantia sustinerent.

Anno octingentesimo vigesimo quarto prolixa etiam, &

Æginhart. aſpera fuit hyems, quæ non ſolum bruta animantia, verum etiam homines immanitate frigoris extinxit. A

Proceri gigantes, & ſtupenda corporis mole.

100 Cretenſi bello exundantium fluminum impetu motũ terræ in imum diſciſſa humo inuentum eſt cadauer quadraginta ſex cubitorum longitudine, quod alij Orionis, alij Oti fuiſſe volunt, ad quod ſpectandum admiratione moti Lucius Flaccus legatus ac Metellus Romam iuerunt. *Plin. lib. 7*

Strabo li. 7 In Dalmatia in ſpelunca, quæ Dianę dicitur, viſa ſunt multa corpora, quorum coſtæ ſedecim vlnas excedebant.

Sertorius Antei monumentum cum perfodiſſet, reperit ibi corpus ſexaginta cubitorum. B

Henrico tertio imperante corpus giganteæ molis incorruptum in ſepulchro Romæ inuentum eſt, quod erectum vrbis mœnia ſuperauit, in cuius pectore vulnus fuit quattuor pedum & dimidij, ad caput facula ardens: in epitaphio inſcriptum, Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni militis occidit more ſuo, iacet hic. *Nauclerus*

Sub Carolo ſeptimo Gallorum rege in montana Narbonenſis Galliæ parte iuxta Valentiam vrbem, Rhodanus ſepulchrum detexit, in quo hominis oſſa inuenta cuius dimenſio triginta pedes impleuit. C

Dentes gigantũ in Perurana regione inuenti ſunt, qui tres digitos latitudine æquabant, & quatuor in longitudine.

FINIS.

Errata ita emendabis.

Pagina. 7. lin.39. Fabianum Hallæo. pag 12. lin. 15. Nationibus. pag. 17. lin. 31. Anagniæ. pag. 18. lin. 14. fruges. pag. 28. lin. 19. Ceruus. pag. 39. lin. 18. Lenitatem. pag. 63. lin. 34. suæ. pag. 88. lin. 36. Sulthanis. pa. 93. li.14. Bernicum. lin 33. Onnelmum. 104.11. Stipiciano. 105. 32. Insubria. 108. 14. vnis in caſtris 114. 2. &. 3 Collinius. 139. 17. cæteramque. 136.34. Torquatus. 142.32. acquirendo. 151. 11. Alphonsum. 152. 2. Priamidis.12. & 15. Vguccio. 155. 5. indicis. 161.12.Hebrides. 164.19.Nouogradia. 176.7. I guanna. lin.19. Sciuri. 178. 8.Catoblepæ. 187.6.Eupetalo. 190.23.Sandraſtus. 219.10. cellam. lin.12. viuum. 231.32.sociatus. 237.16.æquitas. 241.12. fatales rerump. eſſe periodos. 244.27. originem. 255.36.deque. 256.30.culpandi. 267.9.malarum rerump. 274.33.Badoerio. 295.21. iniuſſu. 296.30.pacatum. 309.8.Daualus 310.9.poſſe. 326.15. inſtituiſſe: vt 336.4.Niterim lin.39. Valentiniani 338.12.Clodoueo 339.10. militari. lin.18. A Leonora 340.6. Merouæum 341.33.Cosroe 349.5. conseſſu 373. 7.Cer es, D